6
6-d
46

6
4 N
12

6-6-d-46

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ANTONII LVLLI BALEARIS DE ORATIONE LIBRI VII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Proœmium.

SAEPENVMERO curas atque ſtudia hominum conſideranti, & in ſumma uarietate operum, contentionis ſimilitudinem: non ut Diogeni Cynico uerſandi dolij, ſed magis ingenua liberaliſq; cogitatio mihi incidit, inquirendi, num cauſa aliqua daretur à Philoſophis, quæ in tanta rerũ uarietate omnia moueret, quæq; tam ruri quàm in urbe, tantæ contentionis materiam inueniſſet, ut cum omnes eodem modo ſe fatigent, & tam animi quàm corporis labore diuexent, uix paucos inuenias eiuſdem mentis homines, quibus idem ſcopus omnino ſit, aut laboris eadem meta proponatur. Et aliquando quidem ita exiſtimaui, omnium humanarum actionum cauſam primam eſſe uoluntatem: quam ponderibus ijs comparabam horologiorum, quibus mota alia rota aliam pellit. Sic enim ſutor mouet coriarium, ſutorem medicus, medicum miles, & mutuò omnes ſibi operas tradunt: nec quiſquam ſua cauſa uidetur agere quæ agit, ſed alterius. Nam quod lucrum ex theatro quidam pronunciauit, parum ille quidem philoſophicè. quoniam nec omnibus hominibus nota eſt negotiatio: & uiuunt quàm plurimi, quibus ne per inſomnium quidem innotuit lucri ratio, aut uirtus. Sed neq; uoluntas finis eſt: niſi finem putes mouendarum horologij rotarum, pondera, non quietem, aut locum ubi illa ſubſident. Quapropter hac miſſa nunc ſimilitudine, Eudoxi ſententiam putaui maximè dignam philoſopho. Poſuit hic finem bonorum omnium in uoluptate: idq; iure optimo, quem multi etiam poſtea ſequuti ſunt. Nam qui dolorem omnes fugimus, uoluptate delectamur: & ſi quando pati moleſtiæ quippiam neceſſe eſt, id uel coacti patimur, uel ſponte ſubimus cauſa uoluptatis. Ac miror ſanè, quid tantopere uercamur de re manifeſtiſsima confiteri: ſi hanc omnia appetunt, atq; huius ſpe omnia fiunt, nec quidquam eſt quod negare poſsimus (ſi ſinus omnes uoluntatis excutiamus) ab hac pendêre, atq; in hanc toto pectore anhelare. Demulceat quantum uolet Plato ſuos diſcipulos, aut potius uerbis irretiat: dicã quod ſentio. una eſt hominibus propoſita uoluptas, tam uirtutum quàm uitiorum merces. Quid enim oportet integerrimi hominis Eudoxi, & à uoluptatibus iſtis uulgi abſtinentiſsimi, ita uerba captare atq; calumniari, quaſi alię nõ ſint

Voluntas, prima humanarum actionum cauſa.

Eudoxi ſententia, bonorum omnium finis uoluptas.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

præter boum & equorum uoluptates? Imò uerò quaſi uoluptates ullæ ſint, quæ plus fellis quàm mellis habent? quarum nullus ſenſus, niſi quàm diu uexat dolor? Veras oportuit & amicas agnouiſſe, non falſas & adulatrices: harpyias inquam, & Sirenes, peſtes uirtutis, mentis & iudicij ruinam, eſcam malorum omnium. Sicut amicum non puto qui malè cupit, ſed inimicum: ſic neqꝫ uoluptatẽ quæ non iuuat, ſed moleſtiam. Nam uoluptates iſtæ, uel omnino cum dolore iunctæ ſunt famis, ſitis, ægritudinis, furoris: uel dolorem accerſunt, quem uel ſubitò adeſſe certum eſt, uel ætate procedente ingraueſcere, & breuem iucunditatis fruitionẽ longa totius corporis ægritudine punire. Faceſſant ergo hinc ſophiſmata. Si quis animo proponit aliud (quicquid agat) quàm fruitionẽ earum rerum quas amat, cedam equidem Platoni: ſin uerò bonum quod omnes appetimus, nec utile eſt (quando finem alium ſpectat utilitas) nec honeſtum: quia non natura, ſed opinione iuuat honeſtas, aut certè pulchritudinis ſola ſpecie: quid quæſo ſupereſt, quàm uoluptas, ex reliquis omnibus delibanda bonis? Non enim ex uoluptate utilitatem captamus, aut pulchritudinem: ſed ex utilitate & pulchritudine uoluptatem. Sed hæc fortaſſe pluribus erant demonſtranda. Tamen ſi nomen uoluptatis tam lætitiæ congruit (quę animi eſt quædam ſublatio, putantis ſe bono frui) quàm ſuauitati illi quæ ſenſus titillat, & ad eos cum ſuauitate effluit atqꝫ illabitur, doloris amotione: utramqꝫ hanc præterea cum natura aſciſcat, & paſsim ſectetur rem omnium maximè expetendã: una hæc nunc ratio ſufficiat. Aliud fortaſſe tempus aliquando dabitur diſputationi maius. Ponatur ergo prima cauſa omnium actionum humanarum, & meta extrema, Delectatio. Cum ſint autem multa & uaria genera uoluptatum, aut certè rerum quibus delectantur homines: unum tamen eſt diuinum, inſitumqꝫ nobis à natura, quod parum peruidiſſe uidentur ueteres, etiam ſi in his diſquirendis atque inueſtigandis multam illi operam inſumpſerint. Hoc, ut uno uerbo dicam, in exhibitione ſitum eſt eorum quæ animus cogitat: proximum, in acquiſitione ſcientiæ & cognitionis, quæ ad primum etiam ſpectare uidetur, atqꝫ dirigi, ueluti conceptio ad partum. Et mirum eſt, cum maior pars hominum ad eum ſcopum collimet, adeò nullum extitiſſe, qui ad ſcopum planè reſpexerit, ſed utroque omnes oculo (ut ita dicam) connixerint. Pueros uidemus, ſimulac rationis excuſſere ſcintillulam, lutum ſubigere, domũculas ędificare, cereos fingere homines & equos, ſimiliaqꝫ multa conari, utcunque poteſt ingenij uis cogitationũ atqꝫ idearũ exemplar edere. his gaudẽt, & in his meditandis totos dies terunt. Ad adultos ueniamus. Nullus certè opificũ & operariorũ iſtorũ tam tenetur lucri

Voluptates ueræ, & falſæ.

Delectatio, actionũ humanarũ omnium ſcopus.

cupidi-

cupiditate, ut non magis formam, quam animo concepit, uidere
deſideret, quàm pactam mercedem. Adeóq; id uerum eſt, ut peri- *Artifices opt. ferè pauperrimi.*
tiſsimi quiq; artifices, ijdem habeantur pauperrimi, tam operarij &
opifices, quàm literati. nec immeritò. Nanq; hi rerum omnium ſe-
curi, more philomenæ (quæ cantando tabeſcit) nullum tempus ſa-
tis ducunt, edendis, augendiſq; ſuis cogitationibus. Illi proculdu-
bio, ſi facultates ſuppeterent, omnes opes in opus animo conceptũ
aliquod, & effictum imaginatione, per ocium, libentiſsimè inſume
rent, ut admiratione hominum & multorum beneuolentia frueren
tur. Quibus ſumptibus illi pepercerunt Ægyptij, imò uerò quid
non inſumpſerunt, ut obeliſcos erigerent in plano, et pyramides in
cœlum uſque ſubductas? Artemiſia, ut uiro Mauſoleum conſtrue
ret in Halicarnaſo, Lycios expilauit. Rhodope illa (ſi uerum eſt) me
retrix, an potuit quicquam reliqui facere, ex eo quęſtu erecto ſepul
chro? Sed hæc rara orbis miracula omittamus. Nam fabulæ occa-
ſionem ſæpe præbet admiratio. Illa quæ paſsim cernuntur, pontes,
caſtella, domus, horti, uiuaria, Deus bone q; multa autores ſuos
conſumpſerunt? Conſtat enim formæ captos pulchritudine, quam
animo conceperant, reliqua contempſiſſe. Qui literas didicere, hi
literis eadem conantur, quæ illi ſumptibus. Nec minor in his uolu-
ptas: & ſi non tanta gloria, maior uerò ſæpe ardor: ut Archimedẽ, *Archimedes.*
dum in puluere quædam deſcriberet attentius, ne patria quidem
capta potuit ab ſtudio mouere. Sed quemadmodũ ad illiteratos i-
maginibus illi tanquam uerbis & elementis animi conceptus expo
nunt: ſic alij literis & ſermone tanquam oculis exhibẽt contemplan
da rerum exemplaria, quæ effinxerant. Dixi autem diuinum ge-
nus hoc oblectationis. Admiranda enim Diuinæ maieſtatis illa o-
pera, quæ cernimus ad exemplar fabricata æternum, in ſuprema
intelligentia ſubſiſtens (cœlum inquam, ſolem & lunam, cæteráq;
omnia ſub his collocata inferius) nihil aliud quàm ſapientiæ ineffa
bilis monumenta cenſebimus, ideæq; æternæ prolẽ, quam in mun
dum hunc tanquam theatrum exhibuit, abſq; uerbis loquens, & re
bus ipſis pro literis utens ſcriptor & architectus ſupremus. Cœli
enarrant, inquit Propheta, gloriam Dei: & induſtriã, ſapientiámq;
eius pręדdicant ſidera, quæ ſurſum poſuit in ſublimi æthere. Viciſsi-
tudines dierum & noctium ſeſe mutuò alloquuntur, atq; docent.
Licet enim uoce careãt, nec ſermone uti poſsint: tamen uox eorum
ad aures omnium perſonuit, nullus'que reperitur terræ angulus,
quem habitantes homines nõ uerba huius theatri ampliſsimi tan-
quam audire potuerint, & intelligere. Atque hæc quidem ſymbo-
la cogitationis ſuę ad rudes adhuc atque illiteratos. ſed per prophe
tas deinde loquutus eſt Deus, & deniq; per filium ſuum, uerbum

ipſum æternum omnia declarauit, quæ capere terreni huius noſtri ingenij poterat anguſtia: data etiam fide, qua multa alia ſperamus immenſæ ideæ æternic̨ exemplaris illius monimenta cognoſcere, & rebus illis frui, quas nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Patet igitur diuinum eſſe genus hoc oblectationis. Etſi Deus alicunde dici poſſet uoluptatem capere, hoc certè unum eſt, quo ſe in primis oblectaſſe uidetur: exhibitione rerum quas in mente habuit. Inſinuat Moſes: Vidit, inquit, Deus omnia quæ fecerat, & erant ualde bona. quaſi dicat, Et oblectatus eſt ſuo ipſius opere pulcherrimo. Ne detur ergo uitio ſcribentium uoluntas: æterni naturam imitantur ſcriptoris. Quibus diuitiarum copia abundat, hos ludorum & munerum atque ædificiorum magnificentia gaudere æquum eſt, Dei optimi maximi ſummas uirtutes æmulantes, potentiam, ſapientiam, benignitatē: nos qui literarum tantummodò ſtudijs dediti ſumus, ſapientiā cum benignitate referemus, ſcribendo partim, partim etiam docendo, & in multorum utilitatem (quantum licet per ingenium & eruditionem) cogitationes omnes dirigendo. Quis ergo nō iniuria damnet hunc conatum? Quis uoluptatem honeſtam uitio dabit? Sed dicet aliquis: Fruere tu tecum tuis iſtis inuentis: quid opus nobis, tot librorum myriadibus oppreſsis, obtrudere etiam tua commenta? At quæſo aduerte, quiſquis es, uir optime. Voluptas hæc coniuncta eſt cum deſiderio bene merēdi. Quod ſi fructu caret labor, aut pulchritudine noſter hic fœtus: ſcito non minus uerum eſſe, quàm eſt tritum ſermone prouerbium, Suum cuique pulchrum. Et hic ſaltem meus communis error prodeſſe poterit, tuæ te admonens etiam philautiæ. Illic non uoluntatem (quæ optima fuit) ſed ſucceſſum accuſabis: & fortunam, quæ noſtro noluit reſpondere conatui. Nam neque omnes qui uerno tempore naſcūtur floſculi, pari pulchritudine depingun tur: nec ſi maximus rubentis ſuauéc̨ olentis roſæ uſus eſt, atc̨ honos, ideo tamen ex malua & aſphodelo non magna capi poteſt (ſi Heſiodo credimus) utilitas. Sed res ipſa declarabit. Hæc præmittere uiſum eſt, quia in tanta calumniantium multitudine procemio fuit opus. Nec dubito, me ueniā ab ijs petijſſe, qui etiam ex noſtris uigilijs fructum ſint aliquem percepturi. Sed ea eſt cōditio mortalium: & cedendū eſt neceſsitati. Nos ergo ad rem ueniamus. Librum hunc inſcripſimus DE ORATIONE: nam & de oratione eſt tota diſputatio. In cuius demonſtratione, eam rationem ſequutus ſum, quæ partes rei, tam quæ dicuntur ſubſtantiæ, quàm quantitatis & uirtutis, deinde genera & ſpecies omnes, nunc diuidendo, nunc rurſum componendo, uſc̨ ad elementa prima rimatur atque oſtendit: methodus (ut uidetur) omnium ἐπιστημονικωτάτη. Si quis

Dei oblectatio in quo potiſſ. exiſtimāda.

Voluptas cum bene merendi ſtudio coniuncta.

Operis huius inſcriptio.

de naui

de naui (exempli cauſa) plenè perfectéq; ſcripturus ſit, primò quidem, rudi accepta definitione, nauim eſſe dicet ligneũ ædificiũ, ſed cuius ligna clauis & ferro compingantur: dehinc partes nauis tanquam membra exponet, carinam, proram, puppim, malum, & ſimilia. Ex partium differentijs iam multas nauium formas inueniet, & ab alijs accidentibus alias differentias: quæ ſi diuiſione poſſunt certa conſiſtere, multo ſanè erit euidentior demonſtratio, & firmior ſcientia. Nec prætermittetur, quis uſus nauis ſit, atq; finis: qui'que nauis curam habeant, & facultatem, tam regendæ quàm fabricandæ. Sed hæc in noſtro libro traduntur omnia. Scribendi autem operis hæc fuit occaſio. Pullulante peſte in populo Dolano, ubi tum ſacras literas docebam, neceſſe fuit unà cum illuſtriſſ. Archiepiſcopo Veſuntino CLAVDIO A' BAVMA, Mecœnate meo amantiſsimo, Dolam relinquere. Et ne ſimul cum Academia Muſas quoque relinquerem, delegi mihi peregrinationis comites aliquot libros. Cum autem mulei ſcrinia omnia excuterē, ingreſſus Archiepiſcopus, ac ſibi etiam nonnullos deligens, caſu incidit in chartulas quaſdam diligenter (ut illi uidebatur) complicatas atq; ſepoſitas. Vt autem eſt rerum huiuſmodi curioſus, continere ſe haud potuit, quin uolumen explicaret, & quędam legeret: eaq; partim continenti deſcripta ſermone, partim lineis & figuris tantum in tabulæ modum digeſta. Ecquid igitur hoc eſt, inquit? En præcepta illa philoſophiæ rationalis, quæ toties commendaſti nobis. Sunt planè, reſpondi: Et piget me profectò CLAVDI mei ocij, quòd poſtquam literas ſeculares docere deſtiti, nunquam mihi ſpacium contigit ea retractandi, ut uel tu, uel quiuis alius melioris cupidus doctrinæ, compendio hoc poſſetis frui meis laboribus & ſtudijs ſuauiſsimis. At uerò ſi hæc ſunt (inquit) de quibus tam multa prædicaſti: quam ſperas occaſionem aliam meliorem explendi deſiderij, quàm hanc, quæ ſe nobis nunc offert neceſsitate? Nunc enim tibi aſsiduis iſtis prælectionibus immuni (quibus tanquam ad penſum aſsiduũ ſpectantem non licet cogitationem liberè uagari) per ocium & ſolitudinem omnia relegendi facultas & maturo iudicio caſtigandi ſuppetet, ſi quid diſplįceat. Et ut mihi nunc uidentur, omnia diſsipata, nulloq; ordine connexa ſunt: quæ in corpus unum coges, ac mutabis plurima. Atq; ita faſciculum illc aſſumpſit: Auferam, inquiens, ego mecum: neq; patiar equidem à blattis te abſente corrumpi. Si minus grata nunc futura eſt tuis Muſis ea meditatio, ut non inducas animum ad prolem maximæ indolis hanc efformandam: ſaltem mihi erit, unde argumenta ſumam, ſæpius ea de re ſciſcitandi. Nihil ergo reſtiti. Itaque Arboſij (ubi aliquandiu manſimus) nactus opportunum ocium, & familiarium quorundam doctiſsimorum

Libri huius ſcribendi occaſio.

Archiepiſcopi Veſuntini eruditionis ſtudiũ.

uſus conſuetudine (eſt enim tota Archiepiſcopi familia erudita: ut
facilè agnoſcas ex uirtute membrorum, capitis doctrinam atq; ſtu-
dia) ut iuſtæ petitioni obſequerer, chartulas illas cæpi: ac primùm,
quæ uidebantur iam ſatis probata & abſoluta, locos & capita qui-
bus tractari debent ſingulæ quæſtiones recognoui, & in unum uo-
lumen collegi. Deinde partes orationis forenſis: quas multis in lo-
cis reperi adnotatas. Huius enim loci cum præberetur mihi fre-
quens uidendi occaſio, etiam commentandi & adijciendi ſemper a-
liquid ſuccurrebat uoluntas. Ita abſolutiſsimum inueni, nec magna
opus dignum commentatione: niſi quod exempla ex literis ſacris,
quæ plurima congeſſeram (demonſtrationum inuentam paſsim
materiam) maximè in caput de probatione, omnia remoui: ſuffe-
ctis alijs, ut potuerunt animo ſuccurrere. Quod non hic ſolùm, ſed
ubiq; diligenter etiam caui, ne exempla huiuſmodi ulla apparerẽt:
ne temerè, ut fit, interpretandi anſam præbere uiderer, aut arripe-
re: quod uix ſanè contingit abſq; periculo lectoris, in argumento a-
deò multiplici. Poſt hæc confuſa erant plurima, in ijs præſertim,
quibus quæſtionum & controuerſiarũ genera deſcripſeram. Cum
enim eſſent hæc dialectica, & à rhetoribus tantum tanquam ſua tra-
derentur: uix poteram in certam poſſeſsionem mitti, ut quid tenen-
dum, quid rejciendum eſſet, prorſus haberem. Quapropter ab in-
tegro fuit hoc opus retractandũ. Cui rei non parum profuit, quòd
capita, quæ uocantur prima & finalia, diligentiſsimè aliquando
perueſtigata, omnia per genera & ſpecies, tanquam in tabula diſpo

Totius Operis diſpoſitio.

ſueram & depinxerã. Itaq; factus eſt nobis hic primus liber, in quo
principia, & tanquam elementa orationis declarantur: quæſtionis
inquam primò partes & genera: deinde mores hominum. Quæ-
ſtionis autem obiecta omnes tractant diſciplinæ: quarũ inſtrumen
tum unum Dialectica. Dialecticę ergo methodum paucis perſtrin
2 ximus in principio. In ſecundum librum coniecimus tractatio-
nes tam quæſtionum omnium, quàm morum: & duorum pręterea
generum orationis ciuilis œconomiam, laudationum inquam, &
conſilij. Nec prætermiſſæ computandi artes: nec cauſæ aliquæ aut
loci ex ijs neglecti, quos ueteres eorum quæ in iudicijs aguntur pa-
3 radigmata tradiderunt. Tertius, habet partes orationis maximè
omnium politicæ. Iam ergo ſubtilius reliqua, & φυσικωτέρως diſpu
tanda uenerunt, ut figuras & formas omnes loquendi perueſtiga-
rem: eaq; omnia quæ hactenus ſub infinitate relicta fuerunt à maio
ribus, in genera & ſpecies redigerem, & tanquam ſub proprijs ſi-
gnis collocarem. Itaq; genera orationum tam quæ in animo haben
tur, quàm quæ fiunt ore, diſtinximus: & quantum per occaſionem
licuit, demonſtrauimus philoſophicè: tum etiam præterea faculta-
tes na-

tes naturales huiuſce rei effectrices, quas in animo inueni: & diſci-
plinarum quæ de oratione tractant, quas'que logicas dicunt Græ-
ci, quatuor genera deduxi: fortaſſe παραδόξως, ſed non abſq; ratio-
ne. Hinc igitur ſumpto principio, ductus & figuras & tropos 4
ſenſim ex generibus, diuidendo rerum noticias, uſque ad minima
quæq; diſtinximus & definiuimus: non inſenſo (ut arbitror) pror-
ſus Apolline & Muſis. Atq; hęc quidem Quartũ & Quintum con
fecere. Quintus enim, cum de compoſitione, & tãquam ædificio 5
orationis tractet, & omnia ex illis petat quæ de oratione præcepi-
mus, quam dicunt mentalẽ: non alio nomine capita inſtituit diſpu-
tationum, q̃ figurarum. Atq; ita figuras omnes huius Quinti libri,
figuras appellare uiſum eſt ſtructuræ. Vbi de Grãmatica quædam
obiter & ſparſim, ſicut in fine Quarti: ſed non amplius, q̃ ratione
naturali probari poſſunt. reliqua à principio iam miſſa fecimus.
Sed hæc quidem hactenus particulas orationis examinant, non to
tam formam dictionis. Eſt quædam totius idea, quæ ex illis ſimul
coniunctis exiſtit atque apparet, alia uel eadem: ueluti ex diuerſis
coloribus picta tabula. De ideis ergo tractabit Sextus. Vltimus 6
eſt de decoro: ut poetę, philoſophi, hiſtorici, ac cęterorum demum 7
quicunque poſteritati cogitationes ſuas commendare uolunt. At-
que hæc ſumma huius operis. In quo & diluciditati, & maximè
ingenij noſtri naturæ indulſimus, cuncta diuiſionibus & definitio-
nibus atque exemplis preſſe exponentes. Nam neque fœcundum
adeò nobis contigit à natura pectus, ut excurrere atque illuſtrare
magnificentia ſententias (ſi quando res pateretur) ſemper poſ-
ſem: neque pulchritudini atque alijs delicijs figurarum inſeruire,
ut animum, ad quàm pauciſsima idoneum, multis cogitationibus
diſtraherem, qui totus uni demonſtrationi incumbens, uix etiam
ſufficeret. At bene habet, quòd argumenta philoſophica uix aliter
melius explicantur. Illud uerò, quòd Gręcorum uoces nunc ob-
latas uſurpem, nunc etiam latentes inquiram: candori tribuant po- *Græcarum uocũ uſus.*
ſtulo eruditi. Cum ſit enim omnis philoſophiæ & diſciplinarum
mater Græcia, neſcio quid etiam in uocabulis Græcorũ ſitum eſt:
ut quicunq; Methodo docere quippiam exorſi fuerint, quanquam
alijs (non Græcis inquam) loquantur, non citius tamen ad rerum
formas generáq; conuertant animũ, quàm ſi Græci idiomatis no-
menclatura ſe offerat: quam Latini ferè cupiẽtes diſsimulare, & (ut
loquuntur) ſermonẽ ſuum locupletare, ſubſtitutis pro arbitrio par
tim nouis nominibus, ſæpius autem improprijs (quod maximè Ci-
ceroni accidit) in obſcuritatem & affectationem incurrunt,
tam certè operoſam autoribus, quàm lectori-
bus non ferendam.

Quid

Quid oratio ſit, & à quibus exculta.

Caput primum.

Oratio quid. NEMO adeò rudis eſt, aut ab humanitate alienus, qui prorſus neſcire ſe arbitretur, quid ſit oratio. Nam ſi pauci definire poſſunt ſermone, omnes tamen quodã modo eſſe intelligimus, mentis indicẽ: nominaq́; & uerba, quæ tacitam cogitationem exponũt, & ſenſum animi. Qui precum obſcuro murmure numen adorant, & admiſsi ſceleris culpã deprecantur: quiq́; magna apud iudicem contentione, huius cauſam agentes, alios accuſant, & de iure atq; iniuria multa referẽtes, perſuadere conãtur ea quæ ſuſceperint demonſtranda: uel contrà ſubſellijs relictis, qui in concione populi magno uerborum ſenſuumq́; ſplendore uictorum laudes & ciuitatum encomïa decantant, res geſtas amplificando, & uirtutes pulchritudinemq́; uerbis, tanquam floribus & corollis uarijs exornando: ſi quis interroget, quid'nam rerum iſti
Orare. omnes agant, proculdubio reſpondebitur, orare, & eorum opus eſſe orationem. Vt enim à ſe differãt tam fine, quàm forma loquendi, tamen genus unum eſt: & oratione flecti ſuperos putamus, oratione iudices doceri, delectari oratione concionem. Et ſcitius quidem, mea ſententia, dixerunt Latini, oris rationem, quàm Græci λόγον: ſi uitium ſermonis eſt ambiguitas. Nam tribus illis intellectib.
λόγος. τὸ λόγου (quos refert in Theæteto) necdũ omnia cõplexus eſt Plato, quæ dari poterant: aut ſi complexus eſt, adeò tamen inuolutè, ut non modò alia uix queant inueniri ſufficienter perſpecta: ſed etiam propter affinitatem rerum innumerabilium, quas poteſt ea dictio continere, uno inuento ſenſu, tanquam hydræ uno abſciſſo capite, plurima ſeſe ſtatim offerant, eadem ratione nominis exploranda.
Ratio. Ob id toties abutitur Cicero nomine rationis: & inter ſacrarum literarum interpretes nonnulli fuerunt, qui mallent ſermonem dicere Latinè, quàm uerbum: quia non uidebatur Plato, cum hęc traderet, uerbum intellexiſſe, ſed id cuius partes eſſent uerba. Quanquã hic quidem ſequutus uidetur interpres Hebraicam uocem, cui iſta reſpondebat. Iam qui reſpectum uertunt, & relationem: qui ratiocinationem, colloquium, quęſtionem, diſceptationem, proportionẽ, cauſam, probationem, poteſtatem, exemplum, prouerbium, fabulam, nugas, æſtimationem, rumorem, famam, literas, doctrinã, propoſitum, & fortè alia ſexcenta (cum propria uocabula non deſint, quibus Græcè potuiſſent hæc eadem exponi) quàm latè pateat huius uis, nec unius orationis fine contineri poſſe, ſatis declararunt.
τοῦ λόγου uariæ ſignificationes. Quare, ſi notum fortaſſe eſt nomen orationis, non item τοῦ λόγου. Sed neq; oratio ſatis cognoſci poteſt abſq; logi perfecta noticia, cui

reuera

reuera ſubijcitur. Huius ergo rei omnium difficillimæ deſideraui-mus naturã ſcrutari:nec immeritò.Propria enim,pręcipuaq́ʒ hominis actio,oratio eſt.Quã qui præter cætera excoluere,ſemper habiti ſunt in magno precio:& uocati quidem aliquãdo ſapientes (hoc eſt σοφοὶ) antea quoqʒ uates,& poetæ: & penes hos rerum ſumma fuit,qui ſoli ſapere atqʒ intelligere ſupra cæteros uiderentur. Nam ſi cõſilium eſſet de rebus grauiſsimis ineundum: nulli melius utilia tam in commune quàm priuatim proſpicere poſſe deprehendebã-tur,quàm homines illi rationis atqʒ orationis amantes. Si oracula interpretanda, uel placanda ira Deorum:ſolis ſapientibus his uidebantur eſſe propitia numina,& ad eorum preces orationesq́ʒ reſpicere. Si de iure uel iniuria diſceptatio contigiſſet, adeò quod æquũ iuſtumq́ʒ eſſet perſpiciebant prudenter, ut non modò cuiqʒ quod ſuũ erat redderent,ſed cum omniũ gratia,conſenſuq́ʒ populari hos crimine liberarent,illos ſupplicijs afficerent,& pacem publicã tuerentur. De natura deniqʒ, de moribus,de doctrina,diſciplinisq́ʒ omnibus talia præcipiebãt,quibus uera à falſis diſtingui,& ſenſui communi ſatisfieri poſſet,etiam cõtradicentibus & repugnantibus contentioſis. Adeò ut uiſum ſit,leges & præcepta rectè uiuendi ab his conſcripta peti debere, geſtaq́ʒ populi fortia memoriæ mandanda ijſdem commendare, qui poſſent uirtutem ſcribendo uirorum fortium ab interitu atqʒ obliuione uindicantes, æternitati conſecrare.

Oratio præſtantiſſ hominis actio.
Cur ſapientes & uates dicti,qui orationẽ excoluere.

Atqʒ hinc quidem ortum aliud apud Hebræos nomen: uocati'que ſunt illi,qui apud Græcos ſapientes,& philoſophi,ſcribæ: quo modo Eſdras in ſacris literis ſcriba uelox dictus eſt. Cum itaqʒ tantus deferretur ſapientibus honos atqʒ autoritas, & tam ſingulari gloriæ ſtuderetur à multis:non defuerunt ſuo tempore poſtea,qui pręceptis ſuccinctis breuibusq́ʒ regulis docerent mercede ſapientiam, & ſapientes alios docendo facere promitterent. Hos deinde σοφιστὰς, hoc eſt,magiſtros ſapientiæ appellarunt.Nam licet initijs doctrinãrum (rudi adhuc mundo)dicendi omnes artifices poetæ nuncuparentur, quòd uerborum quodam ueluti penicillo omnia imitarentur ac redderent: nec tantum mentis cogitationem mouere, ſed etiam pedes & manus ad numerum pro arbitrio poſſent (erat enim tum uel maximè ſaltatoria poeſis:ijdemq́ʒ muſici, qui & poetæ)tamen paulatim numeris reſoluta oratio,cum lepôrem ac uenuſtatem cum dignitate iunctam non minorem habere deprehenderetur,carminumq́ʒ leges partim rebus ſacris deſtinatæ fuiſſent, partim etiam uoluptatibus hominum ſeruire permiſſæ: tunc ſapientum prima illa autoritas ſequuta eſt, & gloria, ut qui ſoli ſapere à multitudine iudicarentur, σοφοὶ etiam dici meruerint, eius'que ſapientiæ magiſtri σοφισταὶ. Tunc Euathlus artem edidit decem mi-

Scribæ dicti apud Hebræos.
Sophiſtarum ortus.
Dicendi artifices primò poetæ dicti.
Euathlus.

libus

Gorgias. libus numûm,& Gorgiæ ſtatuam auream poſuit in templo Apollinis Græcia. Sed quoniam inanis oſtentatio ſine uera gloria uiolenta eſt,nec poteſt uiolentum quicquam eſſe diuturnũ:cum ijdem illi qui ſapientiam profitebantur,nihil minus docerent:ſed occupati in argumentorum fallacijs & captationibus uerborum,quæſtionumq́ꝫ tricis fucum magis traderēt, quàm ueram eruditionem,aut ſapientiã,dedecori dari cœptum nomen eſt tam ſophi,quàm etiam *Rhetoris nomẽ quãdo cœperit.* ſophiſtæ,quibus & operã dari puduit.Quare pro ſapientibus rhetores dici maluerunt, & à uerbis ducere uocabulum. Verba enim docẽt rhetores arte perquirere,& ad aurem ſcitè modulari.Quorũ *Rhetores eiecti urbe.* ſi induſtria non ſemper laudi fuit, & eiecti urbe rhetores Fannio Strabone & Valerio Meſſala Coſs. quin de ijſdem Cn. Domitius Aenobarbus,L. Licinius Craſſus Cenſores edixerũt, uti Romæ ne eſſent:nunquam tamen non fuit penes difertos atqꝫ prudentes uiros rerum ſumma adminiſtratio , atqꝫ imperium : qui quæ maximè eſſe in rem populi noſſent,dilucida probabiliq́ꝫ oratione demõſtrarent. Nec diu quidem ſtetit cenſorum contra rhetores illa lex. nam recepti poſtea ſunt Lucius Plocius Gallus, & Voltantius, ut dicendi artem in urbe profiterentur, omnium quas humana indu*Rhetoricæ laus.* ſtria excogitare potuit præſtantiſsimam. Etenim oratione ſola diſtinguuntur homines à brutis: & eloquentia doctum uirum ab indocto,tanquam à pecude ſeiungit, & inter homines regnare ueluti Deum quendam facit. Quam ob cauſam non immeritò de arte dicendi & diſſerendi, atqꝫ adeò de oratione tam multa inueniuntur: & quo quiſqꝫ plura aſſequutus ea de re ſibi uiſus eſt,eo etiam plura tum dicẽdo,tum etiã docendo ſemper tradere geſtiuit. Teſtes ſunt quamplurimi in utrancꝫ partem. Quãquam non ijdem ſemper æquè ingenio atqꝫ doctrina polluerunt,aut contrà. Siquidem perfe*Orationis facultas quibus paretur.* ctæ orationis facultas(ut cætera omnia)natura, arte, atqꝫ exercitatione conſtat. Ars quidem naturam imitata eſt, ſed exercitatio artem ſequuta. Hinc etiam contigit, ut in qua quiſqꝫ parte uel obſeruatione uel ingenio ſe maximè præſtare arbitraretur, in eam ſe totum dederet,& operæ ſtudijq́ꝫ maximã partem ibi collocaret.Hoc *Primi artis dicendi ſcriptores.* pacto diligenter tractarunt Theodorus Byzantius locos probationum, Euenus Parius encomiorũ excurſus & ſubdeclarationes. Polus docuit uerborum geminationem, & concinnitatem : Lycinnius ſplendorem:Chalcedonius affectus : communes locos Protagoras,Gorgias, Prodicus, Thraſymachus. Poſt hos, de ratiocinatione ſcripſit Ariſtoteles,& de moribus : de enthymematib. Theophraſtus:de ſtructura orationis Demetrius, & ideis : de capitibus controuerſiarum Hermogenes : de partibus orationis Hermagoras : de compoſitione & partibus orationis demonſtratiuæ Hali-

carnaſſeus:

carnaſſeus: de cauſis rhetoricis (quas ἀφορμὰς nuncupauit) Alexander Numenius: de probationibus & procœmijs, Apſines: de conſilijs, Emporius: de omnibus aliquid præcepit Plato, ſed præcipuè uoluit, ideas differentes exemplis docere, ſicut & Iſocrates concinnitatem, & theologi ueteres chriam, locosq́ communes paræneticè: Origenes uerò allegorias. Atq; illi quidē inter Græcos inſignes habentur: ut omittam Latinos, præſertim noſtræ memoriæ Rodolphum Agricolam, Eraſmum, Iacobum Strebæum, Sturmium, Pinum, Omphalium, Cælium Secundum, Ramum, Foxium, & alios ſexcentos partim amicos noſtros, partim præceptores & condiſcipulos, partim etiam ſectis atq; opinionib. à nobis ſeparatos. Quorum quidem alij melius dicere quàm præcipere poterūt, ob rerum uſum, & memorię felicitatem: alij rurſum acuti magis quàm facundi, exponendis præceptionibus quàm exercendis plura ediderūt. Quintilianus rem aggreſſus magis expoſitam, uitia quę in dicendo committi poſſunt notauit: nec uirtutes præcipere aut docere, ſed noſſe uideri uoluit. De Cicerone autem quid ego ſentiam, frequēs in ſequentibus uiri mentio declarabit. Interea tamen hunc contendo aliter quodam in loco affirmaſſe, quàm eſſet ſibi conſcius, cum dixit: Quidam ingenio plus ualuerunt quàm doctrina, itaq; dicere melius quàm præcipere potuerunt: nos contrà fortaſſe poſſumus. Nam ſi doctrina multum potuit Cicero, omnia tamen diuino illo ingenio, quo pollebat, potuit. Cuius felicitatem cum agnoſceret, eam ocio aut inertia torpere nequaquam paſſus, aſsiduo laboreatque ſtudio ita ſemper exercuit, etiam ad extremum uſq; ſpiritum, ut ſpem omnem poſteritati ademerit ex eloquentia nominis atque gloriæ. Nos ergo ſolam hoc Opere longi temporis obſeruationē promittimus: & demonſtrationem eorum, quæ nos in tantam admirationem induxerunt orationis, ut præ eius cognitione omnes alias artes & ſtudia mortalium contempſerim: ex hac una omnes alias diſciplinas pendēre ratus, quęcunq; arte ac demonſtratione naturali conſiſtere uiderentur. Quam certè obſeruationem cum ubique & omni ex parte ſibi conſtare deprehenderem, etſi eiuſdem generis tanta multitudine ſcriptorum deterreri potuiſſem, tamen malui periculum hoc ſubire reprehenſionis, modò mecum ipſe ſcirem quid præſtiturus ſim: quàm ſi unius uel alterius grammaticuli, aut alioqui ſcioli cenſuram ueritus, perire ſinerem, quæ magis ad communem uſum, quàm propriam laudem non modò uera eſſe obſeruaui, ſed etiam neceſſaria.

Quintilianus quæ docuit.

Ciceronis laus.

Autor ipſe quid pollicetur.

Scientiæ quæ tractant de oratione, quomodo inter ſe differant. Cap. 2.

Quatuor ſcientiæ circa orationē uerſantur.

Ex ĳs igitur quæ diximus, & quatuor illis nominibus profeſſorum, qui orationis ſtudio dediti fuerunt (poetę inquam, ſophiſtæ, oratoris, & ſcribæ) quatuor artes ſcientiæq́ꝫ inuētæ ſunt orationis: quas dum inueſtigamus, nunc popularius & rudiori exemplo dicemus: Grammaticā, Dialecticam, Rhetoricam, & Poeſin. Quid autem inter eas differat, ex finibus ſingularum intelligemus.

Officium Grāmatici.

Munus enim Grammatici atq́ꝫ ſcopus eſt, poſtquam legere & ſcribere docuerit, ex uſu loquendi ſic adaptare uerba, & componere inter ſe, tam loquendo quàm ſcribendo, ut ſenſus animi declarari poſsint, & intelligi. Et partes doctrinę facit, orthographiam, proſodiam, etymologiam, & ſyntaxin. Orthographia quidem & proſodia tam linguam efformant, quàm calamum: licet in uoce tantum ſit Latinis proſodia. Etymologia caſus tradit uerborum: ſyntaxis rationem, quam haberi oportet in horum regimine & conſequutione. Sed Grammaticæ inſtitutionē nullam hic expecta: quandoquidem de ratione orationis & natura in uniuerſum dicturi ſumus, non de Græcorum uel Latinorum dialectis & proprietatibus: quia literatorum ars pro cuiuſq́ꝫ gentis idiomate diſtincta eſt, & diuerſa: nec à natura proficiſcitur, ſed ab arbitrio eorum qui primi ſic loquuti inueniuntur. Quanquam poſtea in ſubſidium analogia ſequuta eſt, quæ naturam quantum poſſet imitaretur. Sed tanquam ancilla τῆς συνηθείας, ita concepta eſt ars omnis literatorum ex memoria rerum contractarum, atq́ꝫ comparatione.

Dialectici.

Dialectica altius aſcendit. in hoc enim incumbit, ut de ueritate orationis uel mendacio iudicemus, quacunq́ꝫ illa arte atq́ꝫ artificio confecta ſit. Iudicium pręterea ueri & falſi probare docet, ſi contingat ab alio contradici. Nam per rerum ſimilitudinęs & differentias, nunc unum in multa partitur, nunc multa in unam ſpeciem ideamq́ꝫ colligit: ut nunc ſpecies multas ſub unum genus, & rurſum genus unum in ſpecies uſq́ꝫ ad indiuidua ſecernat atque dĳudicet. Partes itaque duas habet: Topicen & Syllogiſticen. In illa ſimplicium terminorum uires exponuntur, quatenus uel genera ſunt, uel ſpecies, uel differentiæ, uel accidentia: & complexorum, ut definitionis, diuiſionis, enunciationis, & oppoſitionis ſentētiarum. Vnde exiſtit altera, quæ componendo uel ſeparando atq́ꝫ reſoluendo ex hypotheſi ad hypotheſin deducit, contradicentem: atq́ꝫ adeò uerbis conſtringit, ut uel fateri cogatur id quod negabat, uel negare id quod fatebatur. Atq́ꝫ hæc quidem ars Dialectica, niſi magis induci & quaſi rogari uellent homines q̄ꝫ cogi, planè ſufficeret ad omniū rerum demonſtrationem: ut meritò etiam ſit ab Ariſtotele dicta inſtrumen-

ſtrumentum: qua ſine, nulla poteſt doctrina, nulla tradi ars. Sed quęcunque diſciplinæ ratione atq; oratione traduntur, omnes certè dialectica ſubſiſtunt. nec Grāmaticus aliter grammaticam docet quàm dialecticè: & Iuriſperitus de iure atq; iniuria non aliter diſſerit, quàm per ſimilia & diſsimilia, per unum & multa. quòd ſi Grammaticus aliquando ſuam artem commendat, uel hortatur diſcipulū (quod ſępe fit) perinde quidem agit atque cum pueris dat cruſtula, ut ultrò doctrinam amplectantur. Et alij technologi cum uerborū ſplendore aut alijs delicijs ornant ſermonem, ſimile quid agunt medicis, catapotia integentibus auri folijs, aut melle intingentibus pocula circum. Sed hoc non ut medici quidē faciunt: alterius artis munus eſt. Quia finis medici erat, corpus munire: in hoc uerò, ſenſum fallere. licet finis ſub fine, & unus ad alterum tenderet. Quamobrem ſufficeret (ut dixi) ad demonſtrationem artium ſola Dialectica, niſi magis rogari uellemus quàm conuinci. Sed arrogātia hominum, qui multa quæ ignorant uideri nolunt ignorare, & ęgrè ferūt doceri, pręſertim ab his qui nihil uidentur plus afferre quàm ipſi uiderint (nam Dialectica adeò eſt naturalis & ingenita mortalibus, ut ubi eam didiceris, nihil te amplius didiciſſe reare, quàm nomina rerum quas antè ſciebas, res autem ipſas in memoriam tantum reuocaſſe) alteram inuexit diſciplinam, non minus quidem iucundam q̃ utilem, quæ tanquam condimentis quibuſdam præparatas rationes dialecticas apponeret: ut nō tam probare quàm ſuadere, nec tā docere quàm adulari ac palpare uideretur. neq; enim aliud quidem agit rhetor. Mutuatur itaq; Rhetor à Dialectico duas illas partes, inuentionem & ratiocinationem: quibus ille tanquā ſtylis exiguis punctim feriebat. ſed addidit hic de ſuo armorum apparatum, & ſplendorem, cum decenti motu corporis, & ſtudio bene agendi. Has partes nuncuparunt Diſpoſitionem, eloquutionem, pronunciationē, & memoriam. Debuit enim orator non tantum intelligentiam auditorum afficere (quod Dialecticorum eſt) ſed etiam facilè afficere: quod ordo pręſtat partium orationis, in exordiendo, probando & concludendo. Nec intelligentiā ſolum debuit informare, ſed etiam uoluntatem, motusq; ipſos animorum, qui uarij ſunt, & rationi ſæpe obluctantes, regere & pro uſu moderari. quod maiori indiget molimine. Itaq; licet idem finis ſit utriuſq;, docere ſcilicet & perſuadere: tamen expertus rhetor maiores ſucceſſus, maioremque laudem adeptus ex motu animorum quàm ex doctrina: relicto illo primo inſtituto, ad quod ratio omnis atque oratio deſtinata erat à natura, aliò diuertit: ad illudendum inquam animis auditorū, atque aſſentandum. Non aliter culinaria exculta eſt: quæ, cum ciborum præparatio antea requireretur ad fallendum appetitum, & Rhetoris.

uitam producendam, ſæpe nunc lædit uoluptate ualetudinem.

Poeſis. Poeſis autem per occaſionem eſt inuenta. Experti homines aliquando, orationem poſſe numeris contineri: admiratiq́; in conuiuijs & celebritatibus, nonnullos ad numerum uerborum cum elegantia geſtientes atq; ſaltantes: non infelicem putarunt operam, ſi leges, hiſtorias, & alia præcepta philoſophiæ, quæ ad poſteros tranſmitti oporteret, cum harmonia rhythmi alicuius, uerborumq́; numeris conciperetur. Sic poeſis primùm numero ſeparata eſt ab oratoria, & oratoria ab hac memoria & pronunciatione: eſt enim ſita in actione potiſsimum. communes in reliquis utriq; erant diſpoſitio & eloquutio. Atq; hę quidem quatuor artes circa orationē omnes occupantur: Grammatica quidem, ut imitetur ac referat uerba ex uſu communi: Dialectica, ut de ſenſu uerborum uero uel falſo iudicet: tertia, ut uerborum ſenſuumq́; facultatem & copiam pariat, dicendiq́; etiam in cœtibus populorum peritiam. Poeſeos autem munus primum fuit, uerba ad numerum componere & modulari. ſed poſtea aliud accreuit: res nec ueras, nec uериſimiles, probabilitate dictionis atque ſplendore enarrare. Aliæ igitur quæcunque artes ſermone utentes, ut Arithmetica, Geometria, computatoria, luſoria, etſi per ſermones quidem fiant: & medicina etiam, cum diſſerit qua ratione corpus curari oportet: & imperator, quoties militem hortatur: ſed non de ſermonibus diſſerunt, aut præcipiũt. Dialectica uerò, & tres aliæ, non modò traduntur per ſermones, ſed de ſermonibus præcipiunt maximè, & ſermones tantum ſpectant. Et meritò quidem reprehenditur Gorgias à Platone, quòd eos qui ex inſtituto artes alias didiciſſent, inferiores eſſe rhetore aſſeueraret. Parum quidem eſt ſermonis formas tenere, niſi ſcias quibus de rebus ſermo habeatur. Simile quiddam mihi uidetur paſſus Gorgias, ac ſi frenorum & calcarium atq; ephippiorũ artifices, ideo ſe equitandi peritiſsimos & belligerandi dicerent, quòd equites alij ſua opera indigeant, nec ſine inſtrumentis huiuſmodi ab ſe confectis equos agere aut domare poſsint. Quid magis ridiculum? Artes dicendi, artes ego inſtrumenti puto ſcientiarum: ut ratio omnium artium ars quædam eſt, & manus omnium inſtrumentorum inſtrumentum. Sed cum orationis optimæ cuiuſq; facultas ex tribus illis fontibus manet, natura, arte, atq; exercitatione, uti & quæuis alia: profectò niſi ad rem propoſitam cum iudicio ars accõmodetur, atque arti uſus inſeruiat (quod latè pateat ea definitio) parum lucis habitura ſit, aut utilitatis, noſtra diſputatio. Atq; hæc quidem ratio me induxit, ut quoad eius fieri poſſet, nunq; à doctrina & pręceptis cõmunibus recederē: ſed quæ paſsim in ſcholis & apud doctos iam uſu trita aſsiduo ſunt, eadem ego nõ modò reponerē, & tractarem ſępius, ſed etiam commendarem.

Dicendi

Dicendi uis quinque partibus continetur.

Cap. 3.

ERGO ut à communi uulgariq; præceptione ordiamur: quemadmodum alij fecerunt plerique, ita & nos uim dicendi quinque partibus diſtribuemus. In'que ſingulis earum triplex illa exigetur. Nam inuenire niſi ſagax natura non poteſt: locos autem inuentionis qui didicit, plura profectò minori labore oſtendet, quàm alius. Quod ſi diu multumq; inueſtigando ſimilia laborauerit: quid quæſo hūc tandem latêre poſſit? Atque idem eſto iudicium de cæteris: diſpoſitione, elocutione, memoria, & pronunciatione: quorum omnium parens & magiſtra natura eſt, in quemq; plus minus'ue liberalis: ſed dehinc induſtria multas aduertente commoditates, cum aſsiduo peruigili'que labore atq; meditatione, oratio effecta eſt omnes (ut dicitur) numeros in ſe complexa. Sed ut naturæ munus eſt ingeniū: ita ſtudium operamq; auditor adhibebit. Nobis tantum doctrina relicta eſt. In qua tamen hærere diu non ſolum arbitror inutile, & eorum laborē qui in his ætatem terunt, non minus uanum, quàm earum quas apud inferos fabulæ narrant dolium pertuſum ſemper implere, nec quicquam proficere: ſed etiam maximè incommodum tam ad eloquentiam quàm ad prudentiam, & ad aliarum artium acquiſitionem: cum ſit tamen oratio prudentiæ & doctrinæ uniuerſæ unicum inſtrumentum, & ratio. Non enim ex rhetorum officinis dicebat Tullius ſe, ſed ex Academiæ ſpacijs extitiſſe. Minuta illa præcepta, tricas & impedimenta ingeniorū puto, donec in lucem & uſum aliquem non proferuntur. Eſt ergo in præceptis ſita doctrina. Et nos eam non tam præcipiendo, quàm inueſtigando, in genera & partes ita diſtribuemus: ut demonſtratione conſtet, & ſimpliciſsimis inductionibus atque exemplis (quod ſæpe multi conati ſunt) quicquid ad rationum primò inuentionem requiritur, deinde ad orationis compoſitionem. De memoria & pronunciatione nihil dicemus. Quid enim ijs addi poſsit, quæ à Cicerone & Quintiliano extant, certè non uideo. Et hæc quidem magis ſcenica eſt, & mimica, quàm diſerta: illa paucis locorum atque imaginū indicijs, & quaſi picturis traditur: & utriuſq; tractatio multa admittit tam ſuperuacua, quàm etiam puerilia. Nos de oratione ipſa, & natura eius inquirimus, quæ poteſt abſq; oratore etiam omni ſubſiſtere. Diſpoſitio autem, etſi locum ſibi deligere ſeorſum poterat, & in partium orationis traditione in primis tractari: tamē quia nec unus tantum ibi partium ordo præſcribitur, ſed etiam natura partium omnium quæ cuiuſque ſit declaratur: & in ſtatuum confirmationibus, partibusq; cōtrouerſiarum ſparſim & unà cum locis ipſis &

Vis dicendi 5. partib. diuiditur.

De pronunciatione & memoria nihil dicturus eſt.

Ex facultatibus orationis duas ſibi tractandas aſſumit, inuentionē & eloquutionem.

& capitibus, quo quæq; ordine ac ratione digerantur, Deo propitio perſequemur: reliquæ idcirco nobis factæ ſunt duæ tantùm ex quinq;, inuentio & eloquutio. Quarum illa quidem rerum eſt, atque rationum prudens ſedulaq; inueſtigatio: hæc uerò effectrix aptæ atq; ornatæ dictionis.

De ſubiecto & materia orationis.

Cap. 4.

INVESTIGATVRIS ergo nobis quid oratio ſit, quomodo fiat, & qualis eſſe debeat: uidendum primo loco eſt, ex qua materia tanquã formetur, & in quo ſubiecto rhetorica & alia quæuis orationis ars atq; facultas exerceatur. Eſt enim aliquod non ſolum obiectũ huius artis dicendi, quod ſpectamus: ſed ipſius formæ quædam materies, ex qua ſpecies ipſa pulcherrima, quaſi idolum quoddam exprimitur ψυχαγωγὸν: tantæ quidem uirtutis ac precij, quod uulgò expoſitum gratiam demeretur: oblatum principibus, amorem & honores.

Quæſtio, mores & animus auditoris, obiecta orationis.

Obiectum, ne diutius inquirendo te detineam, duplex eſt: quęſtio, & mores. materia inquam, & ſubiectum proximum: obiectum uerò remotius, mens animusq; auditoris. Ideo qui ciuiliter (exempli cauſa) de re aliqua diſputaturus eſt: eum oportet propriam cuiuſq; naturam & mores, animiq; ſtudia omnia tenere, ut ad ſingulos, pro ingenio atque uſu rei, accõmodet ſermonẽ. Nam quo pacto medici ſcopũ pręfigunt ſanitatem, eam ſcilicet aut tuendam, aut efficiendam: totis tamen diebus in cognoſcendis miſcendisq; ſunt ſalubribus & inſalubribus, cùm ſignis tum remedijs, omnia ad humanũ corpus, quod ſibi propoſitum & ob oculos ſemper habent, referentes: ſic orator res diuerſas & uerba inquirit, & quaſi commiſcet, ut ſimile quippiam efficiat in propoſita quæſtione, & ſenſu auditoris: qualę medicus in propoſito morbo, aut corporis habitu. Ob eam rem Ariſtoteles dicendi artem eam, quam rhetoricam appellamus, dialectices ἀντίστροφον, hoc eſt, ex altera parte reſpondentem, & ſimilem, in eodemq; quaſi fine concurrentem nominauit.

Rhetorica & Dialectica ſimiles. Res & uerba, orationis materia

Hac eadem cauſa materiam omnes ei ſubijciunt, res & uerba: nec immeritò. Quoniam nihil omnino eſt non modò reuera, ſed etiam fictione animi, quod in quæſtionem non poſsit uerti, & problema ex ſe ipſo facere, quod eo modo illisq; uerbis exponi oporteat, quibus explicatum eſt, aut dictum, multis aut paucis, tam quærendo, quàm narrãdo, probando atq; amplificando. Nam ſi quærat aliquis, fuerit'ne bellum Troianum, & quale fuerit, cuius'ue cauſa: tota propterea ſcripta eſt Ilias Homeri. Exhortationes pręterea, querimonię, petitiones, atq; alia id genus, nullam quæſtionem tractant, ſed animi tantum propenſionem effutiunt. Atque hoc quidem modo orationis materia,

res

res & uerba erunt: res uerò in quæſtionẽ & mores partiemus. Sed alia fuit ſemper notio atq; intellectus apud ueteres huius artis, cui orationẽ in genere nos hoc Opere ſubijcimus, & eius quam ſpeciali nomine rhetoricam appellarunt: quæ magiſtra eloquentię copiosè ſapienterq́ue dicentem multitudini commendat, & in cõtentione dominatur. Nam ſi profeſsorum ratio, quemadmodum expoſui, diuerſa eſt, neceſſe eſt & facultates inter ſe differre. Quid uerò tam diſsimile, quàm habentur orator & poeta? hiſtoriographus & philoſophus? nomotheta & mathematicus? fori interpres & dialecticus? & hi omnes inter ſe? Tamen nulli dubium, quin omnium horum unum eſt opus, & perpetuum, oratio. Et mehercule quemadmodum ineptè dixerit, qui eos omnes una nomenclatura poetas compellarit, aut oratores: ita, niſi fallor, abſurdũ omnino eſt, unam omnibus artem rhetoricam tribuere, & in maximas anguſtias facultatem alioqui latiſsimè uagantem cogere atq; redigere. Quod ſi Euclidem in ſuis elementis, aut Vitruuiũ in architectura, quòd ij figuras uerborum in dictione & compoſitionis ab oratoribus mutuati obſeruẽt, ideo quis oratores aut Græcè rhetoras appellet (cum ſint eadem in poetis multo quæſitiora) aut una omnes ratione poetas exiſtimabit, aut certè non magis oratores quàm poetas. Si uerò eſt ſua cuiq; uis, propriaq; materia, nec minus in componendis, uiaq; & ratione quadam digerendis cogitationibus ſuis exercitatum eſſe oportet nomothetam ac philoſophum, quàm oratorem: conſtat igitur, aut non eſſe rhetores, qui uulgo habentur: aut aliam quandã eſſe orationis fabricandæ uim, quam ſic oportet à rhetorica ſeparari, ut cuius ratio plura complectitur, & latius patet. Nihilominus tamen, quia trito iam multo uſu uocabulo, præcepta omnia orationis, pręcepta rhetoricæ appellantur: nec aliud magis proprium ſuccurrit: non reijciemus nos, ſi quando ſe offeret, atq; uſuueniet, uſitatum ſermonem.

Non rhetoricę ſolum eſt oratio, ſed alterius cuiuſdã facultatis, patẽtis latius.

Quæſtionum diuiſio. Cap. 5.

NON ergo ſimplex eſt huius artis finis, & (quod multi exiſtimarunt) perſuadere: niſi fabulę expoſitionem ab eius familia expellas, & definiẽdi artem à Dialectica: ſed, ut arbitror, primùm docere auditorem: deinde, ſi opus eſt, mouere. Omnis oratio aut ad cauſam explicandam adhibetur, aut ad mouendum auditorem, aut ad mores oratoris commendandos: commendatio uerò morum dicentis, beneuolentiam conciliat auditorum. Hæc itaque partim in quæſtione exponenda conſequitur (ſiue ea ciuilis ſit, ſiue naturalis) partim in affectu. Sunt enim quæſtionum ueluti iuga & communes rationes (quod hoc loco declarari iam neceſſe eſt) quinque. In quorum primo ſit

Artis dicendi finis.

Quæſtionũ genera quinq;.

 nunc,

nunc, ciuilis (quæ Græcè πολιτική dicitur) & naturalis: in ſecundo, finita & infinita: in tertio, una, uel ſimplex, & coniuncta: præterea quarta coniugatio, abſolutæ erit & comparatæ: quinta, conſiſtentium & non conſiſtentium. Sed de his ultimis paulo poſt ſuo loco: nunc quæ Ciuilis dicatur, & quæ'nam aliæ, paucis dicam. Ciuilem eam definimus, de qua putat unuſquiſq; ex communi ſenſu ſe poſſe iudicare. ut, An expediat reipub. ex plebe conſules creari: an morte puniendum adulterium: an cuipiam ducenda uxor. Cum uerò præcipuus rhetoricæ uſus in ciuili quæſtione conſumatur, iccirco pleriq; ex ciuili tantũ quæſtione definiere rhetoricam. Nobis patet latius. Naturalem dicimus, quæ à ſenſu communi remota, ad ueritatem ſolam, & rerum cognitionem ſpectat: ut ſunt Theologiæ ſpeculatiuæ, mathematicæ, & quæ propriè phyſicæ, id eſt naturales dicuntur. ut quærunt Theologi, an fidei poſſit ſubeſſe falſum: Mathematici, cur dupla non diuiditur æqualiter, ut quadrupla in duas ſimiles: Phyſici, quid ſit motus, unde generentur morbi, an detur infinitũ, & ſimilia. Finitam autem, cum in problemate ex circunſtantijs perſona definitur, aut res: contrà infinitã, generalem. Græci nuncupant hanc quidem theſin, illam uerò hypotheſin: Cicero ſuperſtitioſius controuerſiam & cauſam, ut theſin propoſitum & conſultationem. Infinitæ exemplum ſit, An expediat uxores ducere: finitæ, An expediat Catoni. Vocat hãc Hermogenes, Ad aliquid. In ſimplici præterea quæſtione unum exigitur. Coniuncta diſſoluitur in plures: ut ſunt, repetundarum, ubi utrunq; parentem interfecit. Abſoluta, ut, Clodius fecit inſidias Miloni. Comparata, uter utri fecit inſidias: An fortior Achilles Hectore. Atq; hæc quidem genera quæſtionum. Quæ licet natura ipſa qualia ſunt, ſic ſe offerunt oratori: artis tamen eſt ex uniuerſali facere particularem, ex infinita finitam, ex ſimplici coniunctam, & ex alijs alias: ut auditoris tædium, ſenſuum uarietate redimatur.

Quæſtio ciuilis quæ. *Quæſtio naturalis quæ.* *Quæſtio finita & infinita quæ.* *Simplex & coniuncta quæſtio quæ.* *Quæſtio abſoluta & comparata.*

De circunſtantijs. Cap. 6.

SCIENTIAM rerum omnes inueſtigant per rationem, quæ uel ex notis quibuſdam & ueſtigijs, proprijsq; accidentibus generum ſeparando ſpecies, unam certam exploret formam, & definiat, quam ſcire uolunt: uel ex partibus omnibus ad compoſiti totius ſubſtantiam & cognitionẽ deducat, ſingula elementa demonſtrans, ex quibus res ipſa componitur. Ita Heſiodus modo quodam definire uiſus eſt currus ſubſtantiam, cum dixit, ἑκατὸν δέ τε δούραθ᾽ ἁμάξης: quaſi currus aliud non ſit q̃ centũ ligna. Sed ſi magis propriè & certius definire oportuiſſet, dixiſſet ſanè in curru eſſe rotas, axem, tabulas, ſemicirculum & iugum, atque ex his conſtare eius ſubſtantiam. Et Grammaticus ſi doctorus

docturus ſit huius nominis Socrates primam ſyllabā, literas S & o primùm docebit, & quam uim habeant: poſtea componendo, s & o, faciet ſyllabam, So: quæ nihil eſt aliud quàm duę illæ literæ cōiunctæ. hanc rationem nos poſteriorem, ut magis facilem, in principio tenebimus, orationis propriam uim & naturam inueſtigantes. Poſtea ſuo loco alteram nō omittemus, ubi de ea magis phyſicè diſputabitur. Quoniam igitur omnis quæſtio, rei alicuius eſt quæſtio, & orationis materiam eſſe diximus res & uerba: operæprecium eſt, (omiſsis interea pauliſper uerbis) tanquā in tabula oſtendere, quænam res in quæſtionem atq; orationem ueniunt, non elementa modò eloquentiæ, ſed etiam uniuerſæ ſapientiæ principia atq; ſupellectilem: quotq; numero ſint, & quomodo diuidantur. Principia quidem orationis, & res ex quibus tanquam materia hæc componitur, nonnulli elementa nominarunt, alij capita: ſunt qui diſtinctè alia particulas, alia capita, alia circunſtantias: Portius Latro metaphoricè ſupellectilem. Sed non multum refert, quo ea nomine appellentur, modò quid ſit de quo loquimur intelligamus. Verùm, ne poſthac (quod ſæpe euenit) ex uocum homonymia noſtra hæc præceptio laboret, ut certius quæque percipias: nos deinceps ita ſermonem coarctabimus, ut per elementa ſeu circumſtantias ubique perſonam, rem, cauſam, tempus, locum & modum, nec aliud quicquam intelligi uelimus. Et hæc omnia modò dixi res, cum orationis materiam in res & uerba conieci. Capita uerò diſtribuentur in tria genera, cum ſe offeret occaſio, ut prima, ultima, & generalia. Nunc illud intelligendum eſt, mutuari nos à Dialectico omnia hæc principia: ab eo nimirum, qui locos inuentionis tradit. qualia hæc quæ dixi circunſtantias, & quæ ſuo loco dicturi ſumus capita. Reliqua hic aſſumentur, ſicuti apud Mathematicos, quæ illi uocant Poſtulata. Sunt enim nomina, finitionesq; & intellectus, qui ſanæ mentis fuerit, nulli non faciles & obuij. Itaque de circunſtantijs (quas Græci eodem ſenſu περιςάσεις) non multa præcipiam, ut de quibus innumeri ſcripſerunt: ſed propoſita quaſi figura, & indice tantum ad fontem protenſo, ſingula in ſuas ſpecies partesq; ſeparabo: ut quæ à multis dicta ſunt ſparſim & non uno modo, omnia ſimul & uno obtutu conſpicias.

Principia ſiue elementa orationis.

Capitum generatria.

De perſona. Cap. 7.

CLARISSIMOS igitur autores ſecutus, elemēta feci ſex: quorum primum erit perſona, cum ijs quæ perſonam comitantur. Hęc tribus locis diſtingui ſolent: quę dicuntur bona fortunæ, corporis, & animi. In fortuna primùm ea ponimus, quæ naturam pręceſſere: ut genus, patriam, gentem. Tum uitæ inſtitutio ſequitur (Græcis ἐπιτηδεύματα) ut quibus

Bonarum rerum tria genera.

Fortunæ bona.

BIBLIOTECA NAZ. BONA

bus ſtudijs iam inde à puericia ſit delectatus: quomodo & à quibus
inſtitutus atque educatus. Poſt hæc ſunt cōiuncta: ut opes, poſſeſſio-
nes, imperia, magiſtratus. Ex quibus quarto loco fortunę tribuun-
tur neceſsitates: ut ſunt liberi, cognati, amici, ſerui. Atque hæc quidē
Corporis bona. fortunæ. Corporis autem bona numerantur, ualetudo, forma,
robur, celeritas: item ſexus, ætas, uitæ longitudo: & quæ hæc ſequū
tur, mors, mortiſque pericula, atque æternitates. In bonis uerò animi
Animi bona. multo amplior eſſe ſolet locorū diuiſio. Hic enim primùm ponun-
tur uirtutes & uitia, omneſque animi cōmotiones & habitus, cupidi-
tateſque: deinde actiones, ut dicta facta omnia quæ extāt uel periere,
fortia, magnifica, prudentia. tertiò laudes, quæ rebus geſtis antè
uel pòſt tributæ ſunt. Et hæ quidem uel ab oraculis, uel à uulgo, uel
à uiris optimis. Obſeruanda quoque præmia uirtuti conſtituta.
Sæpe nomen ipſum uenit in laudem, ſępius etiam in uituperium et
cauillum: ut nomen Verris, Aenobarbi. Quæ omnia ſi antè quàm
naſceretur extiterunt, magna eſt commendatio ad gloriam: ſi in ui-
ta ſolum contigere, etiam hoc ad incrementum faciet gloriæ, quòd
cum ſupra omnem inuidiam fuerint, maximam fuiſſe laudem uirtu
tum oporteat. Si uerò poſt mortem, aliud eſt argumentum: nimi-
rum quòd in uiuos eſt inuidia, de mortuis libera iudicia habentur.
Atque hæc quidem accidentia perſonæ ad coniecturam faciunt uo-
luntatis & facultatis: & ad comparationes perſonarū atque encomia
ingentem cōferunt materiam, tam ipſa per ſe, quàm per contraria.
Cæterùm quæ dixi, perſonæ tribuuntur finitæ & certæ: incertę nō
ſic inueniri poſſunt circunſtantiæ, aut qualitates, niſi quas arte fin-
Perſona finita & infinita. gimus ex ijs quæ fortè fecerit, aut quæ facturus eſt. Quatenus enim
infinita perſona & incerta habetur, & abſque circunſtantia: ut qui-
dam. Sed inter finitam & infinitam quædam reperitur, quę nec pla
nè infinita eſt, nec finita prorſus. Hanc Hermogenes κρινόμενον ap-
pellat: id eſt, iudicandam. ut ſunt, pater, iuuenis, diues, agricola. In-
ſunt nanque his quædam propria, quæ non reperiuntur in alijs. ut,
patri ineſt charitas in filium, ſolicitudoque: in iuuene, maximè diuite,
ſunt, petulantia, deliciæ, ſocietates improborum. Quo fit, ut cogni
ta uel ætate uel conditione, non ſolum quod ius cuiuſque ſit, & quid
cuique debeatur, quodque decorum eſſe oporteat inferatur: ſed etiam
iudicium de moribus maximè conſentaneum & ueriſimile. Et pa-
tria omnis argumenta præbet laudis & uituperij, atque etiam conie-
cturæ & iuris. Et quæque ſuos habet peculiares mores (ut ſuo loco
docebimus) pro cœli tractu atque inclinatione: πολλοῦ τ' ἑτέρων τό-
πους (inquit Plato) καὶ τῶν ἠθῶν αἱ κράσεις. Sunt Pœni fœdifragi,
molles Aſiani: Cappadoces, Cilices, Cretenſes
(tria cappa) fallaces.

Res.

Res, reiq́ attributa, adiuncta atq́ applicata.

Cap. 8.

ALTERVM quæſtionis elementum eſt res. Quo uerò differat à perſona, ratio forſan declarabit Græci nominis. Eſt enim ambigua uox Latinis. Et nunc quidem idem eſt quod τὸ ὄν (dicatur ens) hoc eſt, aliquid cui eſſe competat: nunc πρᾶγμα. At perſona uel πρόσωπει, uel παρέχει: & perſona uel agens uel patiens ſemper eſt. Idcirco uoluerũt alij negotium dicere: ſed nimis anguſtè. Siquidem & domus & homo, ut utrunq; opus eſt (hic quidem Dei, illa hominis) res dici, non autem negotia uoluere: & homo quãquam perſona ſit, inter nomina eti m rerum comperietur. Sit ergo uno modo res, id quod à perſona fit, uel dicitur, uel cogitatur: bonum uel malum, magnum uel paruum, ac ſimile. Et fieri poteſt, ut perſonæ locum ſubeant res, & per eius partes deducãtur. Laudetur enim uirtus, aut factum aliquod, ut uictoria, In his per analogiam locos perſonarum inueſtigabimus, non aliter quàm in Hectore, aut Achille. Neq; enim ut Dialectici quidam atque philoſophi, ita perſonam hic accipimus: quoniam non minus quidem poteſt perſona eſſe cicada aut rana, quàm Achilles: nec minus furtum aut ignauia, quàm hæc, ſi perſonæ agentis patientiſ'ue loco uſurpentur in hoc problemate, Noceat'ne plus iuuentuti ignauia an laſciuia. Sed illi perſonam finiebant, ſuppoſitum rationale. Nobis igitur & Ariſtoteli multiplex eſt τὸ ὄν: quia uel ſubſtantiam ſignificat, uel accidens. Voco accidens, quod adeſt & abeſt præter ſubiecti corruptionem. Poteſt enim ſapiens homo fieri inſipiens, & coruus albus: ſaltem cogitatione mentis, ſi ſit accidens inſeparabile per naturã. Dicuntur autem accidentia de ſubſtantia per ſe & propriè, ut nigrum de coruo: & inſunt, ut ſapientia in Socrate. Verùm ſi dulce de albo dici contingat (ueluti de lacte) figurata eſt oratio, et per accidens dici conſueuit: propterea quòd ambo illa ſunt in lacte. Ita medicus per accidens ædificat: quia medicinæ non eſt ædificatio, ſed curatio, propria. Quę igitur propriè, & (ut loquuntur) per ſe, dicuntur de ſubiecto, ſunt, genus, ſpecies, differentia, proprium, & accidens. Sub accidente continentur nouẽ aliæ categoriæ à ſubſtantia: ſcilicet, Quantitas, qualitas, relatio, locus, tempus, ſitus, habitus, agere, & pati. de quibus pauca ſubijciemus. Genus autem definitur, uox illa uel ratio, quæ redditur, ſi quis de pluribus quærat quid ſint, uel quid ſignificent. ut ſi quæras quid Roma eſt, aut quid ſignificet ea uox: ſubijciam, urbem, ut nominis illius uim atq; naturam intelligas. Rurſus ſi quæras, Roma quę pars orationis? ſubijciam, nomen, tanquam genus quoddam dictionum & uocum ſignificantium aliquid. Licet enim nomen diuidatur in genera, maſculi-

Subſtantia et accidens.

De categorijs, id eſt, prædicamentis.

Genus & ſpecies.

maſculinum,fœmininũ,& neutrum:& uerbũ,in actiuũ, paſsiuum, & deponens:tamen diuiſio eſt generis in ſpecies per differentias,ſi-cut cum alia ratione diuiditur in primitiuæ ſpeciei & deriuatiuæ. Sed doctrinæ cauſa, illa dixerunt genera,hęc ſpecies:cum utraq; & genera & ſpecies habeantur diuerſa ratione. Itaq; genus ratio quædam communis eſt, atq; idea una, multis rebus ſeruiens, quæ alia quadam ratione differunt inter ſe. Sicut materiæ quidem nomine ueniunt in ædificationem domus,lapides,ligna,calx,gypſum,& alia ſpecie & forma inter ſe diuerſa: omnia tamen materiæ nomen habent, nõ ambiguum, ſed ſimplex:quia ratio omnibus ſecundum illud nomen materies una eſt,non multiplex: quatenus inquam in ſtructuram domus illa omnia coeunt & conueniũt. neq; enim poſſent aliter ædificationi ſeruire,niſi nomine materiæ. Hinc palàm fit, quid ſpecies dicatur. notio quædam communis rerum multarum, quatenus inter ſe quidẽ ſimiles habentur,ſed ab alijs quæ ſub idem genus cadere poſſunt,diuerſę:ut,coronati decem ſolares ſpecie differunt à ducatis decem,& totidem Philippis aureis: & decem ducati una ſpecies ſunt monetæ,ut coronati alia. Atque hoc eſt munus Dialectici pręcipuum, genus in formas ſeparare, & formas in genus unum cogere. Prius aſſequitur beneficio differentiæ, alterum

Differẽtia. proprietatis. Nuncupamus autem differentiam, id (quicquid eſt) quo res differt ab alia:ſiue id à materia ſumatur,ſiue à forma,ſiue ab actione,ſiue aliunde. Oratio,actio eſt hominis,quo ab alijs ſecernitur animantibus. Differentiam quoq; inuenies à forma,ut bipes: à materia, ut corruptibilis: à loco, terreſtris: à ſitu, ſublimis & erectus:ab habitu uel priuatione,inermis natura:à relatione,dominus animantium:à qualitate,rationalis:à quantitate,ut eſt uel maior uel minor alijs. Itaq; non una,ſed plures inueniri poſſunt differentiæ.

Definitio. Ex multis in unum collectis fit deſcriptio:ex una,definitio. Sed non ſemper integra aut perfecta definitio eſt ex una differentia, cum genere: multæ maiores ſunt definito, multæ etiam minores. namq; animal bipes,plura ſignificat quàm homo:animal caneſcens, pauciora: animal rationale, fortè conuertitur, ſæpe pro genere ponitur, non una uox,aut ſimplex,ſed complexa genus aliud, & differentiã. ut, figura plana tribus lineis contenta:pro genere poſita eſt, figura

Proprium. plana,in definitione,quia propria uoce caremus illius figurę. Ergo differentiã à proprio accidente non ſeparabimus,niſi ratione: quia idem accidens cum ineſt multis, eandem notionem atq; ideam parit:cum uni quidem adeſt, alteri minus, differentiam ſignificat: & ſpecies(hoc eſt ideas)diſtinguit. & puerilis quidem,mea ſententia, perſuaſio eſt, differentiam eſſe ſubſtantiam: cum generi adhæreat tanquam accidens,ſiue à forma ſumatur, ſiue à materia,ſiue ab alijs

prędica-

prædicamentis,ut deduximus.Ergo proprium accidens,à differentia,ſola ratione diſtinguetur. Quid hoc eſt,ratione diſtingui? Eſt, cogitatione tantùm,atq; oratione, ob diuerſos reſpectus, differre. Quædam enim re & natura ſua differunt, etiam ſi nemo ad illa aduertat:ut coruus à cygno.Sed lac cum idem ſit album & dulce:quatenus res diuerſæ ſunt atq; ſermones in una re, lac differre à ſe ipſo faciunt:ut alia ratione album ſit,alia dulce.& medicus,non ut medicus ædificat,ſed ut ædificator: ne quis eandem putet rationem eſſe medici & ædificatoris, cum alia ſit definitio medici, alia ædificatoris. Subſtantia. Itaq; ut ad nomen ſubſtantiæ reuertar, & prædicamenta Ariſtotelis reſumamus: ſubſtantiæ nomen aliquando idem eſt quod ſuppoſitum, & prima dicitur ſubſtantia, nec à perſona ſeparatur. nam ſuppoſito actiones tribuũtur,non eſſentiæ:niſi fortè tanquam principio,quo (ſunt hæc uerba & phraſes Dialecticorum) ſed alio modo οὐσία,id eſt eſſentia rei dicitur,& prędicatum de ſuppoſito:in quo ſunt genus & ſpecies,quæ reſpondentur interroganti quid ſit aliquid. Si quęro,Qualis eſt Socrates? aut,ubi? nemo quidem reſpondeat,animal, aut homo:ſed,in Academia,uel in Lyceo: uel,ſimus,uel ſapiens,uel ſenex. Sed cum habitus dicitur de uirtute, uel uitium de intemperantia:certè ſubſtantia utriuſq; dicitur (quia genus)quanquam abſolutè neq; habitus neq; uitium ſubſtantiæ ſunt (hoc eſt,ſuppoſita) ſed qualitates, quæ in ſuppoſitis inueniuntur. Atq; ita iudicium eſto de cęteris Categorijs. Sed iam pauca de his dicenda ſunt. Nam rei hæc omnia & ſuppoſito (ut dixi) ita inſunt, ut ſemper à parte inueniantur prędicati, tam ſi genera declarent,quàm differentiam uel proprium.Eſt ergo quantitas duplex: Quantitas. continua & diſcreta.illam Gręci πηλικότητα, hanc dicũt ποσότητα. illa competit lineæ,plano,corporibus: hæc rebus numeratis, ut ouis decem,uerſibus & metris.utraq; enim numerãtur: illa quidem ex ſe,hæc per ſyllabas: licet continuam quoque numerus definiat. Nam decem ulnæ metiuntur pannum,paſſuum miliaria iter.ſed tamen quia finis unius menſuræ initium eſt alterius (quod in numeris non reperitur)ideo illa continua dicitur,altera diſcreta.Harum relatiua fiunt;illius quidem magnum & paruum, huius multum & parum,cum ſuis comparatiuis. Ita longum & breue continua ſunt, licet de oratione & exercitu dici poſsint: non ut diſcreta ſunt, ſed quadam ratione continuationis. Augetur ergo quantitas quidem rei,& minuitur:& ſi ad aliam cõparetur, dici ſolet maior & minor. Sed non propterea gradus accipiet comparationis ſicut ſapientior & candidior,ſapientiſsimus,candidiſsimus:ſed comparatio omnis fiet per æquale & inęquale,maius & minus. Quid ita? quia non manet prior quantitas, ſi res creſcat aut decreſcat. Dubitari poſſet

c de his,

de his,celer & tardus,intenſus & remiſſus,quibus in prædicamentis ponantur. Et uidentur quidem in actione & motu eſſe, & comparationes facere,ut magis & parum in quantitate. nam uox actio eſt, & intenſus calor non aliter dicitur quàm propter energian.

Qualitas. Qualitatis fiunt quatuor genera. In primo deſignat philoſophus habitum & diſpoſitionem. Eſt quidem habitus qualitas acquiſita ex actione aliqua frequenti, quę difficile amitti queat. Vnde illud diuerbium, Conſuetudo eſt altera natura. Pulſandi peritia in citharœdo habitus eſt: meditatio, antequã inueteraſceret, tãtùm diſpoſitio. Huc igitur referes omnes ſcientias & artes & uirtutes & uitia, ſi dem, opinionem & meditationes animi: tum etiam morbos corporis recentes & pertinaces, ueluti febrem tertianam & hecticam. Secundum genus qualitatis uocant naturalem potentiam, uel impotentiam: ut robur corporis & debilitatem, uelocitatem & lentitudinem, duriciem & molliciem. Eſt enim durum (inquit) quod reſiſtit: molle cedit. Huc referes ſenſus & uires tam corporis quàm animi, uoluntatem, intellectum: rationale, riſibile, diſciplinæ capax, & ſimilia. In tertio genere ſunt paſsiones, & patheticæ. qualitates. Paſsiones quidẽ, ut uoluptas, gaudium, lętitia, ira, timor, uerecundia: ſed quæ ab his efflorefcunt, pallor, rubedo: quæ'cꝗ hæc ipſa efficiunt, ſenſum mouentia, calor, frigus, ſapores, odores, ſonitus, colores iucundi & moleſti, omnia ſub paſsibili qualitate reponentur. Quartum genus eſt, forma rei cuiuſcꝗ & figura: ut rectum, curuum, conuexum, ſimus, claudus, bipes, glaucopis, trigonum, pyramidale, floridum, uiride, candidum, & in quibus cernitur forma rei. Comparationes autem in qualitate fieri notum eſt per omnes gradus: ſed non in ultimo genere, niſi per ſimile & diſsimile: & ſi gradum comparationis aliqua accipiant, non huius generis fient, ſed alterius fortaſſe. Atcꝗ hæc quidem de quantitate & qualitate

Relatio. ſufficiant. Relationis autem prædicata omnia ratione conſtant, & reſpectu ad aliquid ſubiecto oppoſitum: non conſiderantur per ſe. Etenim filij nomen, aut amici, nulli conuenit, niſi alius quis exiſtat ex oppoſito, cuius filius ſit & amicus. Hic inueniuntur nomina contraria & comparata: ut ſimile diſsimile, æquale inæquale, contraria ſunt: & comparantur, ſimilius & diſsimilius, æqualius & inæqualius. Et amicus quidem amico, uicinus uicino, eadem ac ſimili ratione reſpondent: non tamen pater filio, cauſa effectis, prius poſteriori.

Actio & paſsio. De prædicamento actionis erunt omnia uerba eius generis, in quacuncꝗ declinatione reperiãtur: ut uerberat, currit. & contrà paſsionis, uerberatur, curritur (ſi de ſtadio dici nihil uetat) ſcribitur, deuoratur. Et cõferuntur uerba, tam actionis quàm paſsionis, inter ſe, ut contraria: calfacere frigefacere, fugere & adoriri.

Magis

Magis uerò & minus non niſi per accidens inucnio: quia magis cal
facit piper quàm crocus. Verba tamen, malo, pluris facio, minoris
facio(& ſi quæ ſunt alia compoſita)intenſionem non actionis ſigni
ficant,ſed qualitatis. Reſtant ſitus & habitus. Scd θέσις non acci- *Situs.*
pitur dialecticè, ſed phyſicè. Eſtq́; ſitus,partium diſpoſitio atq; or-
do,quo aliæ ſurſum,aliæ deorſum,aliæ antè, aliæ retrò ponuntur.
Et ſanè ex ſitu figura quædam exiſtit partium & totius,ut poſsit in-
ter qualitatis ſpecies referri:niſi quod uerborum ratio quorundam
habita eſt, quæ huc ſpectabāt:ut,ſtat,ſedet,dccumbit. Habitus ue *Habitus.*
rò & priuatio ſub idem genus rediguntur:ut ſunt,armatus & iner-
mis, diues & pauper, pecunioſus & inops. Et comparari poſſunt
nomina huius generis:quia magis armatus erat Clodius quàm Mi
lo, & alij alijs ditiores ſumus. Porrò autem habitui ſola priuatio
oppoſita eſt: quanquam poteſt in alijs hæc generibus inueniri. ut
naturalis impotentia eſt cæcitas, tenebræ luminis priuatio, quòd
qualitas eſt pathetica:& quies,motus priuatio qui in actione eſt,&
paſsione. Atq; hæc quidem ſufficiant,ut intelligas quę ſint illa quæ
de ſuppoſito propriè &(ut loquuntur)per ſe dicuntur,& quo mo-
do inter ſe differant. Locum & tempus,quæ reliqua erant in illis de
cem prædicamentis,mox ipſe declarabo:quia uidetur quidem tem
pus nō ſuppoſito,ſcd uerbo atq; actioni tribuendū:& actio omnis
in loco etiam fieri aliquo. Quare ut non ſolum naturam,ſed uim u-
triuſq;(quæ maxima eſt,& uſus præcipuus) accuratius diſtingue-
remus,ab hoc loco ſemouimus,ſed non ut à ſuppoſito ſubſtrahere
mus. Ergo,ut ad rem rcdeamus(hęc enim circunſtantia nobis fuit
propoſita)ſiue intelligatur res τὸ ὄν,id eſt hoc aliquid cui eſſe com-
petat,ſiuc factum:in rei certè ambitu prima ſtatim occurrit defini-
tio. Hæc dicendi copiam præbct:ſiue in eius complexu commore-
ris,totamq́; probes:ſiue ad ſingulas cius partes ſigillatim digredia-
re:genus inquam, ſpeciem, propriaq́; accidentia: ut quantitatem,
qualitatem,relationem,actionem,paſsionem,ſitum & habitum. Et
appellantur hæc omnia, Applicata. Altero loco rei partes inquirū *Applicata.*
tur. Et hæ quidem ucl ſubſtantiæ,ut corporis,caput,brachium:uel *Attributa.*
uirtutis,ut animę, intelligentia & uoluntas. Iam ſubſtantię totius *Rei attributa.*
proprię partes ſunt,forma & ſubiectum,ſeu materia: integritatis,
inſtrumcntalcs & ſimplices. Vtrinque loci ponuntur, ſubſtantia,
magnitudo, numerus, figura, ſitus,& connexio. Vt ſi (uerbi cau-
ſa)in oculo ſimplex eſſet ſubſtantia humor aqueus,uel quantitas e-
normis, aut duę cernerentur pupillę, aut nimis eſſet globoſus ipſe
oculus,aut extans, aut ſcparatus ab altera palpebra: omnia hęc in
parte integra conſiderant Galenus de uſu partium, & Theophra-
ſtus de plantis, & uocabimus attributa. Rem deniq; concernunt *Rerum adiuncta.*

antecedentia, conſequentia & coniuncta: & præterea, quæ à nomine declinata, dici ſolent Cõiugata: & etymon quod Cicero notationem dicit. ueluti, Cædem præceſſerunt minæ: concomitantur, clamor, gemitus, ſtrepitus: ſequuntur, fuga, pallor, dicta'q; & facta ſceleris conſcientiam arguentia. A' cæde, cæſum denique declinamus. & uocantur hæc adiuncta. Opus igitur eſt celeritate animi, atque præſentia, ut rerum imagines omnes ſubitò ac celeri mente conſequaris, non earum modò quæ factæ ſunt, ſed quæ fieri etiam ſolent plerunq; in ſimilibus, quin ueri ſimilitudinem illa prę ſe ferunt, quę ferè cõtingunt. Ergo rei applicata ſunto hęc: primùm definitio, genus, ſpecies, proprium, accidens: deinde, totum & partes: poſt hęc, antecedentia conſequentia & coniuncta, ac deniq; coniugata.

Rei applicatæ.

Tempus. Cap. 9.

AB accidentibus rei ſeparatur tempus: quoniam cum latiſsimè pateat hæc circunſtantia, reliquas etiam ſecum habere ſæpe uidetur. Reperiri quidem poteſt in quæſtione tempus abſolutè: ut præſens, præteritum, & futurum. Comparatum etiam: ut prius, poſterius, interea. Tunc partes eius per ſe: ut hora, dies, annus. hęc omnia Grę ci uno genere concludunt τὸ χρόνον: & temporis accidentia καιρὸν uocitant, id eſt, occaſionem temporis, aut morã, qua quid fieri uel non fieri debet, factũ eſſe uel faciendum uidetur. Sunt accidentia naturalia, dies, nox, hyems, ęſtas, & ſimilia. fortuita, caſu uel electione fiunt: ut feſtum, conuiuium, pax, uindemiæ. Et hora uel annus, quatenus moram in re aliqua certè metiuntur, etſi naturales partes temporis ſint: tamen, ut alia, poſſunt accidentia haberi. Et certè actionis menſuræ ſunt, nec ab ea ſecluduntur: & propriè rationem temporis habent.

Temporis partes.

Temporis accidentia.

Locus.

SICVT ratio temporis duplex inuẽta eſt, ſic & loci. Nam ſecundum ſe & abſolutè locorum differentiæ habentur: hic, iſthic, ſurſum, deorſum, Romæ, in curia: per cõparationem ſumuntur, magnus, diſtans, uicinia. Accidunt quoq; naturalia quædam, montoſus, maritimus, ſterilis, ſaluber: & fortuita, ſacer, cultus, nobilis, frequens.

Cauſa. 10.

QVINTVM ordinem damus cauſæ: non ut cauſam uertit Cicero τῶν ὑπόθεσιν. magis hic metaphyſicè conſideratur. Cum Socrates & Phædrus in meridie ſub arbore quadam colloquerentur, in cuius ramis cicadæ aliquot cantillabant: rogauit animantes illas Socrates, ut Phędro perſuaderent, donec ſufficienter philoſopharetur, cum nunquam ſufficienter aliqua de re eſſe dicturũ. Quibus equidem ſi interſuiſſem ipſe,

eaſdem ſimili uoce compellaſſem: Cicadæ generoſæ, Muſarum alumnæ, ſuadete Phędro pulchro adoleſcenti, nullam philoſophiam, nullamq; diſciplinam uel artem, niſi per cauſarum cognitionem haberi poſſe: ut ſi quando de rebus uel iudicare uel deliberare uoluerit, ad cauſas protinus mentem atq; animum aduertat: neq; unam aut duas tantum uidiſſe contentus deſiſtat, ſed omnes antè perſcrutetur, quàm ſe putet aliquid perfectè cognouiſſe. Ita ſanè compellaſſem: & profectò compendioſius. nam prudentiæ atq; eloquentię materiam, quę magis in promptu eſt, quàm nomen philoſophię ſplendidum, & ſæpe inane, uno uerbo poſtulaſſem. Scire enim hoc nos arbitramur, quod per cauſam cognoſcimus, propter quam res eſt: quoniam illius eſt cauſa, nec contingit aliter ſe habere. Ars quoque ab experientia quo differt, & methodicus ab empirico, niſi cauſæ ratione? hic quidem, ueluti coquus, quia expertus ſæpe gratam palato bubulam è ſinape, ſemper cum illa apponit ſinapen. At uerò medicus propter quid fieri debeat cognouit: quia uiſcoſa & lenta materia bubulæ carnis, acrimonia intinctus ex tenuatur, & ſenſum iuuat. Itaq; demonſtrabit uterq;, quòd ita fieri debeat: ſed coquus quidem, quia ita eſt: medicus uerò propter quiddam aliud, propter quod ita eſt. Quem ſi contingat doctrinam ſuam alijs tradere, non aliam profectò methodum inſtituet, quàm per cauſas proximas & notiores diſcipulo, quàm ſit id quod docere ſuſceperit. Alter iubebit tantum, quod probat. Quem ſi roget diſcipulus, cur ita iubeat: quid reſpondebit infelix, cauſarum ignarus? Iam in concionibus poſsibile, honeſtum, utile, precioſum, unde probari conſueuere, quàm ex cauſis? Paſtor Menalcas laudaturus ſuum poculum, argumentum cæpit à materia, ab opifice, & à forma: *Cauſarum cognitio ad ſcientiã neceſſaria, & omnem artem.*

—Tibi pocula ponam

Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis.

Omitto, quàm multa ex fine rationem accipiunt, ut ſint laude uel uitio digna. Materiam omnes artifices ita examinant: ut non ſolum formæ capax eſſe poſsit, ſed ad finem idonea propoſitum, atque uſum quem ſpectat. Vocemus ergo cauſam, id ex quo aliquid fit. Et quatuor in hac definitione genera inuenta ſunt: materia, forma, efficiens, & finis. Materia quidem eſt, ex qua tanquam ſubiecto aliquid fit: ut ex ligno Mercurius. In hanc rationem ueniunt obiecta omnium ſcientiarum, actionum, uirtutum, ſenſuum. Forma eſt, quę dat ſpeciem, ut figura Mercurij: & in actionibus modus ipſe, ueluti in contractibus, commercijs, celebritatibus, ceremonijs. Sed formam & ſubiectum inter partes rei poteris quærere, quemadmodũ ſuprà fecimus. Finem autem ideo cauſam appellamus, & cauſam præcipuã, propterea quòd ſit id cuius gratia aliquid fit. Ariſtoteles *Cauſæ definitio & genera 4.* *Finis.*

& Grçci dicunt, οὗ ἕνεκα: Cicero ratiocinationem. Eſtq́ꝫ finis, boni alicuius & honeſti obtinendi, uel contrà mali depellendi uoluntas atq́ꝫ intentio: ubi quidem minus malum boni quoq́ꝫ rationẽ habet.

Efficientiũ cauſarum ſpecies.

Efficientes cauſæ aliæ ſunt principes, & per ſe ac propriæ: ut uoluntas, ira, odium (impulſionem uocat Cicero: quia ſine cogitatione, per quandam impulſionem agimus) præter hæc etiam inſtrumenta, & quæ dicũtur adiuuantia, opportunæq́ꝫ facultates, Grçcis ἀφορμαὶ καὶ προφάσεις: id eſt, ſubſidia & opportunitates. Quæ tum ex rei circunſtantijs ſumuntur (ut temporis & loci) tum perſonæ. Et omnia hæc in illud genus cauſæ refero, quod philoſophi dicũt cauſam ſine qua non. Ergo temporis accommodatio, loci & modi, atque aliarum rerum, non ſolum ad hoc confert ut res fiat, ſed ut quodam modo fiat. Vnde in coniectura ſumuntur illa argumenta uoluntatis: ſpes celandi, ſpes impunitatis, quæ eſt πρόφασις. altera uerò ἀφορμὴ, id eſt ſubſidium: ut dicuntur claſsis, exercitus, amicitiæ, ſcientię & artes, quibus aliquid agentes utimur. Sic ferrum, uinum, quibus licet bene & malè agere. Hæc enim cum tanquam neceſſaria negotio conſiderantur, quidam Latini uocant ab uſibus: alioqui partes eſſe poſſunt & circunſtantiæ perſonæ, quanquam non una ratione. Cauſa porrò & effectum relata ſunt ad ſe: quapropter in hoc elemento non ſolum rei propoſitæ primordia, ſed euenta quoque effectaq́ꝫ inueſtigabuntur, quæ uocant communiter accidentia. ueluti, Si lac habet puella, uirginitatẽ amiſiſſe credibile eſt (quia communiter ita accidit) Si cœlum ſudum eſt, multi uenient ad celebritatem. Sed & effectorum quædam eueniſſe iam reperiuntur, alia pendent: alia rurſum certò futura ſunt, uel ut plerunq́ꝫ. Et cauſarum quædam nominantur producentes, aliæ conſeruantes: & rurſum, certę & fortuitæ. Atq́ꝫ his quidem rationibus continentur omnia cauſarum genera.

Modus. Cap. 11.

Modus quibus ex locis hauriatur.

VLTIMA circunſtantia negotij modus, ex omnibus alijs accidentibus tam perſonæ q̃ꝫ rei cõſideratur. Vt ex perſona quidem ſumpta eſt actionis notio, qua prudenter uel imprudenter, hoc eſt, imprudentia, caſu, neceſsitate, uel contrà clàm, dolo, ui geſta eſt. Ab accidentibus rei fiunt aduerbia qualitatis, fortiter, ſuperbè: quantitatis, parũ, nimis, mediocriter: ad aliquid, ut ſi dicas, uixit in ſeruitute, uixit abſq́ꝫ liberis: tẽporis, ut lentè, celeriter: loci, ut uicatim, hoſtiatim: actionis, ut, cũ labore, ſomniculoſe: paſsionis, ut inter uerbera, dum proſterneretur, caput illiſit ſaxo (ſed actionis tamen & paſsionis modi ijdẽ ferè qui negotij) ſitus, ut pronus bibebat: habitus, armatus uel inermis depugnabat. Itaq́ꝫ per omnia, ut uides, prædicamenta modus diſquiritur.

ritur. Et in cauſa quoq; poteſt inueniri: ut temerè, ſinc conſilio, ſine
ſcopo iaculatur: qualia in perſonæ accidentibus notaui. Adeo au-
tem modus uber eſt, ut (quemadmodū ſuo loco dicturi ſumus) eo
omnis plenitudo conſiſtat orationis. & quoniam politicæ oratio-
nis nobis & ferè omnibus cura atq; ſtudium ſuſcipitur, quod uſu at
que utilitate antecellat: ideo nō alia ferè in hunc locum reiecerūt ple
riq; modi aduerbia, quàm hæc, prudenter, imprudenter, ſordidè, li
beraliter, modeſtè, ac ſimilia à moribus deriuata. Nos autem multo
copioſiorem inueniemus, ſi attendamus ad ea quæ dixi. Sunt er- *Quæſtionū*
go ſex (ut caput hoc de circunſtantia concludamus) ſubiecta, & ue- *elemēta ſex.*
luti elementa quæſtionum: quæ Ariſtoteles & Hermagoras circun *Elementorum uariæ*
ſtantias, & circūſtantię partes, Latini pleriq; dixerūt adiuncta: Dio *appellationes.*
nyſius Halicarnaſſeus ἐπιῤῥήματα, id eſt aduerbia omnia nominat,
præter perſonam & rem: & quidem ſi circunſtantiæ uim obſerues,
doctè eſt mentem Ariſtotelis & aliorum interpretatus. nam locus,
tempus, cauſa, & modus, non perſonæ circunſtantiæ ſunt, ſed nego
tij: illius autem, corporis, animi & fortunæ bona. Quare ſi perſonæ
circunſtantiam quæras, ad illa reſpiciendum erit: ſi rei, ad tempus,
locum, cauſam et modum. Theodorus ϛοιχεῖα τοῦ πράγματος, id eſt,
elementa rei, dixit: nec ineptè quidem etiam hic. Nam quę mox ex-
poſituri ſumus, magis principia formalia nuncupare poſſumus, ſi
ad rem facit ea præceptio, quàm elementa. Materiam quoq;, quam
à cæteris ſeparauerat Porphyrius, nos inter partes ſubſtantię nego
tij, ſi obſeruaſti, bis recenſuimus. Quare ſi propter uſum quem in
dicendo præſtat materia, ideo caput ſeorſum & locum proprium
habere opus eſt, tu ſeorſum ſi lubet accipe: ſin minus, & ea quæ di-
ximus ſufficienter omnia diſtinguūt, ut certè iudico, quanto ad pau
ciora capita ſpecies partesq; rerum atq; præceptorum referentur,
tanto erit tum in diſcendo compendioſior, tum in exercendo faci-
lior uia, quàm ſi ſparſim multa quaſi diſſeminata colligeres.

De capitibus generalibus. Cap. 12.

EXPOSITIS igitur quæſtionis principijs, atque (uti dixi-
mus) elementis: deinceps de orationis alijs principijs a-
gendum uidetur, quæ nos poſthac ubiq; capita uocabi-
mus. Horum autem triplex erit ratio. quædam enim ge- *Capitū partitio.*
neralia dixerunt ueteres, quædam finalia, alia prima. Et ex genera-
libus quædam deſcendent propria, ad corroborationem genera-
lium ſeruientia. ſunt namq; hæc quæſtiones, ex quibus ſtatus fiunt: *Status.*
quarum quædam ſunt de facti ac rei ſubſtantia: aliæ de communi *Duo enunciationū genera, unde*
quadam ratione, quæ in alijs rebus pariter atq; eodem modo quę- *ſtatus duo*
ri poteſt. Ad priorem pertinent duo genera enunciationum, quo- *oriuntur.*
rum alterum dialectici appellant de eſt ſecundo adiacente: Græci

rhetores, περὶ τῆς ὀσίας, ex eoq́; fiunt ſtatus coniecturales: An fuit ullum bellum Troianum, An futura orbis conflagratio, An pacem cupiant inimici, etiamſi hæc aut alia fecerint. Alterum Ariſtoteles in Logicis dicit περὶ τοῦ τί ἦν εἶναι, quid eſt rei. Atque hinc ſtatus exiſtit finitionis: furtum, an ſacrilegium? an idem eſt rempublicam & militiam deſerere? Atq́; hæ quidem quæſtiones duæ rei ſubſtantiã inquirunt. una enim an ſit, altera quid ſit. Quę uerò altera facta eſt, & de communi quadam ratione quærit, quæ in rebus alijs pari modo inuenitur: hęc quoq́; duplici controuerſia conſiſtit. Nam de rei qualitate diſputat, & de actione. priore quærimus quale ſit negotium, an iuſtum? an licitum? an poſsibile? an magnum? & ſimilia, quæ accidentia ſunt multis communia. Actionis autem controuerſia, non quid ſit, aut quale ſit, aut omnino utrum ſit, dubitatur: ſed an hoc ipſum in controuerſiam uenire debeat, quid ſit, aut quale ſit, aut an ſit. Itaq́; dum ita quærimus, an reſpondere oporteat ſub hoc iudice, hoc tempore, hoc loco: an res hæc in controuerſiam uocari debeat, an aliquid addendum quæſtioni ut probetur, omnes iſtæ quæſtiones de actione erunt. Ex quibus ſtatus conſiſtunt metaleptici, id eſt tranſlationis, uel exceptionis. Ex altera, qualitatis dicuntur. Quoniam autem in omni quæ de re aliqua ſuſcipitur diſputatio, nunquam ferè non proponuntur quatuor iſti ſtatus, in quos tanquam præcipuos & principes totius orationis omnia argumenta referuntur, non ut alia quæſtionum & argumentorum capita & parteś: ideirco quæſtionum quatuor iſta genera, capita generalia dixit Theodectes, & aliquando generaliſsima. Alij ſtatus, nonnulli locos dixere: quemadmodum & locos dialecticos appellant, ſyllogiſmum, terminum, contradictionem, & ſimilia. Erunt itaque generalia capita hæc quatuor: de conſiſtentia, de definitione, de qualitate, & de exceptione. Græca uocabula ſunt, περὶ τῆς οὐσίας, περὶ ὁρισμοῦ, περὶ ποιότητος, καὶ μετάληψις ἢ περὶ τοῦ ἀγῶνος. Quanquam certè ultimum hoc ad qualitatem referendum uidetur nonnullis, nec ſine cauſa: quoniam tractari dupliciter metalepſis poteſt: uno modo contra antilepſin, id eſt abſolutionem, cum ſcilicet quęſtio abſolutè poſita ab ea ſeparatur quę aliam habet circũſtantiam: alio, cum actio ipſa perſonæ depellitur. ſed de his poſtea copioſius.

Coniecturalis. *Status definitionis.* *Statuum alia duo genera, qualitatis et trãſlationis.* *Statuum genera quatuor.* *Translationem ad qualitatẽ pertinere.*

Capita finalia. Cap. 13.

SED antequam in proprias formas & capita magis particularia, genera iſta deducamus: ut facilior ingreſſus ſit ad finitiones ſingulorum ſtatuum & corroborationis, exponenda nobis uidẽtur capita, tam quę Rhetores appellare ſolent finalia, quàm quę prima. Hęc autem omnia in quęſtionibus de qualitate inuenias: quòd in problemate ſemper ponuntur à parte

parte(ut dicunt)poſteriori,& tanquã adiuncta ſubiecto. Cur uerò
hęc finalia & prima dicta ſint,incertæ ſunt ſententiæ.mihi tamen ui *Cur finalia*
detur,propterea quòd totius finis certaminis atq; ſtudij in ijs conſi *& prima*
ſtit, quæ rem iuſtam uel iniuſtam, utilem uel inutilem, poſsibilem *dicantur.*
uel contrà efficiunt: ideo finalia dici uoluiſſe, licet partes qualitatis
ſemper inueniantur: uel certè propterea, quòd ſint omnium diſci-
plinarum obiecta & fines. nam dialecticus ueritatem inquirit, rhe-
tor ueriſimilitudinem,phyſicus poſsibilitatem & neceſsitatem, ma
thematicus magnitudinem:cæteræ artes quę ad uſum uitę humanę
comparatæ ſunt,utilitatem,honeſtatem & uoluptatem. Prima ue
rò dicuntur alia,quæ effecta quodam modo ſunt:nõ quidem quòd
finalibus priora exiſtant(quomodo enim prius erit, quod propter
aliud adhibetur?)uerùm quia argumenti prima elaboratio, & (ut *ἐργασία*
Græcè nominabimus) ἐργασία, ad confirmationem rei ex iſtis lo- *quid.*
cis efficitur: ideo prima uocarunt. Sed de argumentorũ partibus *Capitũ finà*
aliâs:nunc finalia quæ ſint,paucis doceamus. Et primùm quidem *liũ genera.*
in hoc genere occurrunt:uerum,probabile,bonum,magnũ & poſ-
ſibile. malo ſic, quàm periphraſi aliter interpretari τὸ δυνατὸν. Cæ-
terùm quia rhetorica (quod ſæpè dixi) in materia ciuili præcipuè
uerſatur,& ex omnibus artibus & ſcientijs aliquid mutuo ſemper
accipit: ut diſtinctiores fiant in gratiam oratorum huius capitis lo-
ci,bonorum tria genera diſponemus: honeſtum,utile, delectabile: *Bonorum*
ſingula pariter hoc modo partientes. Probabile (quod Gręci εἰκὸς *diuiſio.*
nominant)in dilucidum,certum,ueriſimile,& conſequens,hoc eſt, *Probabile.*
ſibi non repugnans,aut naturæ, aut conſuetudini, aut conceptæ a-
pud homines opinioni. Et econtrariò improbabile, uel abſurdum *Improba-*
oſtenderimus:ſi obſcurum,incertum, id eſt dubium & ſine autori- *bile.*
tate ac fide,incredibile,repugnãs. Atq; hic locus eſt, propter quem
putant oratorem de omni re poſſe loqui. cum enim tractet ueriſi-
milia:& hęc ex rebus partim, partim ex opinionibus hominũ finian
tur: neceſſe eſt,oratorem multarum rerum uſu inſtructum eſſe, &
mores atq; ſtudia hominum exactè callere. uerùm omne admiſsibi
le eſt, quod Græci uocant ἐνδεχόμενον. Inter bona igitur primum *Honeſti*
locum habet honeſtas, cuius quatuor partes erunt: decorum, ius, *partitio.*
æquitas, gloria: hoc eſt primum quod perſonã decet. deinde quod
legitimum(iuxta legem inquam,& mores)poſt hæc iuſtũ propriè,
ſiue æquum:hoc eſt,pium in Deos & homines(impropriè enim iu
ſtum dicitur, quicquid rationi conſonum eſt) denique, quod cum
gloria famáq; coniunctum putatur. In ſecundo ſit utile: cuius du-
plex ratio.uel enim prodeſſe poteſt,boni aliquid(quod ad uitæ de- *Vtilium*
gendæ conſeruandǽq; rationem attinet) afferendo, aut depellen- *genera.*
do mali,uel ad aliquid agendum aut obtinendum neceſſariò requi
ritur.


ritur. id poſterius iam uulgo appellatur cōmodum, ſicut illud prius
Iucundi partes. utile. Iucundum quoque duplex eſt. nam aliud uoluptatē ſecum
Poßibilia enumerātur. iunctam habet: aliud procul eſt à pœnitentia. Poſtremum itaque
ſequitur poſsibile, quanquam non ſemper in dicendo poſtremum
uenit. ſub hoc recenſeantur, contingens, facile, neceſſariū: & horum
contraria, difficile & impoſsibile. Dicimus autem facile ea fieri, quę
ſine magno labore aut ſumptu, & breui tempore conficiuntur: ſed
neceſſarium, quod aliter non poteſt: contingens, quod fieri aſſolet.
His ergo capitibus omnis prudentiæ ratio continetur. Sed ratiocinandi uiam, qua uerum inquirimus, iam demonſtrare opus eſt.

De propoſitione atq; Syllogiſmo. Cap. 14.

VERVM in re quærimus, & in oratione. illud Phyſici, mathematici, theologi, & cæteri rerum contemplatores unicum ſibi laboris finem proponunt, & oratores etiam, cum de coniectura ſit quæſtio: alterum uerò Dialecticę inueſtigationis eſt finis. Quod cum ita ſit, iam de oratione tractare oportet, quatenus uera aut falſa coarguitur. Non quidem ex re ipſa (id enim uſus aliarum rerum & experientia docent) ſed ex nexu & comparatione orationum inter ſe: cuius rei peritia ſolent ſophi-
Quid oratio. ſtæ rudibus imponere, & idiotis. Orationem ergo primū finiamus ex Platone. Sentit diuinus ille philoſophus, cogitationis fluxū quendam eſſe, per os manantem cum ſono, & ἀπήχημα τῆς διανοίας. Sonus autem hic ſæpe naturalis eſt, ut gemitus & lamentationum: ſed non oratio. oportet enim uoces ſignificent ex uſu loquendi: aliter nil certi fiet. Nec ſtatim omnis oratio uera eſt, uel falſa: ſed quæ perfecta ſolum. Quis hoc neget? Nimirum illa quæ perfectum ſenſum inducit, & cui reſponderi poſsit, Eſt uel non, fateor aut nego. hæc
Propoſitionū diuiſio. appellatur propoſitio à Dialecticis: ut, Omnis homo eſt mortalis. Solet autem propoſitio dupliciter diſtingui: uno modo, ſecundum qualitatem dicunt: alio, ſecundum quantitatem. In quantitate ſunt, uniuerſalis & particularis: in qualitate, affirmatio & negatio. ut, Aliquod animal eſt homo, affirmatiua & particularis nuncupatur: Nullum animal eſt homo, uniuerſalis negatiua. Eſt ergo uniuerſalis, quæ omni uel nulli ineſſe ſignificat: particularis, cōtraria. Affirmatiua quoq; enūciatio definitur ab Ariſtotele, alicuius de aliquo: negatio uerò, enunciatio alicuius ab aliquo. Ab his quatuor differentijs procreantur omnes oppoſitiones & æquipollentiæ propoſitionum, in quibus ijdem ponuntur termini, uel extrema. Vocant
Terminus quid. terminos propoſitionum, ſubiectum & prædicatum: ſiue hi complexi atq; coniuncti ex pluribus dictionibus ſint, ſiue ſimplices. Pergamus. Oppoſitarum propoſitionum aliæ dicuntur contrarię, aliæ ſubcontrariæ, aliæ contradictoriæ, aliæ ſubalternę. Contrariæ

riæ ſunt, quando quid uniuerſaliter enunciatur ineſſe,& nō ineſſe: ut,Omnis homo eſt animal, Nullus homo eſt animal. Subcontrariæ,ſi quid ineſſe,& non ineſſe,particulariter.ut,Aliquis homo eſt animal,Aliquis homo non eſt animal. Contradictoriȩ ſunt,affirmatio & negatio eiuſdem de eodem:quarum ſi una eſt uniuerſalis, altera eſt particularis.ut, Omnis homo eſt animal, Aliquis homo nō eſt animal: uel ſic, Nullus homo eſt animal, Aliquis homo eſt animal.Subalternȩ ſibi ſubijciuntur:uniuerſali particularis,affirmatio affirmationi,& negatio negationi.Suppoſita figura demonſtrat:

Omnis homo ſapit *Contrariæ* Nullus homo ſapit



Aliquis homo ſapit *Subcontrariæ* Aliquis homo non ſapit.

Leges oppoſitionum.

Sed quorſum hæc ad ueritatis inquiſitionem? dices. Audi iam. Contrariarum ea lex inuenta eſt,ut nunquam uerȩ eſſe poſsint ambæ:ſed ſi una uera ſit,ſtatim altera ſequatur falſa. Sed falſæ ſimul eſſe poſſunt. ut, Omne animal eſt homo , Nullum animal eſt homo. Quid? inquies : an nō ueræ ſunt,Cuiuſuis hominis altera manuum eſt dextra, Cuiuſuis hominis altera manuum non eſt dextra? & tamen ſunt contrariæ:hoc eſt,affirmatio & negatio uniuerſales. Vis reſpondeam dialecticè? Nego minorem.Non ſunt enim termini in iſtis de omni,& nullo,ſed de altero tantum.Etenim manus, quæ in utraq; ſubijcitur, uniuerſali caret prouocabulo : quoniā Alterum, unum de duobus tantum dicit,non omne.Lex autem iubet, ut omni & nulli ineſſe ſignificent. quod uerum eſſe nunquam poteſt. Lex ſubcontrariarū eſt,ut ſimul ueræ eſſe poſsint,nunquam falſæ: ſed ſi una falſa ſit,ſtatim altera ſit uera.ut,Aliquod animal eſt homo,Aliquod animal non eſt homo. Sed obijcies:Hæ ſunt ſubcontrariæ, Quidam homo non eſt animal,Quidam homo eſt omne animal:& tamen falſæ ſimul : ergo lex ſubcontrariarum nulla. Reſpondeo: Nego maiorem.Neq; enim eſſe poſſunt ſubcontrariæ, niſi termini ponantur particulariter,& affirmatio & negatio ſint de aliquo.Tu feciſti enunciationem de omni. Contradictoriarum lex eſt, ut neq; ueræ neq; falſæ ſimul eſſe poſsint:ſed una uera,altera ſtatim prodatur falſa:& una falſa,alteram ueram eſſe oporteat : nec unquam fieri aliter poteſt,quantumcunq; res extraneas uel naturales uel contingentes excogites. Sed obijcies:Iſtæ ſunt ueræ, Omnis homo eſt animal,& Aliquis homo aliquod animal non eſt : ſed contradicto-

riæ

riæ non poſſunt eſſe ueræ: ergo leges tuæ nullę ſunt. Reſpondeo: Perperam colligis argumentationem, ô amice: & niſi me puderet ſpernendi uocabuli, dixiſſem ſanè, Nego conſequentiam. Oportebat enim inferre ex illis tuis præmiſsis in hunc modum: Ergo non ſunt contradictoriæ. Quod ſi ſic feceris, fatebor omnia, tam antecedentia concluſionem, quàm concluſionem ipſam. Si contendas adhuc, Illæ ſunt contradictoriæ, quia nihil deeſt ad ueram oppoſitionem: Reſpondeo, Petis principium. Non aduertis me iam negaſſe, quod aſſumis? committunt enim in formam contradictoriarum: quæ uolunt ita in quantitate opponi, ſicut in qualitate. Iſtarum termini ſic poſiti ſunt, ut prædicatum in utraq; ſit particulariter. Si triplices atq; inſtes adhuc, quaſi non ſit neceſſe illum terminum ita poni: propterea quòd in hoc, Aliquis homo non eſt animal, & ſimilibus negatiuis, terminus Animal caret infinito prouocabulo, ſicut in cõtradictoria: Reſpondeo, Nego totũ antecedens. Nam negationi tantam uim tribuimus, ut uniuerſaliter neget atq; euertat quicquid poſt ſe inueniat. Sed audiamus iam leges ſubalternarum. Ex uniuerſali particularis inferatur impunè: non cõtrà. Nam ſi uerum eſt, Omnis homo eſt animal, ita fiet, ut & quidam homo ſit animal. Sed non retrò, ſi Quidam homo ſit animal, ſequetur ut Omnis ſit animal. Ponatur enim loco animalis, Iuſtus (qui rem ſignificat contingentem) non efficitur ut omnis homo ſit iuſtus, etiamſi quidam ſit iuſtus. Atq; hæ quidem leges & natura oppoſitarum: de æquipollentibus, & quæ poſſunt mutuò conuerti, pauca hæc accipe.

De equipollétibus et cõuertibilib. Prouocabulorum uicíſsitudo fiat ex negatione prępoſita, uel poſtpoſita: ut idem ualeat, Non omnis homo ſapit, & Quidam homo non ſapit: Nonnullus, id eſt aliquis. Nullus non, id eſt omnis: Non aliquis, id eſt nullus, atq; idem eſt Omnis non. Sed hæc, Omne animal non eſt homo, mihi uidetur poſſe hunc ſenſum facere, & in uſu habetur, quòd aliquod animal non ſit homo: nec adeò ſolemus in ſermone eſſe religioſi. Conuertantur autem ſimpliciter uniuerſales negatiuæ: hoc eſt, ſimpliciter, abſq; alia mutatione, poteſt ſubiectũ in prædicatum reponere. ut, Nullus homo eſt animal, Nullum animal eſt homo. Eodem modo particularis affirmatiua: Aliquis homo eſt animal, aliquod animal eſt homo. Sed affirmatiua uniuerſalis non poteſt conuerti, niſi fortè per accidens in particularem eiuſdem qualitatis: Omnis homo eſt animal, Aliquod animal eſt homo. Quid de hac, Aliquod animal non eſt homo? Vertes, ſi lubet, per terminum infinitum: Aliquid non homo eſt animal. Sed fugiamus quæſo hæc portenta orationũ. Quęret autem fortaſſe aliquis: An ſint aliquæ oppoſitiones in modis, quos uocabant, Poſsibile, impoſsibile, neceſſarium? Sunt quidem. Nam neceſſariò & impoſſibile,

ſibile, contraria ſigna ſtatuunt: contradicentia uerò, neceſſariò, & poſsibile non. Poſsibile etiam, & impoſsibile, è diametro opponuntur: æquipollent autem, neceſſariò non, & impoſsibile: non neceſſarium, & poſsibile nō. & tam neceſſarium quàm poſsibile habentur ἐνδεχόμενα, hoc eſt, admiſsibilia. Nec plura à me expectes de categoricarum propoſitionum oppoſitionibus, καὶ ἰσοδυναμίας. Sequitur Syllogiſmi definitio.

De Syllogiſmo categorico. Cap. 15.

DEFINIT ſyllogiſmum Ariſtoteles, orationē, in qua quibuſdam poſitis, aliud quiddam ab ĳs quæ poſita ſunt, ex neceſsitate accidit, propterea quod hæc ſint. uel, ſi lubet, ita definies ex partibus. Syllogiſmus eſt compoſitio duarum propoſitionum, ex quibus alia quædam ſequitur neceſſariò, quæ terminos ab illis accepit: unum quidem ex una, & alterum ex altera. Sed hæc quidem, reſoluendo ſyllogiſmo in ſuas partes, facilius intelliges. Cōſiſtere omnis argumentatio deprehenſa eſt ex tribus terminis: quorū duo Extremi appellantur, tertius uerò Medius. Componuntur autem duo extremi cum medio ſic, ut poſtea, tanquam per regulam geometricam, inter ſe conueniat. Quæcunque enim ſunt æqualia uni tertio, ſunt æqualia inter ſe. coniungitur ergo terminus ille medius in præmiſsis, cum utroque termino (cum maiore in maiore propoſitione & fortiore, cum minore in minore: ſic enim appellantur Maior & Minor illi duo termini, ſiue quòd maior in concluſione prædicatur, ſiue quòd in magis axiomatica propoſitione reperiatur in antecedente) & poſtea in concluſione iunguntur inter ſe extremi. Nam ſi A eſt idem quod B, & B quod C, certè A erit idem quod C. Itaque medio illo termino utimur uice menſuræ, qua diuerſis rebus applicata cognoſcimus, num æquales ſint nec ne. Quapropter nunc quidem ſubĳcitur in una, & prædicatur in altera: nunc prædicatur in utraque, nunc etiam ſubĳcitur in utraque. Vnde ſyllogiſmorum ortæ ſunt tres figuræ. *Syllogiſmorū figuræ.* Primæ figuræ exemplū eſto: Omne animal eſt mortale: Omnis homo eſt animal: ergo Omnis homo eſt mortalis. Secundæ: Nullum animal eſt immortale: Anima eſt immortalis: ergo Anima non eſt animal. Tertiæ: Omnis ſalamandra nutritur igne: omnis ſalamandra eſt animal: ergo Aliquod animal nutritur igne. Omnis autem ſyllogiſmus, ut uerus habeatur, nō fallax, duo requiruntur. *Quæ requirantur ad bonū ſyllogiſmum.* Vnum, ut altera ſaltem præmiſſarum ſit affirmatiua. ubi quidem ſi altera fuerit negatiua, neceſſe eſt negatiuam ſequi: ut in omnibus modis ſecundæ figuræ. Alterum quod requiritur, eſt, ut medius ille terminus ſaltem in una ſumatur, cum prouocabulo Omnis, uel Nullus: & de omni, uel nullo dicatur. Alioqui ſi in utraque particulariter ponatur,

nihil inferet neceſſariò. Excipe ſyllogiſmum quem uocant Expoſitorium: quia medius eſt terminus ſingularis. Quòd ſi uterq; extremorum fuerit particulariter, concluſio ſequetur particularis: ſicut in tertia figura. nunquam enim poteſt ex particulari ſequi uniuerſalis: necp ex negatione affirmatio. His duabus legibus factũ eſt, ut in unaquaq; figura certi quidam modi habeantur boni & neceſſarij, reliquis omnibus fallacibus. Nec contemnenda certè uocabula illa artis, quæ memoriæ cauſa confinxerunt dialectici, nõ tantùm ut formas teneremus ueracium ſyllogiſmorum, ſed etiam rationem quandam & artem reducendi imperfectos ad perfectiſsimos figuræ primæ. Sunt enim in prima figura perfecti modi quatuor, omnium quicunque fieri poſſunt argumentationum regulæ, atque examen: Barbara, Celarent, Darij, Ferio. Horum ex uocalibus qualitatem & quantitatẽ obſeruare iubent. Siquidem A, propoſitionẽ deſignat uniuerſalem affirmatiuã: E, uniuerſalem negatiuam: I, particularem affirmatiuam: O, particularẽ negatiuam. Itaq; perfectiſsimi primæ figuræ modi ſunt quatuor: quibus adduntur alij minus perfecti, quia minus euidentes: nihilominus tamen ueri, quia ad aliquem illorum reduci poſſunt. Sunt hi, Baralip. Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſom. In ſecũda figura ſunt eodem modo imperfecti, ſed ad primos cõuertibiles, Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco. In tertia, Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon. Ergo ſi aduerſarius negat ſyllogiſmi illationem, potes per reductionẽ aliquam (uelut ex conſequente conuerſa in æquipollentem, cum altera præmiſſarum) inferre aliquid quod ex antecedente ſequatur, uel per impoſsibile. Vocant per impoſsibile, ex contradictorio conſequentis, cum altera præmiſſarum infert oppoſitum alterius, quam aduerſarius conceſſerat. Ita enim ſolent urgere reſpondentẽ: Si fallax eſt ſyllogiſmus, ergo poteſt dari antecedens uerum, conſequente falſo, uel in ipſis eiſdem terminis, uel in alijs ſimilibus. Veluti, exempli cauſa, ſi quis neget huius ſyllogiſmi ſecundæ figuræ bonitatem, Omnis homo eſt mortalis, Aliqua ſubſtantia non eſt mortalis, ergo Aliqua ſubſtantia non eſt homo: Dicis, contradictorium conſequentis uerum? bene igitur inferam ex eo, Omnis ſubſtantia eſt homo: &, Omnis homo eſt mortalis (ſunt à te ambæ conceſſæ) ergo Omnis ſubſtantia eſt mortalis: quæ contradicit illi quam antè cõceſſeras. Sed reductio ſecundæ figuræ facilis eſt ad primam (maximè trium modorum) per conuerſionem ſimplicem. ut hæc, Nullum A eſt B, Omnis C eſt B, ergo Nullum C eſt A. Nam, Nullum A eſt B, idem poteſt quod Nullum B eſt A. Iam adde minorẽ, Omne C eſt B, ergo Nullum C eſt A. Cum ergo multi ſyllogiſmi per reductionem probentur, artem etiam dare uoluerunt. Primùm uocales,

Vocabula quibus modi ſyllogiſmorum traduntur.

uocales,ut dixi, cuiuſq; modi propoſitiones docent:deinde,prima cuiuſq; dictionis cōſonans modum ad quem reducendus eſt: poſt hæc,conſonantes quę ſequuntur uocales, formam innuunt conuerſionis uel reductionis.S quidem conuerſionem ſimplicem,P per accidens, M mutandas eſſe præmiſſas, C reducendum ad impoſsibile:hoc eſt,ex oppoſito conſequentis cum altera præmiſſarum inferre oppoſitū reliquæ. Atq; ita quidem uirtutes & uitia ſyllogiſmorum deprehendimus ex forma. Dico autem ex forma: quoniam ex materia poteſt reijci argumentatio, ſi ex rebus fiat magis ignotis quàm ſit concluſio, aut non cōceſsis:uel certè ambiguis, nec eadem ratione acceptis. Illud enim petit principium: hoc diſtinguendum eſt protinus, ne fallacia alia aliā obtrudat. quia nihil fallacius quàm uerborum ſignificatio anceps, & non una acceptio. Vbicunq; igitur poteſt conceſſo antecedente negari concluſio, ſyllogiſmus peccat. Quapropter ſi neget aduerſarius ſyllogiſmum bonum eſſe, rectè poteris exigere in hunc modū: Si malus eſt, da igitur antecedēs uerum, conſequente falſo. Sed de propoſitionibus & ſyllogiſmis categoricis hæc ſufficiant. Sunt alij quos uocant Hypotheticos, & ex propoſitionibus fiunt coniunctis: interdum conditionalibus (ut,Si dies eſt,nox non eſt:Sed dies eſt,ergo nox nō eſt.)Interdum diſiūctis:ut, Vel dies eſt,uel nox:dies eſt,ergo nox non eſt. Interdū ex copulatis:ut, Et dies eſt,& ſtellę apparent:ergo ſtellæ apparent in die. Hinc hypotheticarum uel coniunctarum propoſitionū conſequutiones repertæ, & modi quinq;. Primus, in conditionali ex poſitione prioris partis,ſequitur poſitio adiuncti: ut, Si homo eſt, animal eſt:ſed homo eſt:ergo animal eſt. ſiue id fiat affirmatiuè, ſiue negatiuè. Secundus modus ex deſtructione adiunctæ procedit ad negationem propoſiti: ut cum in Phyſicis Ariſtoteles argumentatur,ſi partes poſſunt in infinitum augeri & minui, ergo & totum:ſed totum non poteſt,ergo nec partes. Tertius modus in copulatiuis à toto ad partem affirmatiuè. Quartus, à copulatis negatis, cum poſitione unius tollitur alter, quia ſimilis eſt diſiunctiuæ:ut, Non dies eſt & nox:ſed dies eſt,ergo nō eſt nox. Quintus, ex diſiūcta, poſita una parte, tollitur altera:&ſublata una, ponitur altera:ut iam exemplo docui. Hæc igitur hactenus de propoſitionibus & ſyllogiſmis. Nec balbutiſſe nos cum dialecticis quiſq; miretur,poſtquam neceſſe fuit ueritatis cauſa caput declarare,quam dialecticus uenatur,& propria eſt orationis tanquam paſsio. De honeſtis atq; utilibus different quidem politici, ſicut & de moribus, & quemadmodum uidebitur rationi conſentaneum: orator autem, ut fieri poterūt probabilia in uulgus:naturales philoſophi, de poſſibilibus & neceſſarijs, ut contingunt in natura rerum:ſed dialecticus,

Vitia ſyllogiſmorum ex forma & materia.

Hypothetici ſyllogiſmi.

Quæ capita quibus diſciplinis ſeruiant.

cus, ut modi fiunt & determinationes ſententiarum: de magnitudi ne & multitudine mathematicus & computator primi definierunt, reliquis poſtea occaſionem inde relinquentes.

De numeris, & rationibus numerandi.

Cap. 16.


ITA fiunt omnia capita finalia propria quodā modo eius facultatis, cuius eſt obiectū, ratio atq; oratio: quæcunq; illa ſit, aut quocūq; nomine appelletur. Sed magnitudo fortaſſe non uidetur. Imò uerò arithmetica, uel cōputatoria, ratio rationum, & mater omnis ratiocinationis & ſapientiæ, dialecticam nobis prima dedit, & rhetoricæ capita prima: conſiderante ratione in rebus eſſe unum & multa, plus & minus, æquale & inæquale, ſimile & diſsimile, & relatum. Et Græci quidem λογιστικὴν dixere, quaſi ratiocinantem diſciplinam: nō ſolum quidem ob hoc, ſed quia pueros ilico docemus numerare, ſimulac uocem flectere tentarint: & ex uocabulorum infinita multitudine, quæ in numeris eſt, pauca quædam componere in ſpeciem orationis. Hac prima, & rudi ſimplicíq; eloquentia læti infantes, ad alia ſe comparant & contemplanda & eloquenda. Cum itaq; de oratione ſuſceptus hic noſter labor, principia dialecticæ carptim expoſuerit, & rhetoricæ omnia oſtenſurus ſit, atq; poeticæ: ita profectò debet etiam numerorum ſpecies & genera deducere, quos materiam & obiectum eſſe conſtat computationis. Nec aliam ſanè rationem tenēt iuuentutis formatores. Principiò enim antequam literas aut omnino tabulam puero oſtendant, extemplò docent computare & eloqui, unum, duo, tria, quatuor. Quanquam propter imbecillitatem puerilis cerebri, contenti ſimplici hac recitatione quadamtenus (quòd ea ętas minus ratiocinari quàm meminiſſe queat) ad lectionem & ſcriptionem illicò procedunt. Attamen procedente tempore prius intelliget puer quid reſtet ex decem, ſi demātur quatuor: quàm quo differunt genus ab ſpecie, & ſyllogiſmus hypotheticus à categorico. Memini equidem, cum prima adoleſcens Dialecticæ elementa audirem, magna me deſperatione eius ſcientię afflictum: quòd ne uerba quidem præceptoris intelligerē, quamuis probè loquentis. non ignarus tamen eram prorſus arithmeticæ, ſed mediocriter peritus. Itaq; primam ego orationem arbitror eſſe numerare, proximā addere, tertiam detrahere, quartam diuidere: poſt hæc, per ſimilitudinem rationum commutare, & æquare atq; reducere. Numerant autem omnes mortales uſq; ad decem tantum, eadem ſemita ſemper recurrentes: ſiue ita nos docuerit digitorum (quos ob oculos habemus) memoria, ſiue quòd uidetur hic numerus tanquam uniuerſalis naturæ quadam ratione produci, & productus denarium procreare.

creare. Quia unum,duo,tria,quatuor,ſunt decem. Itaq; ſupra de-
narium omnes compoſitos pronunciant:&hos digitos,illos articu
los dixerunt.Sed articulorum & digitorum perquàm facillimã tra
diderunt nobis artem repręſentandi Arabes,nouem illis elementis
numeros definientibus,& litera o tanquam materia,& ut ita dicam 1 2
potentiali. Nos iam uocamus Siphram, à nomine tam numerali 3 4 5
quàm Hebræo.ſignat enim Hebræis cepher numerare.Tam Gręci 6 7
uerò quàm Hebræi per alphabeti elementa diſcurrebant, nunc ad 8 9
uigintiquatuor tantum, nunc ad nongenta uſq;, & mille: repetita 0
prima litera cum apice aliquo. Quanquam Græci quidem intra de
narium coacti fuerunt nouum effingere characterem,quo ſenarius
exponeretur: & intra centenarium,quo nonagenarius:& intra mil ϛ
lenarium,quo nongentenarius. Habuerunt tamen, ut Romani I V ϟ ϡ
X L C D M,ita illi Ι Γ Δ Η Χ Μ.hęc ſignificant unum,quinq;,decem,cen Annus à
tum,mille,& myriadem,quę decem millia. Sed Algorithmi (quem Christo
uocarunt Arabes) cum ſit ratio perpetua, ut retrocedendo proxi- nato, M.D.LVI.
mus quiſq; locus, elementi ſui uim & quantitatem decuplet:ita e- 1 5 5 6.
tiam calculis uti ſolemus aſcendendo per gradus denarios, præ-
terquam Galli.Hi neſcio qua ſecuritate tantum ad uiginti uſque O
aſcendunt,& ita loquuntur: Ter uiginti, ter uiginti decem,qua- CCCCO
ter uiginti,quater uiginti quindecim,ſexies uiginti : pro,ſexagin CCCCO
ta,ſeptuaginta,octoginta, nonagintaquinq;,centum uiginti : & OO
ulterius, non mille quingenta, ſed quindecies centum proferũt: O
Et calculo quidem, ut ferè reliqui, uno monſtrant quinarium, CCCCO
ab alijs ſepoſito:ſed tertio loco,uigenarios.Archimedes octona CO
rijs periodis numerum quantæcunq; arenæ eſt complexus: mil O OO
libus ſcilicet myriadum:ut unum,decem,centum,mille,myrias,
decem myriades,centũ myriades,mille myriades:Dehinc unum
ſecundę periodi,decem ſecundæ periodi,ac deinceps,tertiæ, quar-
tæ analogicè. Pronunciabis itaq; exempli loco,1530000000 quinde-
cim unitates ſecundæ periodi, & ter mille myriades primæ. Nos i-
gitur nouem illis elementis Arabicis nõ ſolum integros numeros,
ſed & fractos (quos minutias uocant) & proportiones rerum de-
ſcribemus. Suppoſitis namq; ſibi numeris ea omnia ſignificantur: $\frac{2}{1}\frac{3}{1}\frac{3}{2}$
ueluti dupla,tripla,ſeſqualtera:tum dodrans,ſextans, uncia (uocãt
enim unciam Arithmetici,unam duodecimam)præterea & diuiſio $\frac{3}{4}\frac{1}{6}\frac{1}{12}$
nes numerorum. Quod enim ex diuiſione reſtat (ueluti ſi tria po-
ma relinquerentur, diuidenda numero quaternario)id ſupra diui-
ſorem eodem modo conſtituunt, hoc & ſimili modo loquentes:
Tres quartæ,quatuor quintæ,centum milleſimæ. Sed cum Arith- $\frac{3}{4}\frac{4}{5}\frac{100}{1000}$
metici puncta per ordinem aliquando collocent, hoc non nume-
randi formam habet,ſed demonſtrandi, uel numeri uim,uel regulę

neceſsitatem. Sunt enim quidam numeri lineales, alij plani, alij ſoli



di: & rurſum plani, trigoni, tetragoni, circulares: & ſolidorum, alij cubi, alij zenzi ſurdeſolidi, zenzicubi, pyramidales. Sed præter cæteros, quadratorum eſt maximus uſus, ad radices medias inueſtigandas. alij ſurdi appellantur, niſi radicem habeant: uelut nouenarius radicem habet ternarium. ſiquidem ita loquimur: Ter tria dant nouem. Iam parium & imparium ſpecies multę ſunt: ut pariter pariũ, pariter imparium, impariter imparium, impariter parium, pariter atq; impariter parium, atque item imparium. Dehinc perfecti, redundantes, imminuti. perfectus enim is dicitur, qui totus ex aggregatione prodit earum partium, in quas diuidi poteſt: ut ſunt, 6, 28, 496. Sunt præterea rationales & irrationales. Sed fictione tantum exiſtunt irrationales: comparatione ſcilicet aliorum. ut quia diametri ad coſtam quadrati nulla poteſt in numeris reperiri proportio (nã ſi detur lateri aliquis partium numerus, nunquam eadem menſura poteris diuidere dimetientem, nec contrà ſi feceris) ideo numerus diametri irrationalis erit: perinde ac ſi diceres, nullus: ſed imaginatione fingitur. ex cuius multiplicatione quadratum fieri, monſtratum eſt in geometricis, duplo maius eo quod fiet ex coſta. Atq; horum quidem fictio multum cõtulit ad artem Gebri, quam non ita pridem ex Arabia accepimus: ubi ficto numero quem uocant coſſum, per poſitiones numerorũ proportione aliqua mediorum (ſiue illi rationales ſint, ſiue irrationales) numerũ alium quem





Proportionis tria genera. uis ignotum inueſtigamus. Proportio autem alia dicitur geometrica, alia arithmetica, alia harmonica: & eiſdem nominib. fiũt progreſsiones. Quanquam harmonica ſpecies eſt geometricæ, uel ex geometricis compoſita. Arithmetica progreſsio differentias æqua

Arithmet. les continet, ſed geometrica eaſdem rationes: nempe duplam, tri

1. 2. 3. 4. 5 plam, quadruplicem: uel ſeſquialteram, ſeſquitertiam, ſeſquiquar

2. 4. 6. 8. 10 tam, ut appellant Latini: uel ſuperpartientem bis tertias, ter quar

1. 4. 7. 10. 13

Geomet. tas: duplam ſeſquialteram, duplam biſpartientem quintas. Co

1. 2. 4. 8. 16 gnoſcendæ autem in primis ſunt huiuſmodi rationes. ſunt enim de

1. 3. 9. 27. 81 monſtrationes & cenſuræ omnium comparationum tam in nume

8. 12. 18. 27

Harmonica ris uulgaribus, hoc eſt rebus ipſis, quàm in abſtractis. Maximè ue

6. 4. 3 rò geometricæ: ex quibus aurea in primis illa quatuor proportio

12. 9. 6. nalium regula cõfecta eſt, ubiq; utilis, paſsim regnans, ab omnibus

2/1 3/1 4/1 hominibus conſulta. Facili nanq; compendio ex tribus numeris co

3/2 4/3 5/4

8/3 7/4 5/2 13/5 gnitis quartum inuenimus, eadem ratione reſpondentem tertio, ut ſecun-

ut ſecundus primo. Docet Euclides libri 7. propoſ. 20. quorum-cunque quatuor terminorum inter ſe proportionem habentiũ, multiplicationibus mediorum produci æqualem ei qui ex multiplicatione extremorum fiat. Quod cum ita ſit, certè diuiſo producto ex multiplicatione mediorum per unum extremum, non aliter proueniet alterum, ac ſi extremorum fuiſſet facta multiplicatio. Cæterùm Algebræ ars non ſola geometria utitur, ſed & alijs: uix tamen quicquam poteſt abſque illa, nunquam ſatis laudata, regula aurea. Fractionum, quas minutias uocant, ratio duplex eſt. communes enim non eodem pacto tractantur, ut phyſicæ. Scribuntur quidem phyſicæ (ut antè diximus) numeratori ſuppoſito denominatore: & enarrantur hoc pacto, duæ tertiæ, tres quartæ, undecim duodecimæ. Sed communes uocantur ſolidi, uel groſsi, & gradus & minuta. Deinde minutiæ fiunt integri partes, ut aſsis unciæ. ſed numeri partes licet eodem modo repræſententur: tamen earum ratiocinatio diuerſa eſt. Ex multiplicatione enim tertiæ partis trecentorum aureorum, per eiuſdem numeri dodrantem, multum excreſcet numerus: ubi phyſica multiplicatio multo minus, quàm antea eſſet, reponit, nempe duas nonas. Sed cum ratiocinatio in particulis alioqui facillima, nec minus neceſſaria, ſæpe tamẽ obliuioni tradatur: uolo tibi ob oculos ponere in figuris, quibus omnis ea ars continetur, tria ſupponens. Primum eſt, numeros multiplicandos eſſe, quos linea aliqua connectit: deinde, ſi qua integra ſint cum fractionibus committenda, ſuppoſita unitate numero integrorum, eadem ratione utendum, ac ſi eſſent ambo fractiones: denique, in diuidenda fractione, mutandos eſſe diuidentis numeros ſurſum deorſum, ita ut numerator locum habeat denominatoris, & denominator numeratoris: reliqua multiplicationibus peraguntur.

Demoſtratio regulæ aureæ unde ſumpta ſit.
2 4-12.24.

Fractiones.

$\frac{2}{3}$ $\frac{3}{4}$ $\frac{11}{12}$

100
300
30000
$\frac{1}{3}$ $\frac{2}{3}$ $\frac{2}{9}$

Multiplicentur $\frac{2}{3}$ in $\frac{3}{4}$: fient $\frac{6}{12}$ hoc eſt, $\frac{1}{2}$

Diuidantur $\frac{1}{2}$ per $\frac{2}{3}$: mutato $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{2}$, fient $\frac{3}{4}$

Reducantur duæ minutiæ diuerſarũ denominationum ad unum nomen.

8 9
$\frac{2}{3}$ ✕ $\frac{3}{4}$ fient $\frac{8}{12}$ $\frac{9}{12}$

Subtrahantur $\frac{2}{3}$ à $\frac{3}{4}$, relinques $\frac{1}{12}$ per ratiocinationem reductionis ſuperioris.

Reducantur minutiæ minutiarum ad unam communem: ut duæ tertiæ, unius quartæ, trium quintarum, $\frac{2}{3}$—$\frac{1}{4}$—$\frac{3}{5}$ fiunt $\frac{6}{60}$ quæ eſt $\frac{1}{10}$ Ergo ut eò reuertamur unde quis digreſſos nos arbitrabitur, fortaſſe conſtitutum hoc maneat: capita finalia eſſe, uerum, probabile, bonum, magnum, poſsibile, cum oppoſitis, & quæ ab his ſequuntur.

tur.Nam(quod dixi prius)uero adhæret ἐνδεχόμενον, & ueriſimili
probabile,& omne uerum poſsibile eſt: ſed doctrinæ gratia, ſæpe
Veriſimilia diſtinguũtur. Appellamus autem ueriſimilia,Græcè εἰκότα,quæ ui
dentur pluribus uera:ut matri liberos charos eſſe,amicis eſſe bene
faciendum. Et ea omnia quæ communiter accidunt: ueluti, quum
ex ſignis corporis morbum prędicimus,ex aeris mutatione famem
& peſtem:Si comptus eſt,amat. Hinc & prouerbia uim acceperet
ut,Figulus figulo inuidet,&poeta poetæ:quia ferè ita fit.

Caputa prima. Cap. 17.

HAEC igitur prædicata (quæ potiſsimùm qualitatis eſſe
uidentur) nos uel quærimus in ipſo quæſtionis noſtræ
ſubiecto, uel in alio. Non enim eſt rei ſemper ſubiectæ
inſiſtendum: ſed in ſimilibus, diſsimilibusq; inueſtigan-
dum aliquid,quod rei adiunctum propoſitæ(ut in arithmeticis di-
xi) uel fidem faciat, uel delectet, uel certè illuſtret quod luce caret.
Sed quæruntur ſenſus in re alia, quæ ad propoſitam aliquo modo
affecta eſt:in ſimili inquã,& diſsimili,& partim quidem ſimili, par-
Cõparatio. tim uerò diſsimili: quod eſt comparationis proprium. Nam com-
paratio non fit niſi inter res eiuſdem generis. Quæ uerò talia ſunt,
partim ſimilia,partim diſsimilia reperiuntur.Diſsimilia ſunt cõtra
Contraria. ria & diſparata,ſeu differentia. Voco autem cõtraria, quæ propriè
ſic appellantur:ut temperantiã & intemperantiã,uitium & uirtutẽ,
quæ aliquando medio carent (ut par & impar) & ſemper neceſſe
eſt alterum ineſſe ſubiecto ſuſceptibili: alia mediũ habent, ut inter
calidum & frigidum eſt tepidum: inter bonum & malum,quod ne
que bonum,neq; malum dicitur. Inter contraria pono deinde pri-
uantia,ut ſunt,armatus & inermis:relata,ut,pater & filius: contra-
dicentia, ut, fecit,non fecit:& repugnantia uel diſſentanea,ut,uolu
ptas & uirtus: & quæcunq; ſecum quouis modo uidentur diſside-
re. Diſparatum uerò(uel remotum)cum uulgo dialecticorũ,quic-
quid quocunq; modo differt ab alio. Nam repugnantia ex præce-
dentibus uel ſequentibus doceri poſſunt:ut ille dixit, In regno uo-
luptatis non eſſe locum uirtuti: ſed uirtus à ſono tibiæ, & ab equi
forma tantum modo differt. Ex oppoſitionibus his magna pro-
cedit uis orationis tam ad copiam quàm ornatum,undequaq; ſum
pta occaſione. ut fiunt illæ diaſtolæ: Non furem, ſed latronem: Si
pulchrum eſt ſuas facultates elargiri,non tamen formam. Per ſi-
Parabola militudinem attribuuntur rei parabola & exemplum. Eſt autem
quid. Parabola,collatio uериſimilis:& Latinè proprium nomen habet,ſi
militudo. ut ſi ad curam reipublicæ hortaturus aliquos, apes for-
Analogia micasq; dicas in commune laborare. Aliter quoq; fit parabola per
quid. analogiam;ut, Si turpis dominæ conſuetudo cum ſeruo, turpis &

domini

domini cum ancilla. Eſt enim analogia, ſimilitudo rationis: ſicut parabola, ſimilitudo rerũ. Neq; ab hoc loco abeſt cõmutata proportio, quam in terminis proportione aliqua ſibi reſpondẽtibus inuenerunt mathematici. Quoniã ſicut ſe habent quatuor ad duo, ita ſex ad tria: ergo commutata ratione, ſic ſe habent quatuor ad ſex, ſicut duo ad tria. Hoc demonſtrat diuinum opus Euclidis in 14 lib. ſeptimi, & 16 quinti: ut reuera computatoria ſit prima rerum demõſtratio. Neq; affirmatiuè ſolum hic potes, ſed & negatiuè argumentari, ſicut ex cęteris omnibus.

Commutata proportio.



Quas uerò in Euangelio parabolas uocat CHRISTVS, ab exemplis hoc tantum differunt, quòd in exemplis certa perſona habetur, non item in hac: Ergo quid exemplum ſit, cognoſcendum eſt: hoc enim ſecundo loco poſui rerum ſimilium. Et duplex quidem inuenio. Nam propriè ex facto uerę uel fictæ perſonæ ſumitur, quæ autoritatem aliquam (ſaltem quantum ad negotium pertinet) habere uidetur: impropriè, ex ſententia uel ſcripta uel prolata ore. Atq; illud quidem propriè exemplum nominabimus: hoc poſterius, pronunciatum. ſub quo ſententias, chrias, prouerbia, teſtimoniaq; uniuerſa conſtituemus. Et tam rei geſtæ quàm ſententiæ duplex autor haberi poteſt: mortalis, & natura uel dij. Nam cataclyſmi, tempeſtatis, euerſionis urbium, et aliarum rerum (quas natura & caſus adferunt) exempla producuntur tam ab oratoribus in foro, q̃ à philoſophis in ſchola.

Parabole Euãgelicæ.

Exemplũ.

Pronunciata.

Comparationis autem ut maiores omnino uires ſunt ad perſuadendũ & probãdũ (cum uel à maiori negatiuè, uel à minori affirmatiuè, uel ab ęquali utroq; modo ratiocinamur) ita ſimilitudinis maior eſt ad docendum facultas, atque ad illuſtrandum omnia. Hæc igitur ſex ponemus capita quæſtionum prima: oppoſita, ſimilia, diſsimilia, comparata, exempla, ſententias uel pronunciata. Sed parum certè conferunt hæc uocabula, minusq; præceptio ipſorũ: niſi ſeducta cum iudicio ab uniuerſalitate, negotio accommodentur in parte. Et ſæpe uertiginem inducunt non exercitatis, præceptorum nomenclaturæ, inuentæ ab artificibus. Verùm ſi quis diu in illis exercitatus fuerit, multa profectò poterit præſtare.

Cõparatio.

Similitudo.

Illud quoq; ueriſsimum eſt, quanto quis propius ex particularibus ſententijs propoſitiones eligit, tanto eius ars latet magis: & ipſa oratio tanto fiet elęgantior, & quodam modo magis uiua, quanto tacitis magis elabetur ex finibus terminisq; doctrinæ. Secus, non differet ab exercitamentis puerorum: qui ſequentes artis ueſtigia, ut bene dicant, dum ipſa premunt dicendi ueſtigia, diſcunt malè dicere.

Differen-

Diſſerendi methodus. Cap. 18.

VT autem ad generalia capita ueniamus: duo (coniectura & finitio) ad intentionem uidentur magis pertinere, ſicut qualitas & exceptio ad depulſionem: etſi reuertuntur quidem hæc mutuò. Quocirca conſiderata ſimplicius, ad dialecticam exercitationē licebit referre. Petentis illic partes fiunt, aſſerere, & definire: reſpondentis, negare, concedere, & diſtinguere: hoc eſt, argumenti propoſiti ab antidico (cuius cōcluſio à theſi noſtra diſsideat) uim & artificiū eludere: uel negando antecedentium alterutram, uel eandem admittendo, uel diſtinguendo: id eſt, uno ſenſu admiſſo, alium reijciendo. Quod ſi totum antecedens dandum erat contradicenti (ne conceſſa ſimul adiuncti conſequentia, & ipſum quoq; adiunctum fateri cogereris) ſimul contendebas eſſe poſſe propoſitionem in tuo problemate, cum argumenti illius propoſitione. id, negare conſequentiā dicunt ſophiſtæ noſtri

Negare conſequētiam. temporis: Cicero, negare connexū. eſt enim Connexū Latinè, quod Græcè ſyllogiſmus hypotheticus. ut, Quamuis (exempli cauſa) probaretur eſſe iuſtum aliquid, non propterea tamen ſequi, ut eſſet etiam utile: nimirum quòd licet iuſtum ſit, tamen inutile eſſe poſsit.

Syllogiſmi inuerſio. Huius quoq; rationē poteras, mōſtrata rei cauſa, adiungere. Quin & ſyllogiſmum inuertere, ut ex concluſione tollantur antecedentia, hoc pacto: Imò uerò nemo poteſt, niſi ex alienis incommodis & iniurijs, admodum facere ſua cōmoda. Reliquum præterea eſt, ut ſibi diuerſus petitor, & à ſuo ſermone diſſentire oſtendatur. Atque hactenus quidem reſpondentis partes ſuſtinuiſſe, ſatis erit.

Reſpondentis alia cautio. Verùm ſi iam reſpondiſſe non es contentus, licet petentis aſſumpta perſona, ex aliqua circunſtantia demonſtrare inutile: & ulterius etiam progrediendo, non ſolum inutile docebis, ſed & turpe ſimul & moleſtum, & difficile, & alia ex abundanti accumulans. Sic omnis diſſerēdi ratio progreditur. Ex qua (ſi reliqua diligēter perpendas, quæ ſumus dicturi) nobiſcum ſenties, methodo certa neceſſa-

Capita generalia quatuor. riáq; deduci ea principia orationis, quæ capita diximus generalia: ſcilicet coniecturam, finitionem, qualitatem, & exceptionem. Nam ſi ad propoſitam argumentationem nolis omnino reſpondere, cauſatus aliquid, quo excuſere: quid hoc aliud eſt, quàm Paragraphe? Sed hæc ex ſequentibus patebunt magis.

Capita quæ ſub generalibus inueniuntur: & primum Coniectura. Cap. 19.

Coniecturæ tria tempora. SED cum de rei conſiſtentia quærimus, proprium quæſtioni nomē atq; ſtatui eſt, Coniectura, & facti quæſtio. hanc Græci dicunt ϛοχασμὸν, An factum ſit, An futurum: & de tempore præſenti, An ſint antipodes. Et eorum

rum expoſitio quæ in negotio geſta ſunt, quam Hermogenes ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους appellat, non ſub alio genere uidetur, quàm coniecturæ, poni. ueluti cum quærimus, Quo tempore factum ſit, uel fieri poſsit diluuium: quo loco naſcuntur flores illi inſcripti nomina regum: qua de cauſa procedunt fulgura: quo modo gloriam comparabimus. Celebrior tamen, præſertim in ciuili diſputatione, γνώμη, id eſt uoluntas. ut, Quid habuerit in animo legislator, Quid cupiat aduerſarius, Quid agere decreuerit: Cur arcem contemplatus fleuit? Bono'ne animo ſint erga pop. Rom. Fregellani. Huic finitima eſt δύναμις, id eſt facultas, & uires: ut, Quando expendimus in conſilijs facultates hoſtium ex perſonæ circumſtantijs. Sunt enim ſuprà poſitæ in perſonæ circumſtantijs, genus, educatio, forma, robur, diuitiæ, & ſimilia: quæ cum qualitates dicantur aliquando propríæ, aliquando etiam communes, cum poſtea de qualitate communi fiet ſermo, alterutram harum uoluntatem uel uires conſectabimur per plures huiuſcemodi locos. Sunt autem duo hæc, uoluntas & facultas, firmiſsimæ neceſſariǽq; probationes coniecturarum, ut poſtea dicemus. Sententia quoq;, quam Græci διάνοιαν, ita inueſtigatur, ut res alia quæuis, quæ conſiſtit. nam ſenſus legis an hic uel ille ſit, quodãmodo diuinamus. Et facti quædam eſt quoq; διάνοια ut, quid portendant ciuium diſcordiæ? Atq; huc referes omnia ſigna, tam præcedentia rem, quàm ſequentia: ut naturæ omnia uaticinia, & uatum obſeruationes: non tantum criminis indicia, quæ obſeruantur in foro. Ob id etiam, quæ Græcis eſt ἔκβασις, nobis exitus, & eorum expoſitio quæ futura ſunt niſi occurratur, coniecturæ pars cenſebitur: quia communiter accidunt. Huius duplex ratio eſt. nam uel unum incommodum prædicimus, niſi caueant iudices: ut, Si Carthaginẽ relinquimus incolumẽ, num quid ſit incommodi ad rempub. peruenturum. uel duplex: ut, Siue maneatis, ſiue egrediamini, non poteſtis fugere calamitatem. uel cum uiolatione, hoc ipſum quod maximè deſideratur, non alia ratione amitti perſuademus, quàm ſi id fiat, ex quo rem aſſequi poſſe ſe putant: quæ eſt περιπέτεια. ut prodigi, cum beneuolentiæ comparandæ cauſa benefici eſſe uelint, non tanta ſtudia aſſequuntur eorum quibus dederunt, quanta odia eorum quibus ademerunt. Erunt ergo coniecturæ partes, & capita diſputationum de conſiſtentia hæc. nec minus in perſonis, quàm in rebus. Et de patria Achæmenidis, ex facie, ſermone, ueſtimento, & alijs indicijs iudicabimus.

Voluntas. *Facultas.* *Sententia.* *Signa.* *Exitus.*

Finitionis

Finitionis ſpecies. *Cap.* 20.

Variæ finitionis appellationes.

SEQVITVR finitio. hunc ſtatum, finem nominauit Hermagoras: Theodorus, περὶ τῆς ἰδιότητος, id eſt, de proprietate: alij, Quid ſit: nonnulli magni iudicij profeſſores, quorum ego ſententiam in primis ſequor, περὶ τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑτέρου. Dixeris non impropriè, de eodem & alio. Quotieſcunque enim quid ſit id de quo diſceptatio eſt, quæritur, partim idem, partim etiam diuerſum eſſe cum re aliqua magis nota demonſtrandum eſt. Sed omiſsis interim uarijs de definiendi ratione ſententijs, quatuor ego inuenio ſpecies finitionis pręcipuas. Prima dicitur Græcis ὅρος ἀντονομάζων, cum rei aut perſonæ propter negotium nomen imponitur. ut, Non eſt tyrannicida, non eſt fur, ſed ſacrilegus. ubi alter quidem diſceptantium definitionem facit ab ijs quæ in negotio non reperiuntur, & eſſe negat in re, quod ab aduerſario ponitur in uerbo: alter uerò contrà, ab ijs quę facta ſunt uerbũ docet, ut quæ ſufficiant ad eius nominis rationem. & appellantur, ὅρος, id eſt finis: & ἀνθορισμὸς, id eſt oppoſita definitio. Finis ergo ſeparat & diſtinguit, cum differre dicimus factum ab alio cui nomen competit, aut ratio. ut, Multum intereſt rem ſacram an priuatam quis clepſerit, ut ſacrilegus dicatur: multum differt, uir'ne bonus an improbus loquatur, ut authoritatẽ habeat ſententia.

Definitionis ſpecies quatuor.

ὅρος quid.

Dialecticorũ quatuor definiendi formæ.

Hæc autẽ ratio quærendi, ac forma ſtatus finitiui, ex modis quibus dialectici utuntur in ea re, profecta eſt. habent enim illi quatuor definiẽdi formas: unam, in cõponenda & quaſi deſcribenda ſpecie, ex genere & differẽtia (quã maximè uocant propriè definitionẽ) alteram, in diuidendo genere per ſpecies (quam diuiſionẽ dicũt) & generis eſt definitio. genus enim, ut genus eſt, diuidi, nõ cõponi poteſt: & cum in formas certas differentijs oppoſitis ſeparatur, quod infinitũ prius erat, definitur ac deciditur. Tertia eſt in imponendo rei nomine, quæ uocabuli uim atq; etymologiam ferè notat. Sicut enim nomen quoddam ueluti genus eſt, quod per formas & ſpecies differentes cognoſcitur: ita licet ex nomine rem inueſtigare, ſubſtantiæq; rationem cognoſcere, ſi quando uſu aut alio modo præſumptum fuerit ac prænotatum. hoc docet poeta elegantiſsimè:

Auulſumq́ humeris caput, & ſine nomine corpus.

Quaſi diceret, amiſſa ſubſtantia, & omni ratione prioris naturę. Quarta, in uocabuli uociſq; obſcuræ interpretatione conſiſtit. & Grammaticorum eſt propria: ut ſi quis quærat, quid uoces illæ ſignificent in Leg. 12 tab. Aſsiduo uindex aſsiduus eſto, proletario ciui quiuis uolet uindex eſto. Et item quid in alia uocat ruta cæſa.

Locus Ciceronis explicatur.

Exempla omnium iſtarum definitionum habes apud Ciceronem, initio primi de Officijs. Primò enim ex genere & differentia illa eſt,

qua

qua medium officium ſeu commune id eſſe ait,quod cur factum ſit,
ratio probabilis reddi poteſt:& rectum,perfectum officium.Tum
ex formis genus conſequitur,cum ita dicit:Nam & medium quod-
dam officium dicitur,&perfectum.Et illud: Vnum genus eſt,quod
pertinet ad finem bonorum : alterum, quod poſitum eſt in præce-
ptis,quibus in omnes partes uſus uitæ confirmari poſsit.Hic diuiſi
one utraq; genus definit, officium. Iam cum ita loquitur, Perfectū
autem officium,Rectum(opinor)uocemus, quod Græci κατόρθω-
μα:hoc autem commune,quod ij καθῆκον uocant. Quid?an non u-
trumq; definit,tam Græco quàm Latino nomine?non dubium eſt.
Nam quemadmodum interrogare poteras,Quid eſt officium me-
dium?ut reſponderem,Quod cur factum ſit,ratio probabilis reddi
poteſt : ita & poteras, Quid hoc officium uocas, quod cur factum
ſit,ratio probabilis reddi poteſt? & reſpondebo καθῆκον,uel Lati-
nè,officium commune. Et quid uox ea ſignificet,apud Græcos lite *Doli mali*
ratores habes.In tertio lib.Dolus malus reſpondet,cum eſſet aliud *definitio.*
ſimulatum,aliud actum.Definitio eſt per genus & differentiā. quæ
autem ſequitur,per nomen: ergo & Pythius, & omnes aliud agen-
tes,aliud ſimulantes,perfidi,improbi,malitioſi ſunt, Alterum ca *Syllogiſ-*
put definiendi,ſeu de eodem & altero,dicitur Græcis συλλογισμὸς, *mus quid*
Latinè par. Eſtq; ſyllogiſmus omnino fini contrarius. nam ut ὅρος *Latinè.*
(quem finem,uel finitionem dixi)hoc efficit,ut differentiam uel for
mæ uel nominis oſtendat:ſic omnino par,ac ſimile,eiuſdemq; ratio
nis eſſe,ſyllogiſmus.Itaq; huius propoſitionis formę ſunt,Nihil in-
tereſt,nihil differt:ut, Iſtorum aduentus in urbem non multum ab
hoſtili expugnatione differt : Nihil intereſt,armis aut cōſilio patriā
liberauerim.Sic uerbum quod in leg.12.Tab.eſt,Tignum furtiuum
neq; ſoluere neque uendicare quod ędibus uel uineis eſſet iunctum
prohibebatur: hoc Vlpianus interpretans omnem materiā ex qua
ædificium conſtat, uineæq; neceſſariam , certè definitionem uerbi
facit per collectionem rerum ſimilium. Contra utrumq; horum *Violenta fi*
uehemens ac penè inſuperabilis eſt, quem Græci ὅρον βίαιον, id eſt *nitio.*
uiolentam finitionem dicunt.Inuertit hæc ſenſum in cōtrarias par-
tes, ut nihil minus eſſe uideatur quàm quod antè finierat aduerſa-
rius:ut, Non hoc eſt ciuitatem defendere , ſed magis prodere. ita
ſemper uiolatio atq; inuerſio contrariam ſpeciem inducit. Nec ue-
rò tam difficilis inuentu eſt , quia ſi circunſtantiæ omnes excutian-
tur,non poſsis probabiliter aliquid afferre,quo tolli prior,& cōtrà
ſubſtitui alia ratio queat. Cum aūt uniuerſaliter definitio & quę-
ſtio omnis, tam quæ genus diuidit , quàm quæ ſpecies diſtinguit,
tractetur:ſi tam ea in quibus confirmatio ſita eſt propoſiti afferan- *Quæſtio u-*
tur,quàm in quibus impugnatio:cum in utranq; partem ita diſſeri- *niuerſalis.*

mus,ut diuidendo,& definiendo,& propria accidentia cuiuſq; declarando,quid uerum ſit,aut commodum,inueſtigamus:genus huiuſce diſputationis,& omnis definitio dici propriè cōſueuit theſis, uel de theſi.Cuius finis eſt,cognitio atq; ſcientia. Quare & inter finientes locos poteſt numerari propoſitum, non tantùm quia omnis definitio theſis eſt, ſed etiam quia omnis theſis tanquā amplior quædam & pluribus modis facta rei declaratio atq; deſcriptio uidetur.Sed ubi conſultatio fuerit, & hypotheſis, ad qualitatem magis tum referenda.nam in conſulendo non tam quid ſit,quàm quale ſit,ſciri uolumus:in alijs omnibus, quid ſit. itaq; cum duplex mihi uideatur munus theſeos:unum,uim naturam'q; rei in uniuerſum oſtendere,atq; proprietatem:deinde, actionem ſuſceptam propoſitam'ue inſtituere,iuxta Græcorum morem, qui dixerunt theſes illa aduerbia,ϖλευτίον,ζητορητίον:illud'q; prius non aliter quàm certò & directè(ut ſic dicam)definiendo (nam ſi proprietatem Theodoro definitio explicat:ubi qualitas,ſiue proprium aliquid prædicatur,quæſtio eſſe finitiua poteſt)nulli profectò mirum uideri debet,quòd inter capita finientia poſita eſt:licet non uno tantum modo aut ratione componatur. Quicquid enim illud eſt,in quo quaſi certamen ponitur controuerſiæ (quod Greci κρινόμενον appellant) id ita placet nonnunquam,ut ad perpetuam traducatur quæſtionem,& de eo ueluti de genere toto diſputetur:ubi potiores ſemper partes occupare ſolent quæſtiones de ſubſtantia & rei natura atq; proprietate. Eſt ergo theſis,pronunciatio de genere toto,aut de ſpecie aliqua generaliter (hoc eſt, tanquā de genere toto, quia propria caret circunſtantia:præterquam aliquando cauſæ)aſſerens,refutans, atq; definiens. Quæ ſi eſt opinio hominum politica, electio fit:ſi idiotarum,cōmunis ſententia.Et uocari ſanè poteſt locus communis. Nam quod Vlpianus tit. De iuſtitia & iure, poſitiones dixit,Latinè maluit quàm Græcè loqui. quo ſermone mirum in modum uexantur multi interpretes. Huius (inquit) ſtudij duæ ſunt poſitiones,publicum & priuatum. Intelligit, duas iuris ſpecies cognoſcendas eſſe,duos'que locos & ueluti capita generalia omnium quæſtionū iuris ciuilis,in quorum cognitione omne ſtudium ponitur. Nec de principijs,aut de pronūciatis unquam cogitauit Vlpianus:& multo minus de ſitu,aut loco,ut putarunt quidam,uelut ſi ille nomen hoc phyſicè,non dialecticè uſurparet:ut,differētias ſignificat ſurſum & deorſum,antè & retro.Sed hæc de theſi quidem hactenus : preſertim quæ theorica nominatur. nam quæ actionis eſt, & Græcè practica, hæc ad metalepſin quadam parte poterit referri : nimirum in qua refutatio docetur abſolutionis, & eius confirmatio ad abſolutionem. Vtraq; autem eodem modo refellit,ut ſuo loco

Theſis inter finitionis locos numeratur.

Theſeos duplex munus.

Theſeos definitio.

Vlpiani locus explicatur.

Theſis practica non pertinet ad finitionem.

loco dicemus. Hac igitur cauſa inter finitiones theſis ponatur non practica, ſed theorica, quòd ad ſubſtantiã & rei proprietatem cognoſcendam tantùm dirigitur. Et ratio nominis (ut uidetur innuere Plato in Euthyphrone) eſt, quod qui ſermonem proponit, debet in reſpondendo conſtans eſſe, nec uacillare ullo modo, tanquã Dędali opus circumagens. Diuiſiones ergo alias omitto tam theſis, qua uocatur ſermo hypotheticus, ponens ea quæ non ſunt tanquam ſi eſſent, ut impoſsibile aut abſurdũ aliquid deducat: & quæ altera pars diaſtoles arſis & theſis, & quę loci habitus ſurſum & deorſum: quàm definitionis. Qualis quędam eſt apud Hermogenem, ſimplicium finitionum & multiplicium, atq; horum rurſum in antonomazontem, & per comprehenſionem ex duabus perſonis incidentem, duasq; definitiones. Alij tria fecerunt genera, κατὰ φύσιν, κατὰ τρόπον, κατὰ κρίσιν. Alij pariter tria, quæ ſimiliter appellant κατὰ κρίσιν, κατὰ ἀμφισβήτησιν, κατ᾽ ἀξίωσιν. Sed curioſa magis exiſtimo, quàm uel commoda, uel ſcitu digna. Nam quid per Deos tam procliue, quàm ex circunſtantijs infinitas excogitare actionum ſpecies atque diſcrimina? Pergamus igitur ad Qualitatem.

Alia Hermogenis finitionum genera reijciuntur.

Capita abſolutiua. Cap. 21.

TERTIVM caput, doctiſsimum quemq; ſecutus, in qualitate poſui. Etenim ut aliter ſentiam, cùm multa dehortantur, tum illud potiſsimũ, quòd nemo ex ijs qui hanc rationem impugnare auſi ſunt, meliora certiora'ue ijs attulere, quę ab antiquiſsimis fuerũt inuenta. Cumq; pateat latiſsimè hęc ratio, omnes tamen de iure tantùm diſputari hoc capite exiſtimarunt: & ad forum omnem dictionem ſcriptionemq; retulerunt. Sit ergo hoc loco de qualitate quæſtio: non de illo quidem prędicamento, quod tertium fecit Ariſtoteles (ex illa nanq; definitio potius, & quaſi deſcriptio rei cognoſcitur, cum propria ſubſtantiæ cuiuſq; inueniuntur, quàm ſtatus aliquis defenſionis) ſed de uſitata illa appellatione ſtatus, in quo (quoniam de facto conſtat, nec de uerbo controuerſia mouetur) iure'ne an iniuria factum ſit quæritur. ut, Clodium occidit Milo: non negat, ſed defendit crimen, dicens, Iure occidi, uim ui repellẽs. itaq; facti qualitate aduerſarij intentionem effugit: nempe quòd ſit iure permiſſum, uim afferenti uim etiã afferre. Quapropter quoniam intentio aduerſarij ratione aliqua à defenſore excipitur atq; retunditur: eaq; ipſa ex capitibus finalibus deſumpta, iuſto, utili, probabili, poſsibili (quemadmodum ſuprà in differendi methodo, adiunctum, negabamus) ideo ſtatum hunc ſiue caput generale defenſionis dixerunt non pauci: alij, de qualitate, & de genere: & Cicero quodam in loco, de ratione dici ſignificauit. Atq; equidem opinor, ſi ſtatum nos rationis appellaremus,

Cuius'nam qualitatis ſit hic ſtatus.

Varia huius ſtatus nomina.

nunquam melius aut certius nomen inueniri poſſet. Primò enim non aliter ea concertatio accidit, quàm ubi de rationis ui atq; adiunctione dubitatur: deinde Græci nominis ueritas ea eſt, ut cōtra propoſitionem obiectionemq; aduerſarij, quaſi aliquid aſſumas. Fiunt enim qualitatis duo genera, quæ Latini uocant Abſolutam & comparatam. Abſoluta qualitas Græcis dicitur ἀντίληψις, comparata ἀντίθεσις: quaſi diceres, contraria aſſumptio, & contrarium propoſitum, atq; adeò reprehenſio, refutatioq; argumenti atq; rationis obiectæ. Attamen ſiue qualitatem, ſiue rationem, ſiue defenſionē, ſiue refutationem utcunq; probes: diſtinguenda eſt ratio generis ipſius, & prius quidem de abſoluta agendū. in qua ſpecies inuenio quatuor: unam, ex partibus iuris: alteram uerò, quantitatem rei: tertiam, mores perſonæ: quartam, qualitatem epilogicam, ſeu communem. Et quę de partibus iuſti ſeu iuris ſumitur, ea ferè Abſolutio ab omnibus nominatur: quòd reum penitus à crimine abſoluat. Mihi autem, latius cum tota ratio præceptorum de oratione pateat, nec ſufficere uidetur definitio, niſi ſub iuſto reliquas partes qualitatis complectamur atq; intelligamus: & à nobiliori notioriq;(ut fieri ſolet) minus notam deducamus. nam ſi in foro tantùm, & in iudicijs loqui contingeret, & de officio atq; uirtute omnis tractatio ſuſciperetur: ſufficeret quidem ea abſolutio, quę partibus iuris deducitur. ſed ſi facile, ſi neceſſarium, ſi uerum, ſi credibile, ſi conſequens, ſi iucundum, & aliud ſimile obijciens diſputationem dirimo atq; reſoluo: profectò, quia nec de facti ſubſtantia quæritur, nec de nomine, nec niſi de ratione, quam adhibitis in probationem capitibus illis finalibus refello, nulli dubium eſſe debet, quòd uel alia maior finitio inueſtiganda, uel dignitatis cauſa ab hoc reliqua intelligēda erunt. Quod ſanè ſuſcipimus. Ergo tanquam dignior locus, à partibus iuſti, excutiatur. Huius duæ fiunt partes: natura, & iuris ratiocinatio. Per naturam facti qualitatem & uim intelligimus, quatenus rationi eſt conſentaneum. ut, Nō eſt pernicioſum, ſed magis utile, & hominem decet, pium eſt erga deos & homines, & magni nominis ac famæ. Iuris ratiocinatione intellige, quod nos ſuo loco diximus legitimum: ſcilicet quod lege uel more continetur. ut, Hac lege præcipitur, uel hac lege prohibetur aut permittitur: &, Conſuetudo patrię hęc fuit. Nec aliter ratio ex alijs finalibus duplex fiet: natura & legis ratiocinatione, nimirum per analogiam. ut, Natura obſcurum eſt, & obſcurum uiſum omnibus philoſophis. Et quemadmodum quęſtiones de ſubſtantia uniuerſaliter & (ut loquuntur) theticōs propoſui, ſic fieri etiam de qualitate poſſunt theſes abſolutæ & aſſumptæ. Sed uideamus iam quid eſt Quantitas. hanc enim ſecūdo loco antilepſis collocauimus. Caput Græcè πηλικότης, anguſtius eſt quàm

Qualitatis duo genera.

Abſolutæ qualitatis partes.

Iuſti partes.

Natura.

Ratiocinatio.

Quantitas abſoluta quæ

quàm latinè Quantitas, quæ numeros quoqꝫ continet. Verùm ut de partibus iuſti, ita ſentiendum hic, artis uocabula cùm ex rebus notioribus, tum ex dignioribus uſurpari. Eſt autem quãtitas aliud nihil quàm amplificatio atqꝫ augmentũ rei, quo bona uel mala, quæ rei inſunt, oſtendentes, ita pronunciamus: Magnum eſt patriam tyrannide liberare: Grauiſsima eſt illata patriæ iniuria à Cæſare. Atque hoc quidem eſt quantitatis caput generale. Qualitas autem perſonæ, quæ tertio loco poſita eſt, ex notatione ſumitur. ut ſi quando infirmitas contra inuidiam defenditur, aut contra miſericordiã audacia accuſatur. In accuſationibus, multum ualet perſonæ qualitas. nam omnia quæ fecit, quæqꝫ facturus eſt, declaramus, & multis criminibus obnoxium oſtendimus. Reſtat communis qualitas, ſeu epilogica. Hæc eſt uulgo Locus communis, apta diſputatio in epilogis. confirmata namqꝫ & rationibus proprijs, exqꝫ negotio ſumptis demonſtrata cauſa, tum in locum aliquem excurrere augendæ rei cauſa ſolent, qui de toto genere tractat uniuerſaliter. quam ob rem & qualitas epilogica dicitur. Ergò qualitas epilogica, non ſimplex erit: ſed partim ex communi conſtat qualitate perſonæ & moribus, (ut contra rhetores, contra fœminas) partim ex loco communi, & facti genere, ut contra auaritiam: partim ex ethologia. Nam (uerbi gratia) ſi Virginius coram populo Appium Claudium iniuriarũ accuſet, & probata cauſa, in Decemuiros paulatim inuehatur, qualitate cõmuni utitur. nam perſonam communem depingeret, Decemuirum, non ſolum Appium Claudium. Quocirca perſonam hic eſſe oportet non omnino incertam: quoniam incertæ atqꝫ indefinitæ nulla eſt qualitas, niſi certè arte fingatur aliqua, & ex ijs colligatur quæ fecerit, quæqꝫ facturus ille eſt, quiſquis eſt, quemadmodũ ſuprà dixi. alioqui enim perinde duco, ac ſi nullus fecerit. Ita que ut perſonæ genus commune inſectatur communis qualitas, & ex eo coniecturam ducit pro rei opportunitate: ſic locus communis ad genus facti aſcendit, & de genere toto (ex quantitate locos mutuatus) amplè copioſeqꝫ dicit: cum orationis etiam quodam impetu, quæ dicta eſt allocutio. Ita qualitas epilogica tribus capitibus abſoluit quæſtionem, aut potius certè obruit. primùm moribus eius perſonę, quam Hermogenes uocat ἀρινόμενον, quę nec planè infinita eſt (ut dixi) nec finita prorſus: ut pater, iuuenis, agricola, diues. deinde communi loco, quod eſt incrementum generis: ut, Res grauiſsima eſt ſeruitus. deniqꝫ allocutione, ſeu (ut alij dicunt) πραγματικῷ λόγῳ: ut indignatione, conqueſtione, minis, & ſimilibus formis exuſcitationis. Atqꝫ hęc quidem mihi ad abſolutam qualitatem uidentur pertinere: ſi quis fortaſſe plura inueniat, ſcito ad harum aliquam referri debere. nam & nobis quidem licebat tam uno loci

Qualitas perſonæ.

Communis ſiue epilogica qualitas.

Perſonæ incertæ nulla qualitas.

Qualitas epilogica triplex.

communis uer bo qualitatem cõmunem, theſin, & allocutionẽ fini
re: quàm ſub epilogica complecti, tanquam diſtinctas inter ſe ſpe-
cies, locum, mores, & affectus. proprijs tamen locis (cum ſingulo-
rum tractationem dabimus) quantitatem, negotij proprium incre-
mentum definiemus: locum uerò, generis: theſin autem, conſultati
onem, eiq́ in primis deliberationem ſubſtituemus. nec magis defi-
niet quàm abſoluet, nec magis abſoluet quàm transferet aut com-
parabit: ſed omnia, unum poſt aliud, tanquam uela cõplicans, con-
Affectus quomodo figuratur. ſectabitur. Affectus ergo duobus quoq; modis figurabimus. nam
alios ipſi ſermone affecto & quaſi commoto reddemus, quæ dice-
tur allocutio: alios quaſi deſcribemus aut indicabimus, tanquam iu
dices & quidam cenſores, quæ eſt notatio. Quare ut diutius hic hæ
ream, non uideo: niſi fortaſſe quòd loci communis acceptio duplex
Locus communis duplex. eſſe ſolet. nam uno modo quantitas eſt generis, & amplificatio rei,
de cuius laude uel uituperio conſtat. uelut contra tyrannidem, con
tra proditionem. Dicitur autem locus communis, quòd generalis
eſt & uulgo recepta oratio: qua ceu ex quadã ſtatione facultas ſup-
petit quaſi erũpendi, atq; in multas quæſtiones excurrendi. ut con
tra Plilippum aut Midiam dicentes, in tyrannidem, in audaciam,
& ſimilia rerum genera egredimur. Atq; ideo non niſi perorata
cauſa locus adhibetur: & à nobis pars facta eſt epilogicę qualitatis.
Alio modo dicuntur in quaque arte eſſe ſui loci communes: quod
in ijs multa inſunt in utramq; partem diſputanda. Et in hac arte
ſunt omnia uocabula quæ definiuimus: ſyllogiſmus, probabile, cau
ſa, theſis, & reliqua: in foro, pro teſtibus & contra teſtes, pro tor-
mentis & contra tormenta. In his enim argumenta uterq; litigan-
tium, tanquam in loco utriq; cõmuni inuenit: hic, ut teſtes rejciat:
ille, ut authoritatem eorum tueatur. de quibus poſtea dicemus ſe-
paratim.

Capita aſſumptiua. *Cap.* 22.

QVALITATIS, hoc eſt ποιότητος, duo genera poſita ſunt:
unum abſolutæ, alterum comparatæ: & illud quidem
ἀντίληψιν, hoc ἀντίθεσιν Græcè appellauimus. Poſtquã
igitur antilepſis nota eſt, ſequitur ut capita inueſtige-
mus antitheſeos. Eſt autem contraria ferè antilepſi. Si ergo abſolu-
tè dixeris aliquid iuſtum eſſe, aut utile, per antitheſin refutabo: aſ-
ſumptaq́ alia qualitate, quæ propoſito obſiſtere poſsit, infirmam
eſſe docebò rationẽ quam tu aſſumpſeras. dicam enim: Si utile eſt,
attamen difficile. ideoq́ & comparatio dicitur, & aſſumpta quali-
tas & oppoſitio. nam aſſumit aliquid contra. idq́ comparat cum eo
quod abſolutè propoſuerat aduerſarius. Propriam autem nullam
habet quæſtionem antitheſis, quemadmodum in antilepſi propria
inuenta

Aſſumptiuæ qualitatis partes.

inuenta eſt ex partibus iuſti: ſed diuiditur in quatuor capita, quæ ipſa generalia ſunt, & ſub ſe alia complectuntur. conueniũt tamen, & hac ratione inter ſe omnia conſentiunt: quòd in omnibus rem quodam modo atq; argumentũ fatemur, ſed ex aduerſo aliquid aliud opponimus. Prima ergo ſpecies antitheſis Græcè ἀντέγκλημα, Latinè relatio dicitur, uel translatio. Hæc in aduerſariũ crimen ita reÿcit & retorquet, uti qui dignus fuerit ea pati, & cauſam dederit ſuo peccato. ut, Occidi, fateor, ſed adulterũ: Percuſsi, fateor, ſed conuiciantẽ.

Relatio criminis.

Remotio.

Altera ſpecies eſt μετάστασις, Latinè remotio: purgatio quoq; uel trãſpoſitio dici poteſt. Hic nos cõſultò & ſtudioſe feciſſe negamus: cauſam referentes in rem, uel in perſonam aliquam extra litem. ut, Accuſatur dux, quòd milites non ſcripſit: purgat ſe, quòd argentum à quæſtore non acceperit. In rem autem tranſponimus, in cauſam cogentem: ut neceſsitatem, caſum, ignorantiã: legem quoque, ſi contingit legem iubere aut prohibere id de quo accuſamur. ut, Non traduxit exercitũ, propter uim aquarum: Amicum interfecit, ſed caſu: Non aggreſſus eſt urbem, ignorans conſilium imperatoris: Nicias portam urbis noctu non aperuit, & Cleon ante portam occiſus eſt: dicit ſibi prohibitũ. Atq; hæc quidem uera certaq; ratio metaſtaſis eſt. Nec moror quid alÿ ſenſerint. putãt enim cauſas huiuſmodi non metaſtaſin facere, ſed συγγνώμην, id eſt, ueniam, quæ Græcis cognominatur ἀνεύθυνος, id eſt pœnæ & iudicio non obnoxia. contrà uerò συγγνώμην dicũt ſemper ex animi aliqua paſsione excuſationẽ quærere, cui dolor inſit, aut uoluptas: ut miſericordia, timore, ira, amore, ignorantia, perturbatione. ſed hæc profectò inter alias cauſas inueniũtur, quas ad rem retuli. Ergo tertia ſpecies aſſumptæ qualitatis dicatur ἀντίστασις, Latinè comparatio: ueluti cum in criminis excuſationem cõmodum aliquod obÿcimus, quod inde ſequutum ſit maius ipſo crimine. ut, Feci quidem, ſed ut prodeſſem reipub. ut certè profui: Honeſtum eſt quod petis, ſed difficile: utile, ſed turpe: Iucunda ſunt quæ narras, ſed fabulæ. Itaq; per antiſtaſin caput capiti opponimus. ſunt enim capita finalia, quę hic cõmittuntur: utile, ſed turpe: iucundum, ſed falſum. Quod ſi idem caput ſecum per epitaſin conferatur, ſub antiſtaſi quidem collocabimus, ſed nomen habebit πρός τι, id eſt ad aliquid. ut, Cõſuluit tyranno philoſophus ut deponeret tyrannidem, & petit præmium, dicens, Maius eſſe ſine armis & abſq; tumultu id egiſſe. ergo philoſophus non caput finale capiti opponit, ſed idem ſibi per incrementũ comparatũ: Vtile quidem eſt patriam liberare, ſed utilius abſq; tumultu. Et præceptum in hoc capite τὸ πρός τι erit, ut duo ponderentur in negotio: id quod factum eſt, & quod omiſſum. Quare & incrementum hoc per relationẽ ubiq; iungitur quantitati. Etenim

Tertia aſſumptiuæ qualitatis ſpecies comparatio.

Ad aliquid

ut quantitate id quod factum eſt amplificamus (dicimus enim magnum ex ſeſe)ita comparatione eius rei quæ deſideratur,creſcit amplificatio.ut,Magnum eſt patriam tyrannide liberare, ſed maius ſi id fiat abſq; tumultu. Vltima hoc loco,& in agendo quoq; ſequi
Deprecatio debet συγγνώμη, id eſt uenia,uel deprecatio : cũ ſcilicet fatemur nos deliquiſſe,nulla defenſione:ſed tãtum deprecamur,uel ob ſpem melioris uitę,uel ob merita anteactę,uel amicorum gratiam teſtamur,
Deprecatio quid à remotione differat. uel noſtram miſeriam. Sic Horatio ueniam parricidij obtinuit pater apud populum Romanum. Differt enim uenia à remotione latiſsimè.hac enim reos nos prorſus confitemur: metaſtaſis defendit factum, culpam'que & crimẽ depellit. Sic igitur quatuor erunt capita aſſumptæ qualitatis:relatio,remotio,comparatio,& deprecatio.& horum quæq; poſſunt per ſe ſtatus eſſe principales, ſuiſq; capitibus tractari pleniſsimè, quẽadmodũ paulo pòſt uidebimus.

Capita exceptionum. Cap. 23.

EST & alia reſponſio (quam obſeruauit primus Hermagoras)planè uiolenta,contrariaq; τῇ εὐθυδοξίᾳ, hoc eſt, intentioni : quam Græcè dixit μετάληψιν, Latini uariè interpretantur. alij enim quaſi ex uerbo, tranſumptionem:alij exceptionem,quidam actionis quæſtionem:Quintilianus litem præſcriptionis.Sunt qui quæſtionem de inducendo iudicio: Cicero tranſlationem & commutationem uocauit.Sed nobis poſt
Exceptionis ſiue trãſlationis partes. hac ſemper erit exceptio. Hæc enim aut refellit totam actionem atque intentionem aduerſarij,aut reſponſionem atq; rationẽ:utrumuis horum faciat, ſemper conditionem adijcit, qua ipſa aduerſarij
Exceptionis definitio. cauſa infirmatur.Partim nanq; quod dicitur fatetur,partim negat: & ex aliqua cauſa excipit,quaſiq; ſeparat à cõmuni ratione,& quæſtionem aliò migrare facit & tranſponit.ut, Reſponderem tibi quidem, ſi coram iudice competente me uocaſſes. Exemplum ſumamus ex Libanio. Lex apud Lacedæmonios pœnam indixit ante triceſimum annum peroranti: Athenienſibus Miſenem liberam à
Præſcriptio. Lacedæmonijs poſtulantibus ſibi reddi,contradixit Archidamus, minor 30 annis,& perſuaſit bellum.poſtea uincentibus Lacedæmonijs,accuſatur uiolatæ legis.Reſpondere poteſt: Tunc intercedere debueras, quum peroraſſem:non nunc, ubi rei exitus conſilij mei utilitatem docuit, & neceſsitatem. Sed non una eſt ratio metale-
Metalepſis. pſis,ſicut neq; eodem modo tractatur.Quando enim actionẽ accuſatoris remouet (quæ remotio in legem ferè fit) Græci appellant παραγραφὴν,hoc eſt præſcriptionem.ut,Non teneor reſpõdere coram hoc iudice,uel hoc tempore,uel ea de re,& ſimili modo:quando reſponſionem, & (ut dixi) rationem in factum excipit, tum generali uocabulo utimur metalepſis,& cõtraria ſemper eſt antilepſi.

ut inten-

ut intentio, Occidiſti: depulſio abſoluta, Iure occidi uim afferentẽ: exceptio, At non debueras indẽnatũ. Et hæc rurſus duplex eſt. uel enim pertinaciter (ut ſic dicam) reſiſtit & negat: uel cum quadã correctione: illa dicitur ἔνστασις, hęc ἀντιπαράστασις. uoca, ſi lubet, inſtãtiam & obſiſtentiam. Illius exemplum eſt, Non licet tibi omnino: huius, Et ſi licet, non tamen ſic. ut Opimius, cum Gracchũ occidiſſet, accuſareturq; à Decio, aſſumpta qualitate ſe defendit, dicens: Iure feci, ſalutis omniũ & conſeruandæ reipublicæ cauſa. contrà Decius, metalepſin tanquam antilepſi opponit: Non potuiſti iure ullo ciuem Romanum necare, etiam ubi fuiſſet ſceleratiſsimus. Hæc eſt ἔνστασις, id eſt inficiatio. Adde nunc antiparaſtaſin: Etſi liceret, non tamen ſine iudicio. Sic utraq; rationi aduerſatur, & inficiatio uel inſtantia, & obſiſtentia. Porrò autem paragraphes duæ traduntur formæ: perfectæ, & imperfectæ. perfectæ, cum lege aliqua, aut pacto conuento præſcribimus, prorſusq; reijcimus actionem: uel interimendo (ut dicunt) eam omnino, uel differẽdo in aliud tempus, uel declinando. Atq; hinc quidem uidetur quibuſdam dicta παραγραφὴ, quòd Græci id quod in margine libri notatum ſigno aliquo, ſcriptumq; apponitur, παραγραφὴν, id eſt adnotationẽ, & quaſi iuxtaſcriptionem dixere. ut Iſocrates ἐν ἀντιδόσει· ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς παραγραφῆς, ἀνάγνωθι τὰ περὶ τῆς ἡγεμονίας αὐτῆς. Sic ergo tanquam ex margine deſignata lege, & argumento, cum actio remouetur, meritò dicta eſt paragraphe. ut, repetit quis pecuniam, quam filiofamiliàs dedit: datur mihi exceptio ex ſenatuſconſulto Macedoniano, tanquã ad marginem libelli annotata lege, qua liberor intentata actione. Syrianus tamen, ut oppoſitum putat uerbum τοῦ ἐγγράφειν, quod eſt in iudiciũ ducere, & ſiſtere coram populo. hanc enim actionem directè expellit paragraphe. Sed nihil refert unde formetur, modò ſciamus, exceptionem eſſe ab ſcripto deſumptã. Si autem ex aliqua circunſtantia & rei natura fiat exceptio, tanquam ex æquo & bono: tum generaliter dicitur metalepſis, & imperfecta paragraphe, et caput paragraphicum. Quod eo differt à perfecta paragraphe (ut à Græcis didicimus) quòd διαβάλλει, ἀλλ' οὐκ ἐκβάλλει τὸν ἀγῶνα: criminatur ac reprehendit litem, ſed non amolitur aut extinguit, ſicut ea quæ ex ſcripto & perfecta eſt. ut, repetit quis prædiũ, quod iam triginta annos poſſedi: & præſcribo ex lege, quæ longi temporis poſſeſsionem tuetur. At ſi beneficia à me collata exprobrarem, atq; adeò iniquam contenderem eſſe petitionem: non propriè perfecta paragraphe dici caput hoc poſſet, ſed imperfecta, aut caput paragraphicum. Cæterùm ne cui uſus harum uocum, qui apud Iureconſultos nunc habetur, imponat: Græci nihil diſtinguũt παραγραφὴν, id eſt præſcriptionẽ, ab ea quam Iureconſulti uocant exceptionem: quam

Metalepſeos partes.

Enſtaſis quid.

Antiparaſtaſis.

Præſcriptionis formæ

Paragraphe quid.

Paragraphe perfecta ab imperfecta quid differat.

Præſcriptionis uſus apud Iuriſconſultos.

nem: quam nos ex lege 11. Digeſtorum eo. excluſionem actionis defi nimus. Siquidem Latini, dictionis græcę uim notationemq́ ſequuti, pro exceptione præſcriptionem ſæpe uſurparunt. poſtea uerò cum in Iure ciuili uoces hæ ſubinde occurrerent, uſucapio, præſcriptio, & exceptio: & nomen præſcriptionis in poſſeſsionibus longi temporis, quod tamen lege præſcriptum aut definitum eſſet, magis quàm in alijs exceptionibus eſſet in uſu: tandem quaſi conſenſu communi (doctis minimè reclamantibus) in hanc ſententiam itum eſt, ut præſcriptio actionē excluderet iure quodam dominij, quod certi temporis poſſeſsione eſt quæſitum: exceptio, quamuis aliam actionē. Itaq; prę ſcriptio ſic in uſu omnibus nunc eſt, ut non ſolum ipſam longi temporis exceptionem, qua remouetur actio, ſignificet: ſed ipſum etiam dominium, quod longi temporis, præſcriptiq́; poſſeſsio induxit. Quemadmodũ & uſucapio, quæ ex ui uocis continuatam longi temporis, ſed non definiti, poſſeſsionem cum uſu ſignificat, nō raro etiam pro ipſa dominij acquiſitione accipitur, quę temporis lege definiti ac præſcripti continua poſſeſsione facta ſit. Atq; hæc quidem ita ſe habent. Ex quibus tamen facilè percipies, unde tanta earum uocum obſcuritas orta eſt: cui necdum quiſquã eorum, qui cum melioribus literis ius interpretati ſunt, lucem attulere. Nam præſcriptio quando actionem tollit, minor uulgo eſt q̃ exceptio. hæc latius patet. Quando autem dominij acquiſitionem, generalior quàm uſucapio: quòd illa ſolam longi temporis & lege definiti poſſeſsionem, hæc uerò etiam uſum deſideret. Quæ cum in iure Romano ſæpe cōfundantur, nec excogitata poſtea ab ingenioſis hominibus præſcriptionis, ſenſus tenebras depulerint, multi ſanè hac in re diuq́; deſudarunt. Sed nos ueterum in his ſequemur uſum, qui omnem actionis excluſionem, ex Gręcis præſcriptionem dixerũt. Iam ad reliqua pergamus. Igitur ut à principio rem paucis repetam, metalepſis, id eſt exceptio, & contra actionem abhibetur, quòd malè intentata ſit: & contra intentionem ſeu petitionem, quòd iniqua: & contra abſolutionem, quòd ſit nulla, uel infirma. Contra actionem quidem & petitionem paragraphe eſt: ſiue ea ſit perfecta, ſiue imperfecta. contra abſolutionem, infirmatio dicitur à Cicerone, & aliquando relatio. Ex caq; & antilepſi ſtatum iuridicialem conſtituit, ut exemplo ipſius doceatur. Cum Thebani Lacedæmonios uiciſſent, in finibus æneum ſtatuerunt trophæum. accuſantur apud Amphictyonas, quòd non oportuerit. Reſpondent per antilepſin: Oportuit, quoniam is eſt mos Graijs. Metalepſis Lacedæmoniorum: Attamen æternum inimicitiarum monumentum Graios in Graios ſtatuere non oportet. Ex hac intentione & infirmatione ſtatum iuridicialem abſolutæ qualitatis fecit. Non igitur dubium

Vſucapionis ius.

Præſcriptio.

Repetitio totius metalepſeos doctrinæ.

dubiũ eſt, quin metalepſis (non loquor autem de tropo, quem cum tranſlatione cõiungam) quando contra abſolutionem adhibetur, aliquid excipiat, ſine quo nihil haberet aduerſarius, quod abſolutioni obijceret. ut hic in factum excipit, quòd æternum inimicitiarum monumentum poni ſit iniquum inter Graios. Neeuerò ſolum ab accuſatore contra abſolutionem inducitur metalepſis: ſed etiam ab reo contra petitionem, ſi ea proponatur abſolutè. ut, Petit Vlyſſes ab Andromacha filium Hectoris, quòd eum poſtulent Achillis manes. Repellitur metalepſi atq; exceptione: Non poſſum, quia in ruina urbis extinctus eſt. Quaſi diceret, Darem tibi id quod petis, ſi uiueret: ſed extinctus eſt. Ergo maneat probatum, quotieſcũq; etiam actio excluditur, atq; exceptione perit, ſemper contra abſolutionẽ fit metalepſis: non ſolùm ubi à petitore contra reum inducitur, ſed etiam à reo contra petitorem. concedit enim in parte, quod alioqui lege aut aliàs infirmat. ut, Dediſti quidem mihi, ſed non teneor reddere ex ſenatuſconſulto: quia dediſti puero.

Metalepſis tam eſt accuſatoris, quàm rei.

Duobus autem modis, ut antè diximus, infirmari poteſt antilepſis. uno, ſi uiolenter, & (ut ita dicam) pertinaciter rem talem eſſe negas. Et hęc dicitur ἔνστασις, id eſt inſtantia. ut, Non poſſum filium tibi tradere, quia interijt. Hæc autem ſemper capitis alicuius ex finalibus inficiatio eſt. ut, Nõ eſt uerum, non eſt utile, non decet, fieri non poteſt. Altero modo, ſi apertè utrumq; explices, & id quod concedis & id quod contrà obijcis, quæ ἀντιπαράστασις ſeu obſiſtentia dicitur. ut, Dediſti quidem, ſed non teneor reddere. Vel fictè, hoc pacto: Etiam ubi dediſſes, tamen non tenerer reddere: Etiam ſi filius meus uiueret Aſtyanax, tamen iniquum eſſet innocentem necare.

Duobus modis infirmari poteſt antilepſis.

Enſtaſis.

Antiparaſtaſis.

Eam ob rem Græci rhetores dicunt, ἔνστασιν fieri κατὰ ἀνατροπὴν, id eſt per ſubuerſionem: ἀντιπαράστασιν uerò κατὰ μέθοδον, id eſt per ductum, & quaſi longam tractationem. cum una enim circunſtantia concedit, cum altera negat, & cum contentione quadam adornatur. Obſiſtentiæ igitur formæ ſunt huiuſmodi: Licet, ſed non hoc modo: Nouum eſt quod poſtulo, ſed nouum quoq; eſt id quod feci: Non in foro tractantur hæc, ſed in curia: Laudari poterat, ſi alio tempore feciſſes.

Obſiſtentiæ formæ.

Et antiſtaſis quædam eſſe poteſt, ut, Etiamſi difficile eſt, attamen honeſtum. Hinc dici poteſt antiparaſtaſis, metalepſis ἄγραφος: quãdo non ex ſcripto contra dictionem facit, ſed à circunſtantia, aut ab oppoſito, aut à ſimili aut comparato, & caput capiti opponit: ut, Non eſt utile, fateor, ſed neque honeſtum.

ἄγραφος metalepſis.

Hactenus ea perſequuti ſumus, quæ ſub nomine & genere metalepſis iam uſurpantur. ſequuntur nunc alia capita, quæ licet non ita conſiderari ſoleant, nec uſui magno eſſe exiſtimata ſint: tamen cum ad generales quæſtionum ſtatus confirmandos ab omnibus adhibeãtur, & per

Alia metalepſis capita.

ſe etiam

ſe etiam ipſa conſiſtere nonnunquam poſsint: operęprecium duxi ad genus aliquod referre, cuius in ſe rationem ac uim referant, & in cuius tanquã ſinu inueniri cum opus fuerit, poſsint omnia. Vnum

Probationũ requiſitio. ex his Græci uocant ἐλέγχων ἀπαίτησιν: nos probationum requiſitionem: & ſæpe coniecturam facit. Vbi enim probatione deſtituitur aduerſarius, urgendus eſt: Quid? à quo? quando? ubi factum? quis teſtis? qua lege? ſi aliquas attulerit, refellendę erunt. Vnde loci fiunt communes, de teſtibus, tabulis, quæſtione, fama, & ſimilibus. & diſputationes legales: ut, de legis ambiguitate, de contrarijs legibus, de uerbo & ſententia, de ratiocinatione. Verùm ſi interrogationi reſpondetur, ut quærenti, Quis fecit, reſpondeat alter, Neſcio, uel Tu ipſe, aut aliud quid: quoniam talis conflictus quandam habet examinationis atque informationum uim, Græci appellant ἀνάκρισιν, id eſt mutuam interrogationem, uel examinationem.

Veriſimilis defenſio. Secundum caput, quod præterea ſubijcio Metalepſi eſt uериſimilis defenſio, Grecè πιθανὴ ἀπολογία. hac ita reſiſtimus aduerſario, eiuſque intentionem ſic infirmamus, ut quod ille in cauſam facti attulit, id nos in cõtrarium uertamus. Diues opibus iuxta arcem fleuit, & accuſatur tyrãnidis affectatæ, quòd propterea fleuit. Defendit ille probabiliter dicens: Si affectarem tyrannidem, nunquam ſic fleuiſſem, ne deprehenderer.

Cauſæ trãſpoſitio. Veriſimili inſuper defenſioni iuncta eſt cauſæ tranſpoſitio, Græcè μετάθεσις αἰτίας. Dicet enim diues cur fleuit, & alterius cauſæ demonſtratione argumenti uanitatem oſtendet. Quo in loco id præcipi ſolet, ut ſi factum noſtrum eſt, unam tantùm cauſam demus: ſin alterius de facto quæratur, tum dari multæ poſſunt, etiam contrariæ, modò ſint ueriſimiles. quoniam incertũ eſt, cur ita factũ ſit. ut, accuſatur Fabius proditionis, quòd eius poſſeſsionibus ſaluis, omnia deuaſtet Annibal. Reſpondebit, id fortè ideo factum eſſe ab hoſtibus, quòd uirtutem eius admirantur: aut ut inuidiam ei faciant: aut quia ſe putant eum hac ratione atque occaſione poſſe allicere. Vltimum in excipiendo caput Græcè

Anticategoria. ἀντικατηγορία, id eſt mutua accuſatio uel recriminatio eſt: defenſio quidem uiolenta, cum uel aduerſarius oſtenditur eſſe in eodem uitio, uel orator ſuæ ipſius ſententiæ repugnare. ſed quia hęc litem lite reſoluit, non putarunt magni momenti eſſe ad repellendam actionem. Mihi uerò multum ualere in principijs uidetur, ubi odium contemptioq́ petitur accuſatoris. Sunt ergo quatuor generalia capita, facti, nominis, generis (ita uocat tertium Cicero) & actionis.

Quintilianus reprehenditur. Nec opus quidem erat Quintiliano tanta deprecatione erroris, ut translationem tam ab ſpecialibus quàm etiam generalibus detraheret quæſtionibus. An uerò ſtatus eſſe non poteſt abſolutæ qualitatis, cuius ratio in finitione aut coniectura conſiſtat? aut ideo ſtatus non

tus non erit aut caput generale cõiectura, quòd ratione careat? Certè uanum eſt argumentũ, perſonę, tempora, actiones cæteráq; propter aliquam cauſam transferuntur: ita non eſt in translatione quęſtio, ſed in eo propter quod transferũtur. Eodem namq; modo colligam, Abſolutio natura aut lege probatur: ita non in abſolutione, ſed in lege uel natura eſt quæſtio. Multo etiam turpius quod ait, translationem non habere quæſtionem de qua orator contendat, ſed propter quam contendat. nam commutationis quæſtio non ea eſt quam putat, Habeo ius actionis, non habes: ſed iſtud, cum adiuncto negat, & à quæſtione in quæſtionem transfert quodammodo. ut, Peto decem ex teſtamento, non teneor hoc tempore reſpondere. teneris. ſequitur, an tẽpus uindemię excuſet in tali negotio. Sed Ciceronem obſeruauit. fateor: & ideo uerecundius reprehendo. qui hac in re & alijs quibuſdam parum ille ſibi conſtitit.

Syllepſis. Cap. 24.

OMNIA hæc tandẽ, quæ uno ſunt nomine appellata Capita generalia, unum aliud complecti ſigillatim caput poteſt, quod nos comprehenſionẽ, Græci σύλληψιν nominant. ueluti ex duplici coniectura fiet confirmatio duplex: Et hoc, & illud factum fuiſſe. Ex definitione: Et furtum eſſe, & ſacrilegium. Ex qualitate: Et iuſtum, & utile. Ex metalepſi: Neq; hoc tempore, neq; ea de re poteſt haberi quæſtio. Atque hæc quidem ſunt in uniuerſum & principia quæſtionum, & argumentorũ ſedes: quę ut multitudine poſſunt inquirentem remorari, ita ex omnibus ſinibus excuſſa, mirabilem ſanè facultatem & iudicandi & loquendi afferunt exercitatis. Nos autem frequentius poſthac harum rerum uocabula Græca uſurpabimus, propterea quòd maiori uidentur profectò emphaſi prædita: & ſignificantiora, non ſolum uſitatiora ſunt, quàm Latinæ etiam paraphraſes.

Omnia capita generalia in unam ſyllepſim reuocari poſſe.

De ſtatu. Cap. 25.

COMPENDII cauſa (quoniã breuis in principio, & paucorum capitum methodus omnis eſſe debet) præcipiendum hoc loco eſt, quod etiã Quintilianus iubet, ut propoſita cõtrouerſia, protinus conijciamus oculos in rem & perſonam: diſcurrendo per omnes circunſtantias. Multa enim argumenta citius ex rerum complexu, quàm ex locis generalibus peruidentur. Voco autem circũſtantias nunc generalius, primùm hęc antecedentia, conſequentia, & coniuncta: deinde capita prima, nempe ſimilia & repugnantia: tum capita extrema duo, bonum & poſsibile: & demum capita duo generalia, de ſubſtantia, & de qualitate. In his enim, aut horum aliquo, omnis controuerſia, tam conſilij & exornationis, quàm iudiciorũ, ita uertitur & ſita eſt, ut ad eam uelut

Status inueſtigandi ratio.

Circunſtantiarum capita generalia.

ad caput & fontem, omnes aliæ quæſtiones, quæcũq; inſunt, neceſſitate referantur. Quanquam poſſunt quidem alia eſſe principia capita, alia ſeruientia principibus. Nos enim ex Hermagora (uti & maior pars rhetorum) omnes quæſtiones, quæ modo aliquo conſiſtunt, nomine ſtatus ſeu conſtitutionis definimus, ſtatum'q; habere dicimus. Eſt'q; ſtatus (ut nominis finem habeas) σύϛατορ ζήτημα, hoc eſt, quæſtio conſiſtens. Cicero definit, primam conflictionem cauſarum ex depulſione intentionis profectam. Eſt'q; ei cõſtitutio, ea quæſtio ex qua cauſa naſcitur: quæſtionis inquam quædam ratio, ut in qua rei controuerſia conſiſtat, & ad quam ex utraq; parte argumenta dirigantur. Neq; enim antè confligitur, quàm ad controuerſam quæſtionem uentum eſt. Hæc eſt Græcis ϛάσις: Iureconſulti litis conteſtationem inde faciunt eſt. enim litis cõteſtatio, conſenſus partium in litem: quòd olim non ſine teſtium adhibitione, quæ conteſtatio dicebatur, fieret. Quanquã & Græcis aliquando ϛάσις ſeditionem populi ſignificat, & bellum inteſtinum: & litis nomen in foro tantum cognoſcitur, actionem'que ſignificat, non quæſtionem. Quęrebam à Stephano Stratio, iurecõſulto omnium mea ſententia diſertiſsimo, cur adeò uix ullum reperitur ueſtigium in Iure ciuili, quod nunc habemus, huius uoculæ ſtatus? maximè cum conſtet omnes Iuris cõtrouerſias diſputationes'q; tam in ſcholis quàm in foro, ſtatus eſſe? Ego, inquit, arbitror mi Lulle, profectò ſorduiſſe noſtris Iureconſultis nomen ſtatus triuiale. Quaſi uerò nitidius illud ſit punctum Iuris, aut magis propria illius ſignificatio, quando aliter uſurpatur. Nam quia ſtatum hi aliàs perſonæ conditionem finiunt, & conſtitutionis nomen pro iuſsis Principũ & legibus uſurpant: hinc factum eſt poſtea, ut de principali quæſtione non uno modo, ſed uarĳs admodum loquantur: nunc totius litis cardinem, nunc caput, nunc finem, nunc etiam (ſi Deo placet) punctum iuris, compellantes: nec inter ſtatum & iudicationem ſatis diſtinguũt. Itaque cum ſtatus ſint quæſtionum conſiſtentium: omnis'q; cauſa aliqua conſtitutione contineatur: iam tempus eſt ut doceamus, quæ dicatur quæſtio conſiſtens, quæ cauſa ſeu ratio, quid continens & firmamentum, quid iudicatio: & tandem quis negotialis ſtatus, quis legalis, quis iuridicialis. Sunt enim hæc quæ in primis definita, iudicium confirmant inuentionis: prorſus uerò & diſtinctè ſeparata, uix uſquam inuenias.

Hermagoræ de ſtatu ſententia.

Status definitiones uariæ.

Litis conteſtatio quid iuriſconſultis dicatur.

Staſis quid Græcis.

Alia ſtatus et conſtitutionis ſignificatio apud Iuriſconſultos.

Status partes et genera enumerantur.

Status,

Status, cauſa, firmamentum, & indicatio. & de quæſtionibus non conſiſtentibus. Cap. 26.

EST quidem quæſtio conſiſtens, ea quæ naſcitur ex intentione & depulſione: ueluti ex affirmatione eius qui cauſam proponit, & negatione reſpondentis. Affirmatio & negatio Græcis dicuntur κατάφασις & ἀπόφασις. Exemplo communi & peruulgato rem aperiamus. Accuſatur Oreſtes in concilio deorū parricidij, hoc modo: Parricida es (hęc eſt intentio criminis.) nam matrē interfeciſti (hoc αἴτιον, id eſt cauſa.) Sequitur depulſio: Non ſum parricida. hac negatione Oreſtes accuſatoris intentionem ab uno loco tanquam dimouet, & in alium tranſponit. Subijcit enim cauſam: Iuſtè ego matrem interfeci.

κατάφασις & ἀπόφασις quid.

Status inueſtigantur.

Si actor admiſſa poſteriori ſententia, redire cogeret aduerſarium ad priorem: ueluti, Licet iuſtè occideris, nihilominus tamē parricida es: certè ſtatus in definitione poneretur, & quid in uerbo Parricida ſit, quęreremus, & an Oreſtes parricida uocari deberet. Sed quoniā actor non eam quæſtionis admittit translationem, ſed maximè id putat eſſe impugnandum quod pro defenſione alter obijcit, iuſtè matrem eſſe interfectā: rationem quidem exiget, qua cauſa illa conſiſtat atq; contineatur. Oreſtes hanc reddet, Ipſa patrem meum necauit. hic fiet ſtatus qualitatis aſſumptæ. Omnis enim conſtitutio à ratione, qua controuerſia ſiſtitur, nomen habet. ut ſi neges occidiſſe (quoniam indicijs & coniecturis cauſa agitur) conſtitutio dicitur coniecturalis. Sic eodem modo, ſi lege aut more probaret licuiſſe, ſtatus abſolutus: ſi eo nomine factum appellandum probaret, finitiuus.

Status omnis à ratione qua controuerſia ſiſtitur, nomen habet.

Ergo in noſtro themate cardo omnis actionis in hac quæſtione uerſabitur: an iuſtè matrem necauerit. Ad eius namq; rationis impugnationem, quanquam quamplurimis actor uti poſsit capitibus & rationibus: tamen ſuam primam intentionē firmam certamq; eſſe contendet: non obſtantibus his. id Græci dicūt συνέχον, id eſt continens (eſt enim exceptio rationem continens, & eius reprehenſionem.) Cicero firmamentum, & ſæpe infirmationē. Nam quòd ex pluribus ferè conſiſtat, etiam corroboratio eſſe poteſt rationis. ut, poſtquā accuſator rationem Oreſtis infirmauit, quòd non licuerit tamen filio matrem occidere, etiamſi patrem illa necauerit: aliam Oreſtes adijciet, eiuſmodi animū matris fuiſſe in patrē ſuum, in ſe ipſum, in ſorores, in regnum, in famam generis & familię, ut ab ea pœnas liberi potiſsimum petere debuerint. Quę ratio certè, ſi ad uocabuli uim & naturam reſpicias, firmamentum eſt rationis.

Synechon quid.

Firmamentum cur dicatur.

Sed ut firmamentum ſit actoris ſecunda actio, omnes uolunt, ad Græci συνέχοντος, id eſt continentis datam rationem referentes: licet eſſe poſsit defenſoris. quia diſtinctio uocabulorum ea placuit, ut ratio

Firmamentum ſit ne actoris an defenſoris.

 defenſori,

defenſori,firmamentũ actori tribueretur. Mihi certè non tam acto-
ris aut defenſoris eſſe uidetur, quàm eius qui ſtatum facit. nam is ſolus
qui uagam & quaſi fluxam quæſtionem in anguſtum cogit,& ſtare
facit,tam cauſam quàm rationem in unum ſumit,& cum ſua ſenten-
tia iudici proponit expendendam. Ideoq; dictum eſt Græcis conti-

Fori uocabula.

nens,& alijs firmamentum. Iam in foro replicationis & duplicatio
nis & triplicationis excogitata uocabula,non tam ad cauſam,quàm

Iudicatio cur diſceptatio dicta.

ad uiciſsitudines actionum & contradictionum ſpectant: & exce-
ptiones eſſe,manifeſtum eſt. Ergo ſi ad ea quæ ab aduerſario dicta
ſunt,nulla alia ratio opponitur,neq; quicquam amplius addit accu
ſator,ſupereſt κρινόμενον,id eſt,iudicatio & quæſtio alia, de qua iudi
cis erit diſceptare:atq; hinc dicta à Cicerone diſceptatio.ut, Matrẽ
iniuria interfeciſti:intentio eſt. Interfeci iure,non iniuria:depulſio.
Quia patrẽ illa interfecit: ratio. Non propterea licuit filio matrem
necare: firmamentum. An liceat filio, cuius patrem mater necauit,
eam occidere:hæc iudicatio. Atq; ad iudicationem quidem ſemper
reſpiciet orator,ut ſciat, & multo antè prouideat, quò argumenta
referantur,ne'ue quicquam dicat cauſæ contrarium aut alienum.

Vnde ſtatus, & iudicatio: ratio item & firmamentum oriantur.

Igitur ex conflictu cauſarum fit illa controuerſia, quæ ſtatus dicta
eſt:ex conflictu rationis & infirmationis,illa controuerſia alia,quæ
diſceptatio,iudicatioq; modò oſtenſa. Ita ratio cauſam continet,fir
mamentum rationem. Sit exemplum aliud. Intentio, Peto à te cen
tum:nulla cauſa eſt. Quæ tibi dedi mutuò: hæc cauſa. Reſponſio,
Nihil debeo:nondum ſtatus(quoniam cauſæ non reſpondetur)ue
rùm ſi dicat,Nihil debeo,nam nihil à te accepi: hic ſiſtitur in conie-
ctura. Eodem modo ſi dicat, Reſtitui:uidendum,an reſtituerit. Sed
intereſt. nam in priori depulſione, quod negatione fiat, probatio
relinquitur petitori:hic eam aſſumit contradictor. Ex his igitur

Intentio omnis infirma,ſine cauſa.

compertum eſſe debet,infirmam eſſe omnem intentionem, quæ ſi-
ne cauſa proponitur. Centum debes: nulla eſt intentio, niſi cauſam
addas:ut, Quæ in teſtamento legata ſunt. Depulſio: Nihil habetur
in teſtamento. probatur exhibitione teſtamenti. Lege Cornelia no
men defero,quia hominem occidiſti. Proba quod narras:hic ſtatus

Iudicatio in coniectura quæ.

coniecturalis,utrum occiderit.&indicia pro ratione ponũtur. Quę
cum à reo infirmantur,tanquam firmamenti quiddam exiſtit: & iu
dicatio quaſi hæc erit. An ſufficiant illa indicia ad facti probationẽ.
Sed quia non placet,ut in coniectura eadem dicantur: idem nobis

Ciceronis de ſtatibus ſententia.

eſto & ſtatus & iudicatio,in his controuerſijs. Cæterùm quia ui-
detur mihi Cicero multis in locis non ſolum teſtatiſsima,ſed expli-
catiſsima etiam nobis hæc reliquiſſe, quę dixi,ut ab eius eloquentię
ſtudioſis maior adhibeatur autoritas noſtris ſermonibus, uerba e-
» ius referam,primùm ex Partitionibus: Et quoniam(inquit)ſemper
is qui

is qui defendit,non ſolum reſiſtat oportet aliquo ſtatu,aut inſician «
do,aut definiendo,aut ęquitate opponenda,ſed etiam ratione̅ ſub- «
ijciet recuſationis ſuæ: primus ille ſtatus rationem habet iniqui cri «
minis,ipſam negationem inficiationem'q; facti.Secundus,quòd nõ «
ſit in re,quod ab aduerſario ponitur in uerbo. Tertius,quòd id re- «
ctè factum eſſe defendet,quod ſine ulla nominis cõtrouerſia factum «
fatetur. Deinde, unicuiq; rationi opponendũ eſt ab accuſatore id, «
quod ſi non eſſet in accuſatione,cauſa omnino eſſe non poſſet.Itaq; «
ea quæ ſic referuntur,continentia cauſarum uocentur: quanquam «
ea non magis quæ contra rationem defenſionis afferuntur, quàm «
ipſæ defenſionis rationes,continent cauſas. Sed diſtinguendi gra- «
tia,rationem appellamus eam quæ affertur à reo, ad recuſandũ de- «
pellendi criminis cauſa:quæ niſi eſſet, quid defenderet non habe- «
ret. Firmanentum autem,quod contrà ad labefactandum rationem «
refertur, ſine quo accuſatio ſtare non poteſt. Ex rationis autem & «
ex firmamenti conflictione, & quaſi concurſu, quæſtio exoritur «
quædam,quam diſceptationem uoco: in qua quid deueniat in iudi «
cium,& de quo diſceptetur, quæri ſolet. Nam prima aduerſariorũ «
contentio diffuſam habet quæſtionem. ut in coniectura, Cæpe- «
rit'ne pecunias Decius? In definitione, Minuerit'ne maieſtate̅ Nor «
banus? In æquitate, Iure'ne occiderit Opimius Gracchũ. Hæc quæ «
primam contentionem habent ex arguendo & reſiſtendo, lata, ut «
dixi,& confuſa ſunt.rationum & firmamentorum contentio adduｰ «
cit in anguſtam diſceptationem. Ea in coniectura nulla eſt: nemo «
enim eius quod negat factum,rationem aut poteſt aut ſolet redde- «
re. Itaq; in his cauſis eadem & prima quæſtio, & diſceptàtio eſt ex- «
trema. Et in primo de Inuentione: Quæſtio eſt,ea quæ ex confli- «
ctione cauſarum gignitur controuerſia, hoc modo: Non iure feci- «
ſti,iure feci. Cauſarum autem hæc eſt conflictio, in qua conſtitutio «
conſtat. Ex ea igitur naſcitur controuerſia,quam quæſtionem dici- «
mus,hoc modo: Iure'ne fecerit. Ratio eſt ea, quæ continet cauſam: «
quæ ſi ſublata ſit, nihil in cauſa controuerſiæ relinquetur, hoc mo- «
do (ut docendi cauſa in facili & peruulgato exemplo conſiſtamus) «
Oreſtes ſi accuſetur matricidij,niſi hoc dicat, Iure feci, illa enim pa- «
trem meum occiderat: non habet defenſionem.qua ſublata, omnis «
quoq; controuerſia ſublata ſit. Ergo eius cauſæ ratio eſt, quòd illa «
Agamemnonem occiderit. Iudicatio eſt, quæ ex infirmatione & «
confirmatione rationis naſcitur controuerſia. Nam ſit ea nobis ex- «
poſita ratio,quam paulo antè expoſuimus: Illa enim,inquit,patrem «
occiderat. At non, inquit aduerſarius,abs te filio matrem necari o- «
portuit: potuit enim ſine tuo ſcelere illius factum puniri. Ex hac de- «
ductione rationis illa ſumma naſcitur cõtrouerſia, quam iudicatio «

» nem appellamus. Ea eſt huiuſmodi: Rectum'ne fuerit, ab Oreſte ma
» trem occidi, cum illa patrem Oreſtis occidiſſet. Firmamentum, eſt
» firmiſsima argumentatio defenſoris, & aptiſsima ad iudicationem.
» ut ſi uelit Oreſtes dicere, eiuſmodi animum matris ſuæ fuiſſe in pa-
» trem ſuum, in ſe ipſum, in ſorores, in regnum, in famam generis &
» familiæ, ut ab ea pœnas liberi ſui potiſsimum ſumere debuerint. Et
» in cæteris quidem conſtitutionibus ad hunc modum iudicationes
» reperiuntur: in coniecturali autem conſtitutione quia ratio non eſt
» (factum enim non conceditur) non poteſt ex deductione rationis
» naſci iudicatio: Quare neceſſe eſt, eandem eſſe quæſtionem & iudi-
» cationem. ut, Factum eſt, factum non eſt: factum'ne ſit. Quot autem
» in cauſa conſtitutiones, aut earum partes erunt, totidem neceſſe e-
» rit quæſtiones, rationes, iudicationes, firmamenta reperiri. Ad
» Herennium iuuenis ita ſcripſit: Conſtitutione igitur reperta, ſta-
» tim quærenda eſt ratio. Ratio eſt, quæ cauſam facit, & continet de-
» fenſionem, hoc modo, ut docendi cauſa in hac potiſsimũ cauſa con-
» ſiſtamus: Oreſtes, cum confiteatur ſe occidiſſe matrem, niſi attulerit
» facti rationem, peruertit defenſionem: Ergo affert eam, quæ niſi in-
» tercederet, ne cauſa quidem eſſet. Illa enim, inquit, patrem meum oc
» ciderat. Ergo, ut oſtendi, ratio ea eſt, quæ continet defenſionem: ſi-
» ne qua nec parua quidem dubitatio poteſt remorari damnationẽ.
» Inuenta ratione, firmamentum quærendum eſt: id eſt quod accuſa-
» tionem continet, quodq́ affertur contra rationem defenſionis, de
» qua antè dictum eſt. id cõſtituitur hoc modo: Cum uſus fuerit Ore
» ſtes ratione hoc pacto, Iure occidi, illa enim patrem meum occide-
» rat: utetur accuſator firmamento, hoc modo: Sed non abs te tamen
» occidi, neq; indemnatam pœnas pendere oportuit. Ex ratione de-
» fenſionis & ex firmamento accuſationis iudicij quæſtio naſcatur
» oportet: quam nos iudicationem, Græci κρινόμενον appellãt. Ea con
» ſtituitur ex coniunctione firmamenti, & rationis defenſione, hoc
» modo: Cum dicat Oreſtes, ſe patris ulciſcendi cauſa matrẽ occidiſ-
» ſe, rectum'ne fuerit à filio ſine iudicio Clytæmneſtram occidi. Ergo
» hac ratione iudicationem inuenire conuenit. Inuenta iudicatione
» omnem rationem totius orationis eò conferri oportebit. In omni-
» bus conſtitutionibus & partibus conſtitutionum hac uia iudicati-
» ones reperientur, præterquàm in coniecturali conſtitutione. Nam
» in ea nec ratio quare fecerit quæritur (feciſſe enim negatur.) nec fir
» mamentum exquiritur: quoniam non ſubeſt ratio. quare ex inten-
» tione & inficiatione iudicatio conſtituitur, hoc modo: intentio, Oc
» cidiſti Aiacem: inficiatio, Non occidi: iudicatio, Occiderit'ne. Ratio
» omnis utriuſq; orationis, ut antè dictum eſt, ad hanc iudicationem
» conferenda eſt. Si plures erunt conſtitutiones, aut partes conſtitu-

tionum,

tionum, iudicationes quoq; plures erunt in una cauſa, ſed omnes ſi “
mili ratione reperientur. Hæc Cicero: quæ nos ideo referre uo- “
luimus, cùm ut ab ipſo omnes peterent poſthac eam rationē, poſt-
quam conſtat eum apertiſsimè declaraſſe hac in re mentem Græco
rum: tum ut diutius in eiuſdem rei, quæ maximè omnium neceſſa-
ria eſt, exemplis & declaratione exercereris. Ex his igitur & ſupe
rioribus patêre poteſt, quæ'nam quæſtio dici mereatur ἀσύστατος, Quæſtio
id eſt non conſiſtens, aut (ut alij loquuntur) inſtabilis & inconſtās. ἀσύστατος.
Sed quanquam in huius rei inueſtigatione diutius commorari con
tigerit dicendi diſſerendiq; magiſtros, tamē ipſe uno uerbo dicam,
nec minus dilucidè. ea eſt, quæ uel intentione caret, uel depulſione,
uel æquam habet intentionē depulſioni. Ac depulſione quidem ca-
rent, quæ per ſe nota ſunt, poſitaq; in ſenſu communi. aut opinione
& arte. ut, Totum maius eſt parte: ſeptimam chordam diſſonare:
eſſe Deos: præſtandam eſſe pietatem parentibus: tempora decur-
rere more fluentis aquæ. contra negantes huiuſmodi principia non
eſt diſputatio, niſi altius petātur alia principia. Siquidē Antiphon-
tis rationes, quibus utitur ad quadrandum circulum, nunquam re-
prehendat geometra: propterea quòd principium aſſumit totius
geometriæ præcepta euertens, continuum non poſſe diuidi ſem-
per. at uerò Hippocrates quia nihil contra artis principia aſtruit,
cum per lunulas idem conatur, non fruſtra diſſerere poterit cum
geometra, quia quæſtiones non reijciendas ponit. In cauſis etiam
inſtabilis eſt, cum pars altera nihil poteſt afferre: diciturq; genus μο Quæſtio
νομερὲς, id eſt mutilum uel unimembre. ut, Leno qua parte uentu- μονομερὴς.
ros ad ſe adoleſcentes ſciebat, nocte foueam occultam fecit: ea iuue-
nes perierunt. hic enim nulla defenſio eſt lenoni. Parum diſtat ab
hac quæſtio quæ dicitur ἄχρωμος, id eſt ſine colore. ut, Decem mili- Quæſtio
tes, cum eſſet committendum prælium, pollices ſibi amputarunt: ἄχρωμος.
accuſantur læſæ maieſtatis. hic nullus facti color inueniri poteſt, ut
rectè factum eſſe uideatur. Item, ſi quis regis ſtatuam flagellis cædat,
nullo colore uideri factum poteſt moderatum. Intentionem ue- Intentione
rò uidentur non habere, quæ contra ſenſum, contra opinionē, con- quæ careāt.
tra hiſtoriam, contra naturam aſſeruntur. Græca nomina ſunt, ἀ-
δύνατος, ἀπίθανος, παρ᾽ἱστορίαν. Contra naturam eſt, ſi puer accuſetur Contra naturam.
adulterij: nec ueriſimile eſt, patratum hoc ſceleris à Socrate. Contra Non ueriſi
hiſtoriam, ſi quis dicat Achillem natum non ex Thetide, ſed ex He mile.
cuba. fabulam namq; ab hiſtoria non ſeparamus. Prætcrea quæ Contra hiſtoriam.
impudentem habent intentionem: id eſt, quæ deſtituta ſunt certa
probatione, uel honeſta. Hic ponuntur, ἄδοξος, ἀπρεπὴς, ἀναίσχυν-
τος. Turpis eſt, ſi uir adulterij mercedem poſtulet, idq; coram iudi- Turpis.
ce. indecora, cum perſonæ non congruit, licet alij poſsit: ut ſi filiæ Indecora.

ſuæ nuptias quis petat. Impudens,ſi actor malus,& impuris moribus,alium de uirtute atque honeſta uita deferret. Hæc omnia impudentem habere dicuntur intentionem : quare nec poſſunt conſiſtere. Sed probatione integra deſtituuntur hæc, quæ ſequuntur. ἔλλειπον,id eſt deficiēs:ut, Abdicauit filium, nec cauſam poſuit abdicationis. Non conſiſtit, ἀπερίστατος, id eſt ſine circunſtantia : ut, Accuſat uxorem adulterij,nec demonſtrat adulterum. Porrò autem,cum æqualis eſt depulſioni intentio,uel ſimilis, prior illa dicitur ἰσάζουσα δι' ὅλου,id eſt æqualis omnino,cum eadem ex utraque parte dicuntur prorſus,nec quicquam propriū eſt alterutrius:ut,duo iuuenes pulchras habentes uxores,uiciſſim ſe in ædibus ſuis offendunt,& accuſant ſeſe mutuò adulterij: & illud,uxor dicit marito,ſe compellatam à priuigno de ſtupro:idem patri dicit filius:& ſe in locis dictis ſibi inuenerunt. Huc pertinet ἄπορος, id eſt inexplicabilis. ut, Alexander in ſomno uidit non eſſe credendum inſomnijs:eſt enim inſolubile,an oporteat credere. Tale eſt problema illud crocodili. In quibus quidem illud Areopagitarum iudicium imitandum erit, qui litigatores poſt centum annos redire iuſſerunt. ſunt enim natura inſolubiles omnes eiuſmodi quęſtiones,ſicut & ea quæ probatione demū integra deſtituūtur, quę dicuntur ἀντιστρέφοντα, id eſt conuertibilia:cum tota actio commutatur à litigantibus, ut neuter prioribus utatur rationibus,ſed uterque aduerſarij. ut, repetebat ab amico ſuo pecuniam cum uſuris,quaſi creditam : ille offerebat ſine uſuris,quaſi depoſitam. inter moras iudicij lex lata eſt de nouis tabulis:repetit pecuniam tanquam depoſitam:retinet alter quaſi creditam . Omnia hæc Hermagoras (mea ſententia præclarè) in quatuor ſpecies diuiſit: ἐλλείπουσαν, μονομερῆ, ἄπορον, καὶ ἰσάζουσαν. Hermogenes in octo diſtribuit, additis præterea quibuſdam,quæ uocant κακοσύστατα. Cæterùm,quia poſſunt etiā plura inueniri,ut à multis adnumerantur,ἄλογος,cum quis non uult eodem iure agi ſecum ac cum aduerſario:prępoſtera,ut ſi dicat ſic,Si nauis ex Aſia uenerit,hodie dare ſpondes? circularis, ut ſi creditor, mulier & fiſcus contendant,quis in pignore ſit præferendus: & ſimilia.quæ ſi inter ſe nonnihil differunt,non tamen ut inter præcepta diſtinguantur. Sufficient illa, quæ à nobis ita ſeparata ſunt, quòd depulſione careant, uel intentione, uel æqualem habeant intentionem depulſioni. Dico autem habere intentionem, quæ ueriſimilem habent, aut honeſtam. Atque hæc ita de genere toto dicta ſint. Nunc ſoluendum quod hic quæri ſolet, uter litigantium ſtatum facit. Et ſanè quanquam difficilior quæſtio eſt,quàm utilior:tamen non prætermittam in ea re meum qualecunque ſuffragium. Dico igitur , ſtatum ab illo fieri, qui non ſinit quæſtionem progredi ulterius in aliam quæſtio-

Probatione integra quæ deſtituantur. *Deficiens.* *Sine circunſtantia.* *Aequalis omnino.* *Inexplicabilis.* *Antiſtrephuſa.* *Inconſiſtentium genera quatuor* *Alia inconſiſtentium genera.* *Vter litigātium ſtatū facit.*

quæſtionem.ut,Matrem interfeciſti:Non interfeci. Iam ſtatus:Interfeci,ſed iure:Non iure,ſed iniuria:ſtatus. Si iure, tamen parricida es.Non ſum:reuocatur ſtatus. Facit ergo ſtatum,qui negat:proponit,qui affirmat. Etenim cõtradictoris reſponſione ſiſtitur actio aduerſarij.Iure interfeci,quia patrem illa necauit.Nõ licuit propterea:ſtatus. Quòd ſi aduerſarius neget patrem ab ea interfectum: iam non ratio hoc erit,ſed cauſa,& ſtatus coniecturalis.Ergo ſi concedit interfectum,ſed ideo negat licuiſſe filio:naſcitur κρινόμενον, id eſt iudicatio.Quæſtio hæc,an propterea licuerit filio,&c.Eſt enim diſceptatio,quæ iudici relinquitur.eaꝗ́ ſemptr quæſtio fit infinita, & propoſitio uniuerſalis ſubintellecta, maiorꝗ́ ſyllogiſmi. Veluti hæc,Quæcũꝗ uirum interfecit,digna eſt quæ à filio necetur.Hanc porrò uniuerſalem ſi diuerſa pars non admittat, quæ prius erat iudicatio,ſtatus rurſum fiet pragmaticus:id eſt negotialis.

Diſceptatio.

Negotialis conſtitutio. Cap. 27.

EST autem negotialis quæſtio,in qua de rebus ipſis quęritur(ait Quintilianus ex Hermagora)remoto perſonarum cõplexu. ut,An diuitiæ ſuperbiã pariant:An liber, qui in aſſertione : An debuerit à filio necari, quæ uirum interfecerit. Cicero tamen ad iudicia ſolum reſpiciens, eam eſſe dixit,in qua quid iuris ex ciuili more & æquitate conſideratur:cui diligentiæ præeſſe apud nos (inquit) Iuriſconſulti exiſtimantur. Verùm Hermogenes rem magis adhuc quàm Cicero contrahens,eam dicit eſſe, in qua de futuro agitur. ut cum quæritur, Fieri'ne oporteat aliquid,necne:dare,an retinere:ut, Cõſultant Athenienſes, an ſepeliendi ſint ij qui in Marathone ceciderunt. Itaꝗ ſentit, in iudiciali tantùm de præterito diſputari,in negotiali de futuro. Nos itaꝗ ut apertiorem & magis expreſſam ſtatuum & quæſtionum diuiſionem efficiamus,redeundũ nobis ad id arbitramur, quod antiqui quidam rhetores omnem quæſtionem in duas formas diſtribuerunt,negotialem & iuridicialem(Græcè πραγματικὴν καὶ δικαιολογικὴν)totidemꝗ́ ſtatuum differentias. Vel enim in prima quæſtione & cauſa conſiſtimus,uel in continente atꝗ iudicatione.Si in illa, ſtatus dicitur(à iure accepto uocabulo)Iuridicialis : ſi in iudicatione,Negotialis,& Græcè Pragmaticus. Sed alia uia, & magis nota Dialecticis,idẽ peruestigemus. Omnibus hoc notum eſt,duas ſententias in omni perfecta argumentatione præcurrere:ſiue has propoſitiones uoces,ſeu pręmiſſas,ſeu aliud quiduis: tamen compertũ eſt,unam ex his maiorem,alteram minorẽ dici. terminus enim maior generaliorꝗ́ in maiori prædicatur,minor inferiorꝗ́ in minori ſubijcitur.nec unquã placuit,iam recepta multo uſu uocabula reijcere. Ergo ut ad rem noſtram accommodemus ſermonẽ,ſi diſputantes

Quintiliani & Hermagore de hoc ſtatu ſententia.

Cicerõis de ſtatu negotiali opinto

Hermogenis ſententia.

Autoris de hoc ſtatu opinio.

Dialecticorum uia ſtatus inueſtigantur.

tantes in maiori conſiſtamus(hoc eſt, ſi in firmamento & continente probationis, omnis inter te & aduerſariū diſceptatio ſit) ſtatum dicito impunè Negotialem: ſi in minori, Iuridicialem. Hæc autem multo quidem facilius perceperit dialecticus aliquis, etiam ex triuio, quàm qui Fabiȷ & aliorum rhetorum tantummodo præcepta tenent. nam ſi amborum præcepta perpendis, maior eſt illis, quam uniuerſalem quæſtionem fecimus, & his continens: minor, αἴτιον, id eſt cauſa. ſemper enim ratio & cauſa eſt, qua quæſtio continetur prima. ut; Iure interfeci: hæc quæſtio. Quia patrem illa necauit: hæc cauſa. Quare, quoniam & cauſa dicta eſt ipſa illa cōtrouerſia, an iure matrem necauit: conſequens eſt, ut hæc cauſa cauſæ, id eſt αἴτιον αἰτίου cenſeatur. Sumitur autem hæc aut ex circunſtantia aliqua,(nempe perſonę, uel rei) ut hic ex facto Clytęmneſtrę: aut ex pronūciato, ut ſi oraculum Oreſtes prætenderet, aut iuſsionem: & de utroq; diſputabitur pragmaticè. De illo quidem, an mater quæ patrem filȷ necauit, iure poſsit à filio necari. De iſto autem erit, ut de pronunciato diſputatio legalis. Dico autem pronunciatum(ne hic hęſitetur) ſermonem omnem liberum, uel expreſſum: ut legem, teſtamentū, tabulas, ſententiā, prouerbia, rumorē, tormenta, iuſiurandum, teſtimonia. Nam & Ariſtoteles eadem hac ratione probationes diſtribuit in artificiales, & non artificiales: ex arte quidem fieri ſentiens, quæ ex aliqua circunſtantia procedunt: reliquas, ex pronunciatis. Atq; hic quidem alia fieri poterit nobis ſtatuum diuiſio. nam ſi cauſa ex circunſtantia deſumitur, in eq; ipſius circunſtantiæ propoſita quæſtione confligitur: ſtatus fit Rationalis. ſi ex dicto, aut ſcripto, Legalis. ut, Si ambiguum uidetur uerbum, aut alteri contrarium, aut cum æquitate pugnare. Quocirca rationaliū conſtitutionum non alias inuenerunt ſpecies, quàm quæ ſunt ſuperius capitum generalium expoſitę differentię. Quinimò ne legales quidem ipſæ, aut negotiales, uim prorſus effugiunt rationaliū. Si enim de uoluntate quæritur legiſlatoris, coniectura eſt: contrariæ leges ſæpe ex æquitate, interdum ex ui uerbi declarantur. Syllogiſmus quoq; in definitione inuētus eſt, & amphibologia multo adhuc certius. Id cum pleriq; animaduertiſſent, non ſtatus, ſed quęſtiones legales appellarunt. uidebatur enim non ſatis cōſentaneum, ut idem in una cauſa ſtatus eſſet, qui in alia probatio. Sed id quidem nō debuit officere, poſtquam in hoc & in illo poteſt cauſarum conflictus ſiſtere quæſtionem. Quare melius illi, qui hæc quæ ad aliorum corroborationem adhibentur, ſtatus incidentes, capitaq; ſeruientia dixere. Nam ſi poteſt, relicta principali quæſtione, atq; ea quæ primā contradictionem mouit, in ea quæ ad probationem adducta eſt confligi: & ſi non tantam uidetur gloriam adipiſci eius diſceptationis

Ratio & cauſa.

Cauſa cauſæ.

Quid pronunciatū, quotq; eius generis.

Ariſtotelis probationū diuiſio.

Alia ſtatuū diuiſio.

Status rationalis, legalis, qui.

Status incidentes.

nis uictor, atq; ſi primam & pręcipuam obtinuiſſet: tamen ſi ex conflictu cauſarum naſcitur conſtitutio, non minus in ſeruientibus capitibus ratio ſtatus erit, quàm in principibus. An uerò quòd non aliæ ſint formæ rationalium, quàm quę quatuor capitibus generalibus contineantur (facti, nominis, qualitatis, & actionis) ideo non ſuperſint etiam multi ſtatûs pragmatici nobis præter legales definiendi? ex ijs quæ mox tractabuntur, ſenties non conſequi. poſſumus namq; non modò eum circunſtantia, ſed ſine ea etiam, contendere de negotio: quod eſt generis pragmatici.

De legalibus conſtitutionibus. Cap. 28.

DE quæſtionibus igitur legalibus, quoniam à Quintiliano & Cicerone & alijs plurimis diffuſe ſatis diſputatum eſt, non admodum multa trademus: modò plures aut pauciores quàm quatuor, nemo exigat aut exquirat à nobis. Nam ſi metalepſin & definitionem in hac materia inuenimus: poſſis & alias multas profectò inuenire: at principales non erunt, ſed ſeruientes (ut dixi) principalibus. Nos principes cuiuſq; cauſæ ſtatus, & controuerſiæ primum caput, ſummamq́; quæſtionem, primo loco inquirendam eſſe cenſemus: alias pro occaſione. Et contingit ſępe, non modò ut ex cõtrouerſia una alię producantur (ut cum probationem aduerſarius refellit) uerùm etiam ut quædam inferantur aliæ cauſæ, ſine quibus tamen eſſe poſſet, & plenè ſubſiſtere, quæ pręcipua exiſtimatur. Pro Rabirio Poſthumo, prima parte orationis metalepſis eſt: negat enim actionem competere in equitem Romanum. Deinde cõiectura: nullam pecuniam ad eum perueniſſe. hic autem ſtatus altero firmior eſt: &, ſi aliud dicere non licuiſſet, eum certè unum poſuiſſet, neglecta prioris diſputationis paragraphe.

Princeps ſtatus in omni controuerſia inquirendus.

Status cauſæ pro Rabirio Poſthumo.

De uerbo & ſententia. Cap. 29.

PRIMA igitur legalis controuerſia Græcis eſt περὶ ῥητοῦ καὶ διανοίας: Latini identidem per periphraſin exponũt, de ſcripto & ſententia, uel de uerbis & uoluntate. Tunc enim hoc incidit caput, cum legis uerba & ſcripti legiſlatoris uoluntati & ſcriptoris uidentur eſſe contraria: quia plus uel minus intellexerit autor, quàm ſcripſerit. itaq; ſemper pars una litigantium uoluntate nititur, altera ſcripto. Peregrinus ſi murum aſcenderit, reus eſto: cumq́; murum hoſtes occupaſſent, à peregrino expulſi ſunt, & petitur is ad ſupplicium. Verba quidem legis ſatis ipſa per ſe liquent: ſed dubitatur ſtatim de ęquitate legis: hoc eſt, de mente & uoluntate legiſlatoris, quæ ad ęquum & bonum (nulli dubium eſt) reſpexit. Quid inquam in hoc negotio ſtatuiſſet legiſlator? an lege ſua teneri hunc uoluerit? Fit interdum, ut utraq; pars, omiſſo

Huius ſtatus genera.

omiſſo ſcripto, ſola uoluntate contendat: Sępe etiam conſtat de uoluntate, ſed uerba non ſatis liquent: poteſt & utrumq; pariter incertum eſſe. Sed proprium tamen huius loci eſt (quem τοῦ ῥητοῦ diximus, καὶ διανοίας) ut uerba legis ipſa clara ſint, ſed de uoluntate ſenſu'que ſcriptoris diſputetur. Et æquitatis ratio, cum ſummo iure confligit.

Contrariæ leges. *Cap.* 30.

Antinomiæ genera.

ALTERVM caput legale eſt ἀντινομία, hoc eſt contrariæ leges. Tribus modis hæc contingit. Aut enim duæ leges, aut unius legis duę partes, aut una & eadem ipſa ſecum confligit atq; colliditur. quanquam certè id quod ultimum feci, nũquam niſi ex rerum euentu accidit: & niſi cautum imprudẽter ſit à legiſlatore. ut duæ leges: Vir fortis quod uolet poſtulato: Tyrannicida quod uolet poſtulato: & fit ut ambo petant eandem puellam. Id ipſum quoq; fieri poſſet in eadem lege: ut ſi duo uiri fortes eandẽ puellam optarent. Duæ partes hic: Rapta raptoris mortem eligat, aut nuptias: & rapta eſt puella à duobus, quorum illa huius mortem optat, alterius nuptias.

Syllogiſmus. *Cap.* 31.

Chryſippi dictum.

MONEBAT Chryſippus (ut eſt apud Plutarchum) ut ea quæ legeremus in una re, ad reliquas omnes quæ ſimiles eſſent, traduceremus. Velut cum Heſiodus ait:

Nemo bouem amittet, uicinus ſi bonus adſit:

Id etiam uolebit in aſino & cane, & rebus eiuſdem generis. ita eſt & in legalibus ſæpe diſputationibus faciendum, ut rei non ſcriptæ ad ſcriptam aliam fiat collatio: & colligamus è ſcripto, id quod ſcriptum nullo modo habetur, quaſi perinde ſit ac ſi ſcriptum haberetur. ut, Qui patrem pulſauerit, plectatur: pulſauit matrem, dices nihil intereſſe, patrem aut matrem pulſauerit. Cicero pro Cec. Lex uſum & autoritatem fundi iubet eſſe biennium: At utimur eodem iure in ædibus, quæ in lege non appellantur. Hic ſtatus Græcè dicitur συλλογισμὸς, & συλλογή: Latinè ratiocinatio, & propriè quibuſdam par: a Iurecõſultis dicitur inductio legis. Ea namq; quæ cõmunione rationis ſocietatéq; coniunguntur, etiamſi in negotio, quod uerbis legis ſcriptum eſt, non habeantur, omnia tamen ratiocinatione ad illud induci poſſunt: & tanquam ſcripta eſſent, eadem lege cenſentur. Itaq; quoniam comparatio ex capitibus primis eſt, hinc fit ut ſyllogiſmus omnis quoq; ſumatur uel à ſimili, uel à contrario, uel à comparato: ita ut æquale ſit, uel maius, uel minus. In ſimili datum eſt exemplum. A' contrario ſenſu erit huiuſmodi: Viro forti præmium dux conferat. deſertorem dux interfecit: & licere ſibi colligit à contrario. Per comparationem hoc modo ratiocinemur: Licet exu-

Locus Ciceronis.

Huius ſtatus uaris nomina.

Huius ſtatus loci.

Syllogiſmi ratiocinationis uel ſtatus definitio

cet exulem proſcriptum occidere. Verberauit quis exulem, & dicit ſibi licuiſſe: quoniam minus eſt uerberare quàm occidere. Addunt, & à conſequentibus: ſed eòdem reuertuntur. quare ſyllogiſmus omnino tum fit, cum ſimilitudine rationis ex eo quod certũ eſt, colligimus id quod incertum: quo unam & eandem legem tam ad id applicemus quod ſcriptum eſt, quàm ad id quod induci poteſt.

Ambiguitas. Cap. 32.

Ambiguitatis duo genera.

Vitioſæ cõpoſitionis cauſæ.

QVARTVM Græcè appellamus ἀμφιβολογίαν, Latinè ambiguitatem. Accidit autem ea difficultas duobus modis. Aut enim ex unius uerbi homonymia ſenſus obſcuratur, aut ex uitioſa cõpoſitione. ut, Lego taurũ meum Sempronio: dubium eſt, bouem'ne, an ſeruum huius nominis legauerit. Sed uitioſa compoſitio tribus ex cauſis efficitur. Sæpe quidẽ uerbum ita collocatur, ut cui referendum ſit, planè neſcias. ut, Ponat hæres in foro ſtatuam auream haſtam tenentem. Sępe uerbum diuidi in partes ſignificantes poteſt, & diuiſæ poſſunt coniungi. ut in illis, λίωμ & πανταλίωμ. Fit etiam, ut additum, aut ſubſtractum aliquid identidem officiat: ut, Hæres meus uxori meæ uaſorum argenteorum pondo centum, quæ uolet, dato. Petit mater uaſa magnifica & precioſe cælata, eadem filius. hic enim addendũ erat, quæ ipſe uel ipſa uolet, ut ambiguitas tolleretur. Item, Meretrix aurea corona ne utatur: ſi uſa fuerit, publicetur. hic enim ſi ademeris, ne utatur, uerba meretricem publicari iubebunt. Ac de legalibus quidem conſtitutionibus cum ſit nobis (quemadmodum & de alĳs) rurſum pręcipiendum, ſufficient hæc in præſentia, ut cuiuſq; ſpeciem & nomen teneas: ſi plura quis deſideret, legat Fredericum Brixienſem, quanquam non puto magnum ab eo te fructum relaturũ, niſi (quod leguleis ſolenne eſt) legum & autoritatum multos aceruos. alioqui multa cõſundit, & ſcrupuloſius rem perſequitur quàm utilius. Quibus uerò rationibus & locis tractentur, dicemus nos poſtea. nunc reliquos ſtatus negotiales eadem ratione explicemus.

Negotiales conſtitutiones extra dictum. Cap. 33.

Duo genera ſtatuum.

ERGO quamuis multorum exempla amplectenti proximum hoc loco fuerat, quibus modis ac rationibus tractari hæc ſingula conuenit, explicare (ſic enim ſunt omnes octo iam finitis capitibus contenti, ut ad probationes reliquam orationem ſtatim comparent) tamen niſi fruſtra ſtatuum duo genera à nobis poſita ſunt, iuridicialium & negotialium: & utriuſq; horum niſi poſſunt differentiæ inueniri rationalium & legalium, hoc eſt quæ uel in natura rei, uel in dicti ac ſententiæ ratione conſiſtant, profectò alienum eſſet, non definitis reliquis negotialibus, ad cuiuſquam argumenta procedere, & rurſum poſtea ne-

g gotiales

gotiales definire, & poſt definitiones alias probationes explicare. Exponendæ igitur antè nobis ſunt formæ omnes negotialiũ quæſtionũ: earum maximè, quarum in iudicijs & politicis uſus frequentior eſſe ſolet. nam reliquas uix contingit ut philoſophus ab alio genere diſtinguat. Quos olim ſophiſtas (ut antea diximus) honeſto ac laudabili nomine compellauit antiquitas, paucos numero & argumento faciles locos tradidiſſe compertum eſt, antequam ad perfectam illam & ſummam eloquentiæ artem ſuos introduxiſſent: quæ eâdem cauſa προγυμνάσματα uocauere. erat enim quædam in his (ut ſic dicam) præexercitatio, præmeditatioq́; etiamſi puerilis, plena tamen præceptis tam prudentię, quàm eius facultatis quam pueri li infixam perpetuò memoriæ cupiebant. & ſanè ad extemporalem dicendi facultatem nihil æquè, atq; progymnaſmatum doctrinam facere, ſemper arbitratus ſum, atq; cenſui: toties expertus, in ſermonibus & conſilijs extemporaneis ad ea reſpectandũ eſſe. Quare & nobis de his erit aliquid dicendum: ne quod illi maxima cum laude ac gloria docuerunt, aut ignorare ſi omittamus, aut cõtemnere ſi non probemus, aut certè non tanti facere quanti res eſt uideamur, niſi pro dignitate etiam non ſolum definiamus, ſed etiam locis & capitibus tractemus quibus inuentio omnis ſita eſt. Neq; enim minus reprehenditur, acceptas à maioribus non augere, quàm amittere diuitias. Omnem ergo hi materiã rhetorices in locos, alij plus minus, undecim diuiſere: fabulam, deſcriptionem, laudationem, uituperationem, comparationem, confirmationem, refutationem, chriam, locum communem, proſopopœiam, & propoſitum. Dixi autem ſuprà propoſitum, quod illi θέσιν: ſub hac diſputabant de legum promulgatione & abrogatione, de bello & pace: de transmigratione, & ducendis colonijs, de quærenda pecunia, de honore, impietate, morte, publicisq́; maleficijs. horum namq; alia per ſe ipſa propoſitum faciunt, alia tractatione. Etenim conſultatio omnis teſte Ariſtotele generaliter fit: & quamuis particularis quæſtio uidetur hæc, an lex quam Tiberius Gracchus rogat, bona ſit: tamen quia deliberatio omnis de futuro habetur, non de præſenti, & futurum tempus omne incertum & uagum eſt: ideo & ipſa quæſtio uaga incertaq́; cenſeri poteſt, & ſub genere ſtatus negotialis & hæc & omnes ei ſimiles deliberatiuæ poni. Itaq; deliberatiuę erunt ſub ſtatibus legalibus comprehenſæ (hoc eſt, de dicto uel ſcripto) omnes illæ controuerſię, in quibus pro lege aut contra legem dicitur, pro tabulis aut contra tabulas, pro fama aut contra famam, ac deinceps. Nec ſolum pragmaticas extra ſermonem inuenias in deliberatiuo genere, ſed etiam in alijs. ut in iudicijs quidem, ubi de appellationibus âgitur. Exempli cauſa, de iniquo ſupplicio ſi appellatur ſe-

Sophiſtarũ progymnaſmata, eorũ que utilitas.

Loci materiæ progymnaſmatũ undecim.

Theſis ſiue propoſiti explicatio.

In deliberatione ſtatus negotialis.

Negotialis ſtatus etiam in iudiciali & demonſtratiua cauſa.

tur ſenatus, de petitione præmij, de abdicatione: & diuinationes præterea huc accedunt. In his omnibus iudex non tam quid ſit, aut quale, aut an ſit, quàm quid agendum ſibi ſit, ſecum quodammodo deliberat atq; conſultat. In demonſtratiuo genere qualitatũ com parationes, & quantitatum (de quibus paulo pòſt) omnes in uniuerſum quęrũt, utrum maius, utrum melius. Relinquitur ergo per omnia genera cauſarum diſcurrere ac inueniri negotialem quæſtionem. quæ aliud non eſt, ut & ipſum nomen importat, quàm quę de rebus ipſis & negotijs in genere & tanquam per ſe inquirit, remoto perſonarum complexu.

Negotialis quid ſit.

Nec mirari quiſquam debet, aut perturbari, quòd tam de rebus & negotijs, quàm de iure & æquitate, per ea quæ tradimus, in negotialibus controuerſijs quęri cenſeamus. nam utrumq; in iuris ſcientiã cadit, & res & ius. nec minus conſuluntur pragmatici de rebus, quàm de iuribus & iudicijs. quãquam rerum cognitio magis philoſopho tribuatur, & ei qui in quaq; re expertus eſt. Si Carolus V. dubitet, an delendum ſit Afrodiſiũ: uel an induciarum cauſa, quas tractat cum rege Galliæ, ultro citroq; reddendi ſint captiui: conſulet'ne iureconſultos: an duces & principes ſuos (illic quidem Doriam, & Gonzagam, & proregem Siciliæ Ioan. de Vega: hic Aiguemontiũ, Lalainum, Boſſudum, atq; alios) qui commoda atq; incommoda utriuſq; partis habent in numerato. Atq; hæc quidem reſumenda ſententia fuit, ut quæ ſequuntur diſtinctè præciperemus. Sed diuidenda iam altera pars negotialium eſt, quam extra dictum uel ſermonem ponimus, & in re. Huius autem rurſum duæ partes fiunt. In una ponemus omnes illas quæſtiones, quæ abſolutè abſq; ulla comparatione interrogant: in altera, comparatas omnes. Porrò autem in utraq; harum partium quatuor genera inuenio quæſtionum. In abſoluta quidem primùm eſt iniectio qualitatum, id eſt, ἐμβολὴ ποιοτήτων: deinde particula (ut uocant) iuris: tertium, quantitas numeri: quartum, cauſæ mortis uoluntariæ. In comparatiua ſimiliter quatuor exiſtunt: Diuinatio, qualitatum comparatio, quantitatum comparatio, duarum quantitatum comparatio.

Negotialis extra dictũ diuiſio.

Abſolutæ partes.

Comparatiuæ partes.

Sed his quidem nominibus nihil ſit magis obſcurum, aut minus utile, niſi definias. Qui autem omnia dictione metiũtur, & uerbis Ciceronianis: apud hos profectò plus ualet eloquentiæ illius admiratio, quàm uſus. Ipſe idem Cicero, etſi in præcipiendo nón iiſdem utatur uocibus, in dicendo tamen non aliam artem eſt ſequutus, quàm hanc.

Ciceronis cõſuetudo.

Atq; id quidem nos diligẽtur obſeruauimus: & ab eo ſumptis exemplis, quę nunquã præcipiendo tradidit, multa detegemus, artis'ne an doli dicam molimina, neſcio. Ne ſimus ergo tam delicati, ut ob unius uoculę inſolentiã, artem aſpernemur fructuoſiſsimam, quę nos ad contemplationẽ rei pulcherrimæ atq; precioſiſsimæ introducit.

Iniectio qualitatum, quantitas, particula iuris, cauſa mortis uoluntariæ. Cap. 34.

Iniectionis qualitatum exempla.

CVM qualitas qualitati innaſcitur, idq; (ut dicũt) κ̃τ̓ συμβιϐακὸς: quod tum accidit, cum poſt factum, quod in lege uel pacto continetur, aliquid interea euenit, propter quod factum à ſenſu legis uideatur eſſe ſecluſum: id iniectionem qualitatis definiunt. ut, promiſerat quis ſe traditurũ filiam medico, ſi eam ſanaret: ſanata eſt puella, ſed interea rapta ab alio, & ſecundũ legem raptarũ eligit indotatas nuptias: petit puellã medicus, cõtradicente patre. Idem eſt in hoc exẽplo: Teſtamento iuſsit pater ut filia ſua tutoris filio nuberet: reddita tutela, petitur à filio tutoris: cõtradicit puella, q; is eſſe deſijt tutoris filius. item illud: Rapta tutoris mortem eligat, aut indotatas nuptias. fugerat raptor, & interea puellã collocauerat pater alij: reuerſumq; poſtea raptorem detulit. cui raptor reſpondit, nuptã eſſe iam puellã. itẽ iuſſerat ſeruũ ſuũ liberũ eſſe, ſi daret X. Titio: moriẽ Titius interea. & dicit teſtamenti ſenſum eſſe, ut donecũ libertate. In his omnib. quæſtio incidit negotialis: in prima quidẽ qualitatis abſolutæ, an licuerit ei quæ iã deſponſata erat, alterius nuptias optare. In ſecunda, quęritur de nomine tutoris: in tertia, paragraphe eſt. in quarta, legalis quæſtio. Similia ſunt exempla in rogatione & edicto: quòd mutatur obligatio prior. nam noua lege antiquatur alia: & Prætores nouis edictis in ſingulos annos omnia perturbabant: omnibus ergo hoc accidit (quod dixi) propter quod non uidetur reus priori obligatione teneri: quia adiecta eſt qualitas contingens. Nec ualde diſsimilis huic eſt quantitas, ſeu quantitatis iniectio: cum diſputatur, quantũ id ſit quod factum eſt: an maius propter incidentem circunſtantiã. ut, An ratio in exigenda pœna habenda ſit ordinis ſtipendiorũ & gradus militiæ, cum deſertor accuſatur. item Magiſtratui infregit colaphum, neq; id ſemel, ſed iterum ac tertiò: an propterea maior cenſenda iniuria. Duos tyrãnos interfecit: an mereatur duplex pręmium. Sed de his poſtea dilucidius, cum locos, quantitatis, amplificationiſq; trademus & comparationum. Tertia autem fuit particula iuris, in qua putant uniuerſam iuris prudentiam contineri. ſed maximum certè negotium hæc cõſtitutio iureconſultis fecit, quòd ſemper hic ſtatus fiat poſtulatione rei quæ uidetur aut putatur nõdum lege definita: ſic ut definire, & tanquam nouum ius condere, & formam ad ſimilia negotia exhibere oporteat ex æquo & bono. ut, An octauo menſe infans editus, & ſtatim mortuus, ius trium liberorum ſuppleuit: cum abortio, non partus, menſis octaui intempeſtiuitas uideatur. Sed cum ſit frequens in foro diſputatio hęc particula iuris, nec ulla ſit actio quæ non in aliquam huius formam incidat

Iniectio negotialis ſtatus.

Rogationis & edicti exemplum.

Quantitatis iniectio, cum exemplo.

Particulæ iuris explicatio.

cidat aliquando, expediamus eius ſpecies oportet:ut aliqua forenſium cauſarum diſtributio à nobis detur,in quam diſtinctè ac dilucidè omnes actiones,quarum eſt infinitus propè numerus,referantur.& quidem ſi ad iudicum differentias reſpiciamus, quorum alij dicuntur habere merum imperium, hoc eſt capitis & fortunarum, qui legum trãſgreſſoribus & obſeruatoribus pœnam & prẹmium conſtituunt.alij mixtum,ut prætorum ius ferè omne:alij iuriſdictionem tantùm, qui controuerſias uel ipſi diſceptant, uel alijs diſceptandas tradunt:ex iudicum differentijs tres reperies particulæ iuris formas. Nam qui iuriſdictionẽ tantùm habent, ij rem ferè aliam non tractant quàm pecuniariam: Quare prima eſt res pecuniaria: ſic dicta, quòd in ea iudicibus ſtatuendum eſt de quantitate pecuniæ.Depoſuit apud amicũ certam frumenti menſuram,precio quo emerat ſignificato: uendit interea amicus duplo maiori precio, & offert amico poſtea reuerſo ſimplum:petit ille duplũ. In eandem incidunt quæſtiones de mercede operarum,& contractuum uenditionis,locationis,& ſimilium. Altera ſpecies particulę iuris ponitur,& dicitur ius in poſterum: quoties ex eo iudicio nouum ius oritur,quo in poſterum & actor & reus uti debeant.Lex:Orba proximo nubat:aut ſi recuſet,proximus det decem milia:duę ſimul eundem cupiunt:utriꝗ contradicitur. ſtatuendumꝗ ius eſt, uni'ne an omnibus teneatur? Hac diſputatione comprehenduntur illę cauſę, quibus de exceptionibus & ſtipulationibus prætorijs interponendis agetur,ut ſuum ius cuiꝗ reddi ac conſeruari queat.ut primò de bonorum poſſeſsione,tam de noui operis nunciatione,de aquæ pluuia arcẽda,de damni infecti cautione: deniꝗ de adoptionib.emancipationibus,tutelis,reſtitutionibus in integrum,& ſimilibus,quæ dicuntur mixti imperij. Tertia ſpecies quærit de modo pœnę atque præmij.Duæ extabant leges:una,Qui cauſam mortis dederit, moriatur. Secunda, Raptor det raptæ decem millia. Rapuitꝗ aliquis uirginem,ducẽ patris cęci:qua rapta,pater præcipitio interijt. offert ille decẽ millia. Quęritur,quæ pœna debetur.nõ enim uidẽt ſatis,ut pecuniam det: nec contrà ęquum, ut cum morte etiam decem millia debeat.ſtatuet hic non alius, quàm qui merum habuerit imperium.Item,amicos non habet, & abdicatur: appellat iudicem de iniqua ultione. Item, ruſticus magnę fortitudinis facinus oſtendit,& poſtulat prẹmium,ne poſthac colantur uineę: contradicunt uinitores.itaꝗ in particula iuris ſtatuendum eſt aliquid, abſꝗ ullo prẹſcripto exemplo, aut certè ignoto, quod poſtea tenendum ſit, atꝗ imitandum. Differt autem particula iuris à quantitate:quòd hæc ius quærit ſummum,& ἀκριβίστερον (ex demõſtrata enim quantitate legalem ſyllogiſmum infert) ſed in particula iuris ferè ἁπλῶς

Res pecuniaria.

Ius in poſterum.

Modus pœnæ.

Iuris particula à quantitate differt.

& ex æquo & bono diſceptatur. item quantitatis quæſtio rem examinat. eſt enim quantitas rei circunſtantia: alia uerò ius. nam quid iuris & æquitatis ſit in negotio, non quale ſit aut quantum, probari cupit iudex. Ergo de quarto ſtatu dicendum ſupereſt, quem ueteres cauſam mortis uoluntarię ex facto nominarunt. hoc diſputatur de æquitate cauſæ, qua crimen defendimus tanquam neceſſarium aut iuſtum. Huic exercitationi nomē dedit illa lex, quæ iubebat abijci inſepultum eum qui ſibi mortem conſciuiſſet, niſi prius reddita cauſa mortis in ſenatu. ut eunuchus quidã, quia amaret, ſe uolebat interficere: & diſputat, an æquum ſit propterea ſeſe occidere. Item, reſponſum accepit quidam, ſe fore parricidam: ut tantum ſcelus uitaret, ſe ipſum uult occidere, & ſuæ necis cauſam tuetur. Atque hæc quidem ſunt in parte negotiali, quæ abſolutè, hoc eſt ſine comparatione fiunt. Reliquum eſt, ut comparata doceamus.

Status de cauſa mortis uoluntariæ.

Comparatæ negotialium conſtitutionum. Cap. 25.

PRIMA autem in uſu comparatarum conſtitutionum eſt diuinatio, cum ſcilicet de accuſatore idoneo diſceptatio eſt: qualis prima illa Ciceronis cōtra Verrem. Cauſam huius nominis nonnulli putant, quòd iudices abſq; teſtibus aut tabulis, ex ſolis argumētis ueluti diuinēt. Alij item, quòd iniurati ſedeant. ſunt quibus ex incertitudine optionis & utilitatis ſic dicta uideatur. Siquidem accuſatores alij quadruplatores, & alij ſectores dicebantur: quorum illi ex delatione publici criminis quartam partem, hi dimidiam conſequebantur. Sed de hac diſputatione uiderit Gellius, quàm acutè iudicet. Gręci uocãt ἐισαγγελὶω κρίσεως. Exemplum eſt: Timarchus accuſat Æſchinem malæ legationis: Æſchines cōtrà, Timarchum adulterij: Ariſtogiton utrumq; uult accuſare: contradicunt illi. quęritùr, quis ad accuſandum præſeretur. Quare de uocabulo non eſt diſputãdum. Nam quod magis ad rem pertinet, non puto ſeiungendum hoc genus à comparatione qualitatum: niſi fortaſſe quòd cum in iudicijs ſępiſsimè inueniatur, & frequenter iudicibus olim negotium ea quæſtio exhiberet, Cœlius'ne an Cicero accuſare debet, iudicium penes Ædilem ſit an penes Tribunum: ea cauſa proprium nomen habere meruit in arte, non ob aliud. Cæterùm qualitatum comparatio, collatio quædã erit perſonarum inter ſe. Qui præſtantior fuerit in rempub. honorem poſtulato: contendunt medicus & orator. Quantitatum uerò comparatione non perſonæ, ſed res comparantur, & facta ipſa. ut, Maius eſt abigeum quàm furtum: quia hic unum ſurripitur, illic plura: item plagium quàm abigeum, quia in perſonam grauius eſt crimen quàm in pecus. Qui plus reipublicę cōmodauerit, honorem poſtulato: unus liberauit urbem obſidione, alter expugnauit urbem hoſtium: quæri-

Diuinatio cur prima in Verrem oratio dicta.

Quadruplatores & ſectores qui.

Comparatio qualitatum et quantitatum.

quæritur, utrum iſtorum maius. Idem cernitur in quantitate numeri, ut, ſeptem iudices ſedeant, & eorũ ſententia probetur quam plures dixerint: tres damnant morte, duo exilio, reliqui duo abſoluũt: utrorum potior ſententia? trium'ne qui morti adiudicant, an quatuor qui non iudicant? Ex his autem generibus duobus duarum qualitatum comparatio emanat.

Comparatio rerum et perſonarum.

componuntur enim & comparantur tam res quàm perſonæ ſimul. ut, petunt eundem magiſtratũ miles & agricola, quia uterque profuiſſe ſe reip. ait. hic & facta ipſa & perſonæ opponentur ſibi.

Pragmatici ſtatus formæ etiam in naturales quæſtiones incidunt.

Hæ igitur formæ ſint definitionesq́ generis pragmatici: quas ſi exemplis nos illuſtrauimus, deſumptis è foro, & negotijs ciuilibus: non ideo tamen putandum eſt, non poſſe in alias quoq́ materias quæſtionesq́ naturales incidere. Nam nihil prohibet, quin plurima eiuſdem rationis fiant, in medicina præſertim & aſtrologia, arithmetica, in re militari. ſunt enim abſq́ circũſtantia perſonæ enunciationes theoricæ, quæ hic conſiſtunt in aliquo iam dictorum ſtatuum negotialium: non item in legalibus aut rationalibus, niſi fortè generaliter.

Cur prius omnia definierit, quàm methodum tractandi præſcripſerit.

Atq́ hic finis ſit omnium locorum, quos nobis antè definiendos duximus, quàm ad methodũ tractandorum accederemus. nam iuxtà poſitis inter ſe differentijs, quibus debet cuiuſq́ forma cognoſci, etſi non ſtatim doceas quomodo corroboretur, tamen naturę iudicio pręſentiaq́ animi cõſectari argumenta poterit utcunq́ uir ingenioſus, & ad ſcopum dirigere, quẽ probè norit.

Definitionũ utilitas & tempus.

Abſq́ definitione autem & familiarib. exemplis, quia quid id ſit de quo præcipitur ignoret, temerè & ueluti ſine ſcopo iaculabitur, ignarus quò pes ferat, aut quò dirigit arcũ. Deinde quid ego ab Hermogene, quem imitatus ſum, aut à Cicerone recederem? Hi ſtatus antè definiunt, quàm tractant.

Apta ſimilitudo.

Qui agrum ſuſcipit arandum, aut repaſtinandum, uel fodiendũ, non antè paciſcitur de mercede, imò ne colere quidẽ ullo modo aggreditur, quàm quis ille ſit, & quibus terminis finiatur, intelligat. Quærit ergo primùm, ubi ſitus eſt ager: quæ ſoli natura: quot iugera cõtineat: quouſque protendatur, quem uicinum habeat, quibus ſignis denique fines limitesq́ cognoſcat, cum ad eos peruenerit. Quid ergo? non ſumit ille aratrum, niſi prius oculo, quaſi circino quodam, totum agrum deſcripſerit, & ad uicinos confinesq́ reſpexerit, quibus ille continetur. Et nos tractare quæſtionem incipiemus, non cognitis quæſtionum finibus ac formis, & quibus quæq́ coniungatur indictis? At, inquies, poterunt uno negotio hæc fieri. Sanè poterit & agricola ſimul & illa omnia quæ rogat, uidere, cum ad rem præſentem uenerit: ſed non ſatis eſt.

Alia ſimilitudo è re militari.

Si Darius aut Xerxes, antequã exercitus illos numeroſiſsimos ex Aſia deduxiſſent, quibus cum ſibi pugnandum erat, & ubi (illi quidem in Græcia, huic in mari & Salami-

ne)prius cognouiſſent: nec tam in multitudine militum uictoriam eſſe,quàm in expeditione reiq́ gerendę dexteritate putaſſent (quã, præter cætera,ſolum, cœlumq́ obſeruare hoſtiũ certum eſt) nunquam certè argumentum illud hiſtoriæ celebratiſsimum poſteris reliquiſſent,quod ad noſtra uſq́ tempora obſeruatum eſt, & in poſterum obſeruabitur. Sed cum Darius quidem Marathonẽ, quem nunquam uidiſſet,obſederit: Xerxes autem & freta & montes tanquam humana mente prædita minis terrere, & uerberibus tanquã pecudes agere uoluerit:an non illius imperitia cæteros erudiet? huius autem ſtultitia nos omnes admonebit,& proprio exemplo docebit, hoc ſtultum à ſapiente diſtare, & rabulam ac blateronem à diſerto,quòd illi prius de argumentis quàm de quæſtione ſatagũt, & loqui prius quàm cogitare incipiunt:quodq́ quondam ille,exercitum prius educunt, quàm contra quem aut ubi conſiſtendum ſit probè nouerint.Cui uerò natura iudiciũ tribuit, huius ſermo quidem primum rarus eſt,deinde conſideratus: tum pro cauſa, uel ardens,uel remiſſus, uel temperatus. ut enim ſani hominis non erat mare flagris cædere, nec bene conſiderati montem Atho perſodere,maximeq́ temerarium infinitam illam multitudinem per maria & montes inſuperabilesq́ ſoli anguſtias deducere:quaſi ſtatim traiecto mari, ſua quiſque paſcua ritu coturnicum inuenturus eſſet in Græcia: ita imperiti eſt omnino, aliena ab ſtatu aſſumere,non conſiſtentem quæſtionem tanquam ſi ea conſiſteret uexare, aut in conſiſtentem omnia inducere,atq́ inducẽda putare.Sapientis uerò atque periti, loco & tẽpori & cauſæ ſeruire, pro uſu atq́ neceſsitate.

Stulto ſapiens, & rabula, diſertus, quid interſit.

Statuum enumeratio, & genera cauſarum. Cap. 36.

ERGO ut in ſummam colligamus omnia genera conſtitutionum, quæſtio omnis uel in cauſarum conflictu ſiſtitur,uel in iudicationis diſceptatione.Si in cauſarum conflictu(ſumpto à iudicijs uocabulo,quoniam Ius perſonę in his dicitur)Græcè *δικαιολογική*, Latinè Iuridicialis appellata eſt: ſi in Iudicationis diſceptatione, negotialis. Non enim finis iam eſt proximus, ius reddere, ſed de iure quaſi rei definire: quod munus eorum eſſe ſolet,qui de iure reſpondent. Et iuridicialis quidem, aliæ cauſæ rationales dici poſſunt,aliæ legales.Rationales,quę ex rei circumſtantia promuntur:ut facti,nominis,qualitatis,aut actionis forma, ut commutatio. Legales autem, ex lege aliqua,uel dicto: ut ſunt contrariæ leges,ambiguitas,ſyllogiſmus,& omnis de dicto & ſententia controuerſia.His enim omnibus cauſis ita confligitur, ut tanquam uno perſequente,alter diſceptãtium fugiat,& iudicis ſententiam expectet,qua ſoluatur crimine,uel condemnetur. Non ita tamen accipiendum id eſt, quaſi non niſi in iudicijs iſtæ cauſæ reperiantur;

Status iuridicialis unde dicatur.

riantur: ſed quia plurimùm reperiantur in iudicijs, & ex his cætera genera cognoſci ſoleant. Sunt enim genera cauſarum tria, Iudiciale, demonſtratiuum, & deliberatiuum. In iudicijs omnes cauſæ in contentione & depulſione conſiſtunt, & finem aſpiciunt, æquitatem: in conſilijs ſuaſione & diſſuaſione, & caput finale tractatur utile: exornationibus finis eſt uoluptas, quam etiam ipſa uituperatio ſæpe affert: & in omnibus (etiam extra iudicia) diſputatur, tam ex coniectura, quàm finitione, quam alijs rationalibus & legalibus cauſis. Et ſanè, ut plura ſint quàm tria genera, temporum differentia prohibet. nam de præterito, iudicium eſt: de futuro, deliberatio: de præſenti, laus aut uituperium. Et quanquam aliter diuiſæ cauſæ, genera alia alij efficiant & tradant (ut honeſtum, turpe, obſcurum, & alia) tamen tria hæc quæ dedimus, propterea quod finem certum ilico oſtendunt, quò omnis oratio referenda ſit, & methodũ quæque ſuam retinent, qua tractari debeant: ideo ſtudioſiſsimè fuerunt ſemper diſtincta ab oratoribus, & definita nominibus. Ergo in genere iudiciali uerſatur cauſa Cecinnæ, contra Verrem, pro Milone, & ſimiles, coram iudicibus habitæ: in demonſtratiuo, pro lege Manilia, & contra Saluſtium illa cuiuſcunque autoris, quæ uituperationem uel laudationem continent: in deliberatiuo, pro lege Agraria, & ſimiles multæ apud populum. Nec tamen ulla eſt eius oratoris, in qua non tria genera inueniantur: nam ubique laudat, et conſulit, & diſceptat, non ſolum ipſe Cicero, ſed cæteri omnes Oratores. Eamque ob cauſam, quòd permixta ubique occurrant hæc genera, nõ mirum, ſi fuit inter præceptores nonnulla de numero eorum controuerſia: quod & in ſtatus negotialis diſtinctione quoque contingit. Nam nõ cauſa ſolum in illis omnibus probatur, & per rationales & legitimas quæſtiones deducitur, ſed & iudicatio: quod eſt pragmatici officium. Eſt ergo negotialis conſtitutio, cum de negocio in ſe diſceptatur, remoto perſonarum complexu. Nec eſt idem quod theſis, etſi dicatur Tullio cauſa hypotheſis, & à propoſito circumſtantia perſonæ auferatur. Nam theſis & hypotheſis relatiuè dicuntur: & poteſt quæſtio reſpectu unius eſſe hypotheſis, et alterius theſis: et hypotheſis, nõ ſemper cauſa eſſe. Sed negotialis conſtitutio nullo reſpectu, ſolius perſonæ circunſtantia ſeparatur à iuridiciali. Vnde iuriſdictio poteſtatem complectitur: quam non ſemper poteſt iudex alteri delegare, etſi poſsit diſceptationem, & quam uocant cognitionem: quoniam illa in perſonam eſt, hæc de re ipſa philoſophatur. Ergo ut de cauſa iudex diſceptat, ita de negocio diſceptator iudicat. Ideoque Ciceroni non immeritò uiſum eſt præeſſe huic diligentiæ iureconſultos. Nec minus uerè Hermogenes ad futurum tempus retulit, etſi non ſemper de futuro conſultet: quoniam ad iudicia is, & popu-

Cauſarũ genera tria, earumq́ fines.

Orationes aliquot Ciceronis ad cauſarum genera accommodatæ.

Cauſarum genera miſcentur.

Negotialis conſtitutio.

Theſis et hypotheſis relatiuè dictæ.

Ciceronis et Hermogenis opinio explicatur.

&populárem ſolum dictionem reſpiciens,omnem diſceptationem hanc alicuius rei gerendæ uel adminiſtrandæ cauſa ſuſcipi cogitabat.Nam qui pro legibus uel contra leges diſputat, is ſtandum legi,utrum ſit an non,quęrit:& qui pro teſtamento,uel contra.Pragmaticus enim de iure reſpondet,non de facto, ut dicitur: atq; ideo ſemper hypotheticôs,ſi ita eſt. Siquidem illi quatuor ſtatus,cum in controuerſia rei uerſantur(an ſit,à quo differat,qualis ſit, & cur ita ſit)pragmaticus tamen iiſdem in re poſitis,argumentis colligere ſolet,quid iuris ſit.Poſſunt etenim notiora illa eſſe interdum litigatori, quàm aduocato: quem illi credere tanquam uera narranti oportet,aut res diſtinguenti,aut legem ſuæ gentis uel municipij allegan ti,aut quacunq; alia cauſa excipienti. Quare & leges ipſæ, & pronũciata,non raró ueniunt in controuerſiam.Quid enim quærunt oratores cum in foro ſæpe litigant,an uelit lex uel teſtamentum,an aliter dicat quàm alia,an ambigua ſit,an aliqua cauſa idem dici queat, aut diuerſum? Nihil certè ut inde fiat, aut deliberetur. Verùm his conſtitutis,iureconſultus de negotio reſpondet,quid iuxta ſcriptũ agi,uel non agi ac decerni oporteat. Itaq; ſtatus illi dici debuerunt: hi conſultationes.quoniam pragmatici cura omnis & labor in conſilijs quodammodo inſumitur, & deliberationibus: atq; adcò ſententijs ijs quæ dicũtur de eo quod fieri oportet. Qui cum omnia argumentis,non ſignis cõfirmet,pleriq; ſuas huiuſce generis quęſtiones appellarũt ὑλικὰ. Exempla ſi lubet, præter ea quæ ſuprà dedimus,etiã hęc ſumes.Ex iniectione qualitatis: An diuidẽda ſit actio, uno ex reis in obligationem non ſubſcribẽte. Ex iure in poſterum: An detur reſtitutio in integrum ad retractum.Ex quantitate numeri: In tabulis ſponſaliũ ſcriptum eſt, uir ſuperſtes, uxoris hæredib. reddet decies centum milia:uxor poſtea facto codicillo,legat fratri ſexcenta, cum lege municipali hæres non minus quàm ex beſſe ſit: quæritur,an teneatur uir hæres ſexcenta reddere. Hic enim nõ tam de uoluntate teſtatricis quęritur,quàm de qualitate rei:ut uoluntas illius emendetur,& ad rei æquitatem reducatur ex alijs legibus. Item illud ex re pecuniaria: In uenditione addita uerba hæc, QVO PLVRIS DONASSE,an preciũ quomodocunq; ęquet? an ad modicam ſummam referri debeat? Atq; hæc quidem exempla, & ſimilia innumera ex medio foro accepta, genus omne quæſtionum negotialium non adeò arctant,& in anguſtias forenſis dictionis compellunt,quin alibi etiam appareant,& ab alijs quàm à iureconſultis tractentur.Nam omiſsis (quorum conſilijs plena ſunt omnia) theologis, & medicis, & agricolis, & rei militaris præceptoribus: an non hypotheticôs definit Geometra,& conſilium dat,cum tertiam inuenire docet proportionalem,quę commenſuretur,uel non commenſu-

Pragmaticus ſemper reſpõdet hypotheticôs in cauſis: & argumẽtis, non ſignis docet.

Exempla pragmatici generis.

Negotiales quæſtiones etiã extra forum, ſed pro politicis tantum accipiũtur controuerſijs.

menſuretur? tanquam ſi iuſtum uel iniquũ aliquid illis duabus poſitis ſequatur? Veruntamen quia negotij uocabulum, rei gerendæ eſt, non cuiuſcunq;, ſed tantum hominis politici: ideo commodius ex uſu loquendi & recepto more, Theſes ſeparabimus in Ciuiles & Naturales, quemadmodũ ſuprà Quæſtionem in uniuerſum. Et ciuiles quidem, quia negotia ipſa altius perpendunt (ut, An ducenda ſit uxor: quo tempore gerendum bellum, quibuſcũ, pro quibus cauſis) philoſophorũ eſſe dixerunt quidam, non ſecus ac naturales. & talia tractãtes iureconſulti, & legum latores (teſte Dione) inter philoſophos recenſebantur, non inter oratores. Eas uerò in quibus certa perſona ſubſiſtit (ut, an Alexander debeat tranſire in Aſiam) nos in iuridicialium genere collocauimus. nec id quidem iniuria. Nam cum ciuiles omnes de officio diſputent: quæ certam perſonam gerit, illa tanquam ius dicere perſonę nititur, & officium aliquo modo ei præſcribere. Idcirco omnes huiuſmodi quęſtiones (ciuiles inquã, & cauſas) ubi perſona iuncta cum negotio, cernitur, ab ipſo actore ſumentes rationem, rhetoricas appellabant: ut illas generales & propoſita à diſceptatore, philoſophicas. Quoties enim altior de officio difficultas eſt, non ad rethores, ſed ad philoſophos defertur: qui leges condere, & rempub. conſtituere, de æquo & bono definire abſque perſonarũ reſpectu, ſolius ueritatis ſtudio didicere. Nec me diuiſio illa Ciceronis mouet, qui iureconſultos à pragmaticis & oratoribus ſeparauit: & pragmaticos ab utriſque. Nam eo tempore inferior hominum conditio, qui nunc à mandato quod habent Procuratores uocantur, nomen ſibi pragmatici uſurparunt: propterea quòd per ſubſellia iudicũ uerſantes, ne quid peccaretur circa ordinem iudiciorum procurabant: & munus atq; officium pragmatici iureconſultis reliquerunt, uocabulo ſplendidiori inuento a Romanis. Itaque nunc iurecõſulti uocantur, qui olim apud Græcos pragmatici: quiq; olim erant oratores, nunc multis in locis dicuntur pragmatici. Fallitur ergo Quintilianus, cum oratorum putat ſtudium cum philoſophis commune eſſe: ſeruorum ſcilicet, & dominorum, eandem operam. Illi foro ſeruiunt, & ſuis dominis: hi præcepta dant hominibus, & conſilia ſcribunt reipublicæ ſalutifera. Et rhetores ferè inuenias populo fuiſſe inuiſos, & pleroſq; malè periſſe: quod ſuis hi ſemper ſtudijs, & ſuorum, quanto magis inſeruirent, tanto plus uirium & ponderis adhibentes actionibus, uel quod rectum erat peruerterent, & ab officio deſciſcerẽt: uel in aliorũ perniciẽ & odium dicendi artificiũ omne tanquam telum, ut quidã ait, conuertentes, non tam quod ratio dictaret, quàm quid ultio requireret, excogitarent. Et ſanè niſi caueat ſibi orator à duabus illis (ultione, & cupiditate ſeu ambitione) præſtiterit nullũ à nobis

Pragmatici philoſo; hi ſunt, & cauſarũ actores rhetores appellandi.

Periculoſum ſtudiũ oratorum.

à nobis accepiſſe præceptum, aut artem orationis. Nam ut uinum ſalubre eſt ſano corpori, ſic pernicioſum febricitanti: & ijs qui uenenum hauſerunt, ueneni perniciem accelerat & adauget. Ergo quęſtiones politicas, ſiue de officio, ita ſeparabimus, ut quę certam perſonam habent (quas & rhetoricas appellarãt) nos iuridiciales: alias, quas philoſophicas, nos pragmaticas definiemus. Et iuſtum'ne ſit quærunt, uel iniuſtum, utile uel inutile, facile uel ſecus, uerum denique uel falſum: & naturam rei ſemper conſiderant atq; eius accidentia, uel legem, aut quæ legis retinent ſimilitudinẽ. Etenim cum multæ res ſint natura ſua bonæ, & aliæ malæ: non pauciores tamen inuenias ex prohibitione damnatas, aut ex præcepto neceſſarias. Et in utranq; partem ſe negotiorum diſceptator exercet.

Negotialis ſtatus materia. Eſt itaque negotialis diſputatio, uel de teſtimonij alicuius ui & autoritate, uel de rei qualitate: & in utramq; partem argumẽta mouet, qua de cauſa loci cõmunes appellantur. nam pro quæſtionibus, & contra quęſtiones, multa in utramq; partem dici poſſunt: ut & pro teſtibus, & contra teſtes: pro iureiurando, & contra iuſiurandum: pro tabulis, & contra tabulas.

Teſtimoniorum partes. Teſtimonia ſunt, leges, tabulæ, ſententia, chria, fabula, rumor, teſtes, quæſtiones, id eſt tormenta, iuſiurandum, præiudicium, oracula, auguria, & ſimilia his quæ ſuprà in capitibus primis poſui.

Rei qualitas duplex, comparata et abſoluta. Rei autem qualitas uel abſolutè tractatur, uel comparatè. Abſolutè, iniectio qualitatum, quantitas rei & numeri, particula iuris, cauſæ mortis uoluntariæ: & in particula iuris, res pecuniaria, modus pœnæ, ius in poſterum. Comparatione diſputatur diuinatio, qualitatum comparatio & quantitatum, & duarum qualitatum. Nam in diuinatione, actionis cauſæ comparantur: in qualitatum comparatione, perſonæ: in quantitatũ, facta: in reliqua, utrumque, & perſonæ & facta. Hæc quidem ſunt genera quęſtionum conſiſtentium. Non conſiſtentium uerò ſumuntur hac ratione: quòd aliæ intentione careant, alia depulſione, alia æqualem habeant intentioni depulſionem. Depulſionem non habent ſententiæ per ſe notæ, poſitæq; in communi ſenſu: defenſio ſine colore, uel nulla defenſio.

Inconſiſtentium quæſtionum genera. Intentione autem dicuntur carere, quæ uel nullam habent omnino, ut impoſsibilia & contra hiſtoriam: uel quæ impudentem habent, uel quæ imperfectam. Aequales ſunt omnino quædam, aliæ inſolubiles, aliæ pręterea conuertibiles. Hæ ἀντιςρέφουσαι, proximæ ἄποροι: illæ, ἰσάζουσαι δ'ὅλως. Et de quæſtionibus quidem hactenus, quantum inſtituto ſufficere poteſt. Superſunt itaq;, alloquutio, & reliqui mores, ut finem huic primo libro imponamus. nam orationis materia facta ſunt, quæſtio & mores. de quęſtione autem dictum eſt hactenus.

De moribus & ſpeciebus allocutionis. Cap. 37.

OMNIS autem oratio (quod ſuprà diximus ab Ariſtotele) cum uel ad cauſam demonſtrandam adhibeatur, uel ad mouendum auditorem, uel ad mores oratoris commendandos: & ad cauſam quidem demonſtrandam omnia ſpectent, quæ hactenus definita ſunt, atq; deſumpta ex Dialectica: reliquum eſt, ut de moribus non pauciora ſimili ratione inquiramus. ex moribus enim & rationibus tertium illud quoq; conſequimur, quo auditorem moueri atq; affici quodam modo contingit. Nam ſi ad perſuadendum uerisimilia dicere oportet: ſintq; hæc non alia, quàm quæ multitudini ita uidentur (hoc eſt, ueri ſimilitudinem præferentia) duo hinc ſequi neceſſe eſt: unum quidem, ut qui perſuadere alijs nititur, is uerum & falſum quid ſit calleat, & à ſe inuicem ſecernere queat, ne ſimilitudine etiam ipſe fallatur. atq; hoc quidem Dialectici eſt, qui rerum differentias ſolus intuetur, & ſpecies multas poteſt in unam colligere, ſicut unam in multas ſeparare. Alterum uerò (quia non omnibus omnia fiunt uerisimilia, propter ſtudiorum diſsimilitudinem & uoluntates hominum contrarias) ut cognoſcat ingenia auditorum, & propenſiones, & quaſi in numerato habeat: ut poſsit diuinare ac præſentire, quibus orationib. aut uerbis quiq; fidem habeant, & à quibus quique abhorreant, non ſolum quibus quenq; deceat pro affectu etiam uti. Et meritò quidem reprehenduntur à Platone Thraſymachus, & quicunq; prius de arte ſcribere inducti ſunt, quàm de animorum differentijs atq; affectibus tractarent. Pericles autem Anaxagoræ diſcipulus, ad rerum naturæ contemplationem altius conuertens animum, & mentis atq; dementiæ, de quibus ille diſſerebat, rationes conſiderans, præſtantiſsimus in repub. atq; oratione extitiſſe uiſus eſt. Nam pro uſu atque neceſsitate rei, ſicut medici corporibus purgationes atque alimenta præſcribunt: ſic ille perſuaſionem & uirtutes propinabat, per ſermonem & legitimas inſtitutiones. Ergo partienda eſt, atque in ſuas ueluti partes diſſecanda animæ uis uniuerſa, ut partes eius cognoſcamus, ſicut illi corporis. Has partes trito uocabulo Mores nuncupant. Sed quia tantùm hoc loco inuentionis ſemitas inueſtigamus, per quas ad eas peruenitur, quæ uel ad docendum uel ad mouendum quomodocunq; faciunt: omiſſa nunc altiori contemplatione uirtutum & uitiorum atq; diſciplinarũ, quæ adiuncta his ſolent in morali philoſophia pertractari ex profeſſo: quod nunc uſui eſſe poteſt, perſonæ circũſtantias atq; ſtudia, quę proximè poſt argumenta fidem faciũt & mouent, ita perſcrutabimur, ut hinc poſtea aperiantur fontes illi, pateantq;, unde fieri omnis animi ſignificatio queat, tam quæ in nobis eſt, quàm in alijs. Sæpe enim orator

Neceſſaria eſt tractatio de moribus.

Veriſimilia quæ.

depoſita narrantis perſona, aliam induit: ueluti ſupplicem, imperioſam, uanam, inuidam, beneuolam, aut aliter affectam. Ea ratione poſtulamus, cohortamur, conſolamur, obiurgamus, imprecamur, deprecamur, admiramur, miſeremur, irridemus, minamur, gratulamur, cõcedimus, exprobramus, indignamur, optamus, exultamus, conquerimur, lamentamur, inuocamus, iuramus: dubitamus denique, aut interrogamus, atque exclamamus. In his ſiti ſunt affectus tam illi uehementiores, quos Greci appellant παθη: quàm leniores, & tanquam mores, quos Græci ἤθη. Vbi enim maioris alicuius & recentis motus animi eſt ſignificatio, ut à proprio more loquendi, is qui loquitur, declinet: ibi maior ponitur affectus, & perturbata fit oratio. ueluti in pręſenti mœrore, ſubita lætitia, repentino odio, cupiditate, terrore. Mouet etiam abſq; hac proſopopœia, ampla & euidens rei expoſitio, cùm atrocis, tum nimium delicatę. huius ſunt multa Apuleij exempla: illius hæc,

Affectæ & moratæ orationis fontes ac ſpecies.

Affectuum genera duo.

Euidentia ſiue demonſtratio.

Impoſitiq; rogis iuuenes ante ora parentum:
Truncas inhoneſto uulnere nares.

Sed ipſa diatypoſis quædam eſt figura proſopopœiæ. Reliquæ igitur orationes ſic animatæ, quæ noſtra uel aliorum ſtudia ingeniumq; ſine uehementi perturbatione indicant, mores tantùm habebunt. ut quæ mitem, quę ſupplicem, quæ arrogantem, quę bonum, quæ ruſticum, auarum, timidum, incõſtantem: ſiue id oratio noſtra de nobis indicet, ſiue de alijs. Leuiores quoque ſunt illæ ſignificationes uoluntatis & ſententiæ, per uerba, quibus dixiſſe nos affirmamus, aut uoluiſſe, aut putaſſe. Docent enim cum ad perſonam noſtram hæc uerba referuntur, animi ambigentis incertiq; habitum: & cum incertitudine pronunciantur. Dicantur, ſi lubet, ὠθηκείωσις & λογισμοί, id eſt adiudicationes & conſiderationes. his rationibus quis motus, conſilium agendi uel non agendi capit. Erunt itaq; tam morum quàm paſſionum duo genera: alterum in ſola expoſitione, & quaſi relatione eius habitus, ſenſusq; animi, qui uel in nobis eſt, uel in alijs: alterum, in orationis contentione, nempe quæ ex perturbatione, alio'ue ſenſu uehementi, aut alioqui inſito atque innato effertur, & tanquam erumpit, cum interiectione aliqua & efficticio uerbo, ſæpe ſola pronunciatione manifeſtatur. hæc dicitur ἐκφορὰ, id eſt elatio, ſeu allocutio. Prioris duæ ſunt formę. Nam aut relatione (ut dixi) fit, & quaſi teſtimonio dicentis: aut ſubiectione, ſiue notatione. Subijcimus autem nõ ſolum perſonas moratas, ut patrem, regem, agricolã, militem: ſed rebus etiam omnino mutis, quæ propria perſonarum ſunt, aliquando damus. Deſcribimus enim tempora, & loca, & uirtutes: & quaſi perſonam aliquam ponimus ob oculos, quæ figura eſt proſopopœiæ. Sed referimus aut dolorẽ, miſericor-

Morata oratio quæ.

Morum & paſſionũ genera duo.

Exponẽdorum morũ duæ formæ.

Subiectio.

Deſcriptio.

Relatio.

ſericordiam,ſpem,metum,gaudium,cupiditatem,&omnem animi
motum(ut,Hei miſer perij,ſic animus metu & amore ſimul diſtine
tur:quod Pathos dicitur)aut ſententiam & opinionem: quæ ſi no- *Pathos.*
ſtra eſt,propriè dicitur ἐπίκρισις,id eſt adiudicatio.ut,Ita exiſtima- *ἐπίκρισις.*
bam fore:ſi alterius,ἐπικύρωσις.ut,Ita uiſum eſt ſenatui, Nos abijſſe *ἐπικύρω-*
rati. Hæc dicti ſermonis ſemper eſt confirmatio. Porrò autem ſi *σις.*
in exemplo ſuperiori dictum tãtummodo fuiſſet, Animus metu &
amore ſimul diſtinctur: mores quidem apparuiſſent, ſed non tanta
perturbatio,quanta in exclamatione ſita eſt,Hei mihi.Si uerò excla
mationē cum amoris ac metus relatione iunxiſſet, duplici quidem
uſus eſſet loco.Sed cum appoſuerit etiam perſonæ qualitatem, Mi
ſer:iam tribus ex locis ducta eſt conqueſtio. Non minus enim mo-
res ex huiuſmodi appoſitis inſinuantur, q̃ ex relatione illa Perij:
&,Animus metu &amore diſtinctur.aut exclamatione illa,Hei:ſed
tamen occultius. Quapropter ut in ſua quæq; capita diſtinguãtur,
omnes illas relationes denũciationesq́; ſentẽtię ac motus animi,qui
poſſet alioqui natura latëre (ſiue id de nobis ipſis pronunciemus,
ut,Obſtupui:ſiue de alijs,ut *Labitur infelix ſtudiorum & immemor herbæ*
Victor equus)uno uocabulo definiamus Græcè χαρακτηρισμόν:hoc eſt,
deſignationem. Dicitur quibuſdam ὑπόκρισις, id eſt ſimulatio : ſed
priore nos utemur. In deſignatione igitur paſsiones & adiudicatio *Deſignatio*
nes reponuntor:ut, *nis partes.*
At uerò Aeneas aſpectu obmutuit amens, *Dubiæ affir*
Arrectæq́; horrore comæ, & uox faucibus hæſit, *mationes et*
Ardet abire fuga,dulceſq́; relinquere terras, *certæ.*
Attonitus tanto monitu,imperioq́; Deorum.
Atq; animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc,
In parteſq́; rapit uarias,perq́; omnia uerſat.
Hæc alternanti,potior ſententia uiſa eſt.

Cæterùm adiudicationes (hoc eſt ἐπικρίσεις) aliæ dubiè confir-
mant (quas Græci ἐνδοιαστικὰς ἐπικρίσεις uocare poſſunt, id eſt du-
bias confirmationes)ut, Mihi uidetur,Niſi me fallit opinio,& ſimi
les.Alię certæ,& corroborationes dici poſſunt,id eſt βεβαιώσεις:ut,
Iam dixi,ita eſt,& ego credo. Quæ ſi cauſa facti detur, λογισμὸς, id *λογισμός.*
eſt conſideratio dicetur:ut, Putans ſe non aliter euaſurum,Nos ab-
ījſſe rati, Admiratus formæ pulchritudinem. Si facti approbatio,
ἐπικύρωσις:ut,Ita ferunt,Ita ſenſit Pythagoras. Atq; hæc quidem
erit una ſpecies morum,Deſignatio:hoc eſt,relatio teſtimoniumq́;
ſenſus,& uoluntatis occultæ. Altera uerò nobis erit Notatio(Græ
cè ἠθολογία)qua perſonæ ad nexa,& qualitates apertę atq; notę de- *Ethologia.*
ſcribuntur(ut,
Aſt illum fidi æquales genua ægra trahentem,

aut bonum:uel contrà, nec uerum nec bonum. Sed Panegyris am- *Panegyrik.*
plificat,& in notatione multa argumenta quærit.Practica uerò,aut
agere aliquid,aut ab actione ceſſare decernit.Quæ quidem ſi utilita
te nititur, conſilium: ſi æquitate, cauſa, & Græcè δίκη appellatur.
Atq; hęc quidem diuiſio orationis tranquillę & ſermocinalis.Quę *Affectæ ora*
uerò affecta & allocutio,iuxta facultates hominis naturales ab alte- *tionis gene*
ra diſtinguetur. Hominis quidem à Platone tres factæ ſunt poten- *ra.* *Animi par*
tiæ,ſeu facultates:rationalis,concupiſcendi,& irę ſeu animi.Ab A- *tes.*
riſtotele duo hæc ſubtiliter & acutè in appetitum relata ſunt: do-
ctrinæ tamen cauſa multo erit nobis illa commodior diuiſio Plato-
nis,quòd ſit & notior. Itaq; ex rationali facultate is quidem ſermo *Rationalis*
producitur, quem Græci dicunt ἀποφαντικὸν λόγον. Eſtq́; illa ſola *facultates.*
affirmatio uel negtaio,quæ præſefert animi uel aſſenſum, uel diſſen
ſionem,uel addubitationem:uel certè admirationē,cum ſimplicior
eſſe deſinit addubitatio.His ſi addatur λογισμὸς, id eſt conſideratio
cauſę, qua factum ipſum continetur, quaq; prudenter uel ſecus fa-
ctum uideri poteſt: relinquetur in ſola rationali facultate epicriſis.
Iam ergo concupiſcentię partes duę ſunt,ut duorum ſunt generum *Concupiſcē*
ea quæ in appetitum cadunt:bonum ſcilicet futurū, & bonum prę- *tia partes.*
ſens.Ex pręſenti uoluptas gignitur,ex futuro deſideriū.Deſideran *Deſiderātur*
tur autem tria hæc,oratio,res,perſona. Qui igitur orationem alte- *tria.*
rius audire cupit,is interrogatione utitur:qui perſonam,inuocatio
ne,aut cōpellatione,aut exclamatione alia. Res autem ſi noſtra eſt,
optatur uotis,aut precibus poſtulatur:ſi alterius,cohortatione.Ea-
demq́; ratione ex uoluptate triplex oritur,ſiquidem ex noſtro com *Voluptatis*
modo exultamus, & gratias agimus: de alterius proſpero ſucceſſu *formæ tres.*
congratulamur. Hactenus quæ ab appetibili.Iam in iraſcibili nō *Iraſcibilis*
aliter inueſtigantur. Nam malum præſens dolore afficit, futurum *partes.*
metu. Si ſit ergo dolor ex alienis incommodis, commiſeratio ema-
nat,aut conſolatio: (maximè ſi acciderint inuito: alioqui enim non
tam commiſeratione,quàm obiurgatione erit opus)ex proprij ue-
rò ſenſu doloris aut cōquerimur,aut indignamur,aut cōminamur:
aut hæc ipſa ſimul una oratione miſcemus. Poſtremò autem qui
metuunt,ij proprium periculum,ne malum incurrant,aut auerſan-
tur, atq; deprecantur,aut permittunt: dehortantur autem ab alie-
no. Timor autem amittendæ rei quam diligimus,zelus eſt: & cum
inuidia temperatur. alienæ ſolicitudo dicitur. ex zelo fiunt expro-
brationes:à ſolicitudine,admonitiones, & dehortationes. Qui ni-
hil ſe uereri iactat nec autoritatem nec minas alicuius,is non ſolum
facto,ſed dicto etiam confidentiā & libertatem quandam oſtendit,
quę eſt παῤῥησία.& dicitur παῤῥησία uelut πᾶν ῥησία.eſt enim pronū *Parrheſia.*
ciatio earum rerum,qua offendi poſſunt ij quos uereri aut metuere

 debemus,

debemus. Et ſemper eſt αὐθάδης. idcirco mitiganda παραμυθία, quæ uel laudem habeat, uel querelam, uel cõmunicationem: niſi ſit quæ dicitur χαριτομυγίη, adulationis cauſa facta. Atque hæc quidem ratio mihi uiſa eſt ſufficere ad propoſiti demõſtrationem. Si quid forte deſideretur, id in alijs locis, in quibus eadem retractare oportebit, inuenies.

- *Vires hominis naturales*
  - *Rationalis*
    - *affirmatio, negatio.*
    - *dubitatio, admiratio.*
    - *conſideratio, adiudicatio.*
  - *Concupiſcibilis*
    - *Deſiderij*
      - *orationis, interrogatio.*
      - *perſonæ, inuocatio.*
      - *Rei*
        - *propriæ, uota & preces.*
        - *alienæ, cohortatio.*
    - *Voluptas*
      - *Rei propriæ*
        - *exultatio.*
        - *gratiarum actio.*
      - *Rei alienæ, congratulatio.*
  - *Iraſcibilis*
    - *Dolor*
      - *Propriæ*
        - *lamẽtatio.*
        - *indignatio.*
        - *querela.*
        - *imprecationes, diræ.*
      - *Alienæ*
        - *commiſeratio.*
        - *conſolatio.*
        - *obiurgatio.*
    - *Timor*
      - *Mali imminentis*
        - *Proprij*
          - *deprecatio.*
          - *auerſio.*
          - *permiſsio.*
          - *minæ.*
        - *Alieni, admonitio.*
      - *Sui boni amittendi, exprobratio: ut præ zelo alieni, dehortatio.*
      - *Diſsimulatus timor, eſt parrheſia.*

De moribus hominum rurſum, & notatione.

Cap. 38.

Repetitio triũ generũ quæ ſunt in moribus. SED demonſtratum hucuſque eſt, mores in tribus generibus conſiſtere: alios quidem in allocutione, quæ ad mouendum auditorem aſſumitur: alios in deſignatione, & partim quidem dicentis mores commendat, partim alienos. Tertium genus notationi quoque datum eſt, in quo non tam affectus ipſos nominamus, quàm adiuncta quædam atque attributa, ex quibus ingenium & propenſio animi conijcitur. Nam ſi quis me meretricem nominet, aut lenonem, quis non ilicò mentem referat ad eorum ſtudia & uoluntates, tam auaras, quàm etiam impudicas? Ergo nec ſuperuacaneus erit noſter labor, ſi hic cum locos daturi ſumus Notationis, etiam exemplis doceamus, quibus quique rebus homines afficiantur & notentur. *Exempla notationis.* Nam ſi potiſsima pars ſapientiæ in hoc ſita eſt (imò tota dixerim prudentia) ut nos ipſos & alios agnoſcamus: quo tam nobis attendere, quàm cum cæteris degere ſine offendiculo poſsimus: quid utilius tradi præcipique poteſt, quàm doctrina

doctrina morum, quæ ſine terrore à uitijs dehortatur, & digito tanquam oſtendit omnium hominum ſtudia atq; inclinationes? Philoſophiæ equidem munus uix aliud puto præſtantius, quàm quod de uita hominum tractat. uita uerò hominis quæ'nam alia, quàm quæ in moribus? Age igitur, & metas aliquot ponamus huius tractationis, ſicut aliarum. Superius locos perſonæ feceramus, bona animi, corporis, & fortunæ. Certum eſt, in his tribus inueniri poſſe omnia quæ de quouis dici poſſunt, atq; intelligi. Aliter etiam feceramus genus, educationem, res geſtas. Nec aliud quidem continent hæc, quàm illa bona animi, corporis & fortunæ: ſed proprius genera demonſtrãt, quia nomina illa rerum ſunt notiones, non ſubſiſtentiũ: hæc uideri oculis poſſunt. Hic ergo, ut citius omnia quaſi oculis uideri queant, conſtituemus capita, ſignaq; erigemus inueniendæ notationis, hæc octo: patriam, genus, ætatem, ſtudia, fortunam, relationem, faciem, & actionem. Nam Therſites adeò deformis cum deſcribitur ab Homero, & orationis adeò ineptæ, quid aliud credas, quàm omnium Græcorum fuiſſe tam ſtultiſsimũ q; ignauiſsimum?

Loci notationis, patria, genus, ætas, ſtudia, fortuna, relatio, facies, actio.

Primùm itaq; ſi animi alicuius motus atq; ſtudia uelim expendere (ſi non mei loci fuerit, ſed alienigena) ante omnia gentis & nationis, unde ortus eſt, notitia magnam in utramq; partem mihi proferet ſyluam argumentorum. Quocirca de moribus gentium qui uel ex inſtituto, uel per occaſionem aliquid tradidere, non erunt hoc loco negligendi: ſaltem ut autoritate eorum (ſi opus eſt) ſermonẽ confirmes. Nihilo minus tamen hæc quæ tradimus, multum prodeſſe poterunt, ſi non ad aliud, ſaltem ut tecum tacitè multa obſerues, & in ſinu tuo tibi placeas.

Mores gentium.

Verùm enimuero præmittendum initiò eſt, & pro præcepto tenendum, q; duarum uirium animi, ex quibus morum uniuerſitas omnis emanat (iræ atq; cupiditatis) duo uitia ſunt, quæ fontem aperiunt cæteris animi affectionibus, tam uirtutis quàm etiam uitiorum. Atq; illa quidem honorem, hæc uoluptatem & delicias ſpectant. Quæ ſi nominibus non ſunt circumſcripta genera à Latinis, res tamen ipſæ ſatis ex hac definitione cognoſcentur. Namque uirtutes illæ moderantes, uerecundia, & fortè æmulatio dici poſſunt: ut pulchrè admodum atq; eleganter Plato definiuit τὴν ἐπὶ μὲν τοῖς αἰσχροῖς αἰσχύνην, ἐπὶ δὲ τοῖς καλοῖς φιλοτιμίαν. Hæc inde probari poſſunt, quòd primus puerorum ſenſus uoluptas eſt, & dolor: in quibus primùm uirtus & uitium animo innaſcuntur. Voluptas quidem cupiditatem parit, dolor iracundiam. in hoc autem ſuperando atque depellendo cernitur cõtentio. nulla uerò maior contentio, quàm circa honores. Quare uidetur nihil ad propulſandum dolorem tantum facere, quantum honos. & ita res habet. Quoniam autem ſcire deſideramus animi affectus atq; ſtudia quæ

Duo fontes omniũ uirtutum & uitiorum, ira & concupiſcentia: obiecta, honor & uoluptas.

notari poſsint in hominibus tam generaliter quàm in parte,& obſeruari: quibus inquam rebus delectantur, & quibus contrà offendantur: omiſsis Getis,& Bœotis,Sybaritiſq́ atq; alijs,quorum ſunt ueterum ſępe monumentis notati atq; expenſi mores:non uerebor equidẽ ſummis ſaltem indicijs oſtẽdere, in nationib. aliquot nobis notiſsimis,& in orbe nunc præcellentibus, uitia peculiaria, quæq; nunc uulgo noſtra memoria accidunt, uel ex natura locorum, uel ex opportunitate:ne parti huic inuentionis pręclariſsimę,& in qua potiſsimum ſita uidetur eſſe opinio prudentiæ, per incuriam aut timorem defuiſſe uideamur. Neq; id quidem ſuggillandi animo cuiuſquam. Quorſum enim? Sed cum ſit eadem uitiorum uirtutumq́ materia,& quaſi ſubiectum:nos autem natura magis oculati omnes ſimus ad illa cognoſcenda, quæ reprehenſionem habent, quàm ad uirtutes:ideo quod notius eſt,hoc tantum perſequemur: illud planè aſſeuerantes,iuxta uitia maxima,maximas ſemper excubare uirtutes. Nam in Annibale,Cæſare,Alexandro, Achille & Hercule,ſi quis tam ea conſideret,quæ ex animi morbo peccauerunt,quàm ea quæ ex uirtute rectè geſſerunt:neſcio equidem in utram potius partem maior copia proferetur, uirtutum'ne an uitiorum. Sed rerum illos potentia,fortunaq́,inter miſeros poni non ſinunt: alijs fortuna magis,quàm conatus defuit. Ergo ſi facilior eſt inuentu non ſolum oratio quæ de moribus tractat,ſed etiam ſententia iudiciumq́ rei cuiuſcunq; (tam publicæ,quàm priuatæ) cum per manifeſtiſsimis exemplis expreſſa documenta conquiruntur: quoties erit de uoluntatibus hominum ſuſcepta diſputatio,ad ea reſpiciemus,quę communiter genti,aut uitæ inſtituto,atq; alijs nominibus inhærere conſtabit:reliqua,quæ ſingulorum ſunt,conſuetudo priuata docuerit: quæ propter infinitatem ab arte ſecluduntur. Sunt ergo primùm glorioſi, & in amores propenſi, Hiſpani:parci quidem in uictu, in ornatu corporis non item, nec in erogando. Nec mirum: quia oſtentator eſt omnis amans,& uincula marſupij Veneris porracea. Gloriæ quoq; ſtudium ſimulationem parit ſapientiæ, quapropter egeni malunt furto, quàm mendicato uiuere: & omnia facere, quàm ut habeantur riſui. Galli inſolentes & iactabundi, in uictu profuſe luxuriant, & in cultu omnia imitantur: cupidi tamen, repentini, & curioſi, atq; hinc quoque loquaces, & φιλονίκοι. Itali contrà putidiuſculi ſunt, diſsimulatores, & increduli: quanquam rerum nouarũ ſtudioſi:in uictu magis lauti,quàm edaces:uexantur omnes ferè zelotypia. Germanos Europę tractum habitantes optimum (tanquam abdomini inſidentes) felicitas & guloſos & ſuperbos facit,atq; ideo & bellicoſos,& audaces. Nam ut repletio ſecuritatem,& cum ſanguinis copia audaciam: ſic inanitio cupiditatem parit,

Virtutes uitijs cõmixtæ:ſed notio ra nobis uitia.

Hiſpanorũ uitia.

Gallorum.

Italorum.

Germanorum.

parit,& auaritiam,contemptus uerò iram & indignationem. Inter Gallos & Germanos,Burgundio(ut quidam ait)cantat eſculentus. Allobroges ſubalpinos(& quos generali uocabulo Sabaudios nũcupamus)rei familiaris anguſtia & multarum gentium congreſſus (ut qui ingreſſum obſident Italiæ) callidos efficiunt, petaces & diſertos,maximè ad perſuadendum.In bello quoque Martem ipſum reuera imitantur, ἄλλοι πρὸς ἄλλας. Narbonenſes, & Prouinciales, ad Catalaunorũ mores accedunt, quibus olim paruêre: ſicut etiam Aquitani reliqui: quanquã leuiores illis, & magis doloſi: quod à ſeptentrione olim profecti Catalauni etiamnũ aliquid retinent priſtinæ lentitudinis atq; ſtipticitatis. Normanni & Britones (homines ſagaciſsimi) exquo bellũ intulerũt Frãcis,ſemper habiti ſunt poſtea apud Gallos leuioris fidei, & excurſores. Belgæ & Cimbri omnes (quos pleriq; Flãdros appellãt) æmuli ſunt, ideoq; culti & φιλότεχνοι: in uictu quidẽ quotidiano parciſsimi, ſed in cõuiuijs plus ſatis effuſi: & (quod de Byzantijs Menãder) negotiatores temulẽti,totã noctẽ cõpotant. Itaq; in compotationib. amiciſsimi ſunt: in cõmercijs nulla ratio amicitiæ, nulla neceſsitudinis. Lotaringi Gallicos re ferũt planè mores: niſi q́ paulo grauiores uidenť. Atq; hos quidẽ omnes quos cum Gallis poſui, Rhenus, Alpes, & Pyrenęi montes, cum utroq; mari circunſepiunt, & in Gallia collocauit Cæſar. Rurſum inter Italos uerſuti ſunt Ligures, Mediolanẽſes uncti & ſimplices, Cãpani ſuperbi: Brutios neſcio cur latrones eſſe ſcripſerit Alexander ab Alexandro. Regini pauidi, Tarentini molles. Et inter Hiſpanos, parciores Tarraconenſes Beticis: Betici illis callidiores. Et ſi pergis amplius, in his etiam mores diuerſos inuenias: quia inter Tarraconenſes, Valentini delicati & molles habentur, Aragonenſes pertinaces, Catalani auſteri & difficiles. Sic & uitijs uirtutes proximas iudicabis. Siquidem fortes ſunt Aragonenſes, ſinceriq;: graues, conſtantesq; Catalani: Valentini autem humani & hoſpitales. Ac eodẽ modo in cęteris nationibus inuenies ſemper uitia quo grauiora ſunt à natura, eo materiam ad uirtutes ſibi cognatas uberiorem præbere, ſi cultura adhibeatur. Nam cœli eadem natura gignit ſeptentrionales quidẽ uoraces ſimul, & ſanguineos, & animoſos: meridionales autem magis ſobrios, exangues, & meticuloſos, atque eo quidem magis uafros. ita ut generaliter Boreales fortitudine præſtẽt, & re militari: meridionales ſolertia, pietate, & clementia. Sed reuertamur ad inſtitutum. Qui inſulas habitant glacialis Oceani, Danis, Noruegis, Sueuis, Gotlandis feritas ineſt, atque immanitas, cum edacitate. Hi literarum olim atq; humanitatis hoſtes, in omnem eruditionem barbarè ſæuierunt. Nec meliores quidem Sarmatæ. nam Pruſsij, Lituani, Ruſsi, Moſcouitæ, & Poloni

Burgũdiones. *Sabaudij.* *Narbonẽſes, Aquitani.* *Belgarum.* *Lotaringi.* *Genuenſes.* *Mediolani.* *Danorum.* *Noruegorum.* *Gotlandorum, &c.* *Sarmatæ.*

qui ſunt in Sarmatia, crudi & crudeles olim habiti ſunt: quanquam
in hac ferocitate ingenia quædam noſtris temporibus nata ſunt li-
terarum omnium omniſq; humanitatis exculta uirtutibus. Quibus
Saxones. accedunt Saxones, tumidi, ſed magis culti, & magis bellicoſi: ſicut
Græci. Pomerani magis negotiatores. Græci ſubdoli, bibaces & uoluptu-
oſi: & in ſcribendo habiti ſunt ſemper mendaces. Syrij ſordidi, Æ-
gyptij fraudulenti: Afri olim uafri, nunc uagi (utpote Arabes) &
fallaces: ludibundi tamen, & εὐτράπελοι: quo multũ a Turcis diffe
Vngarorũ. runt. Vngaros & Bohemos incultos & irrequietos uicinus hoſtis
Bohemorũ. adeò exercuit, ut totius Germaniæ iam euaſerint tam fortiſsimi e-
quites, quàm prædones nobiliſsimi. Anglos natura arrogãtes, in-
hoſpitales, & ſeditioſos: atq; (ut inſulares omnes) irrequietos: ſum-
Anglorum. ptuoſiſsimos quidem, ſed elegantiores quàm Scotos: quibus extra
Scotorum. ſuam inſulam nihil quidem eſt modeſtius aut humanius. Siculi ſem-
Siculi. per fuerunt Siculi, hoc eſt callidi & uerſuti, & dicaces, ſicut Sardi et
Corſi barbari, quia nunquam per nouas colonias ſublati penitus fu
Turcæ. erunt, ut Baleares & alij populi ex uicinis deducti ſunt. Turca lenti
tudinem retinet ſuæ originis, & μισανθρωπίαν: ferox ob imperij ma
ieſtatem hactenus, & rei militaris peritiam: ſed uoluptatem manci-
pium abiectiſsimum, & aduerſus hoſtes uindictæ inexplebilis. Sed
hæc quidem in noſtro orbe. Quid in alio? an non etiam nonnulla il
Indorum. lic notari poſſunt? Indorum ſanè gens illa Noui orbis (quem Co-
lumbus primùm Ferdinando & Iſabellæ regibus Hiſpaniarum Bu
xolæ beneficio inueſtigauit: & ſub Carolo V. Imperatore noſtro
poſtea tandem magnis laboribus Hiſpani cum Corteſio, Valboa,
Picarro, & alijs multis ducibus regno Hiſpaniæ addiderunt) præ-
ter figuram nihil planè habuiſſe comperti ſunt humanitatis: nullum
pudorem, nullam amicitiam, nullam fidem. Nam, paucis aliquot
principibus eorum demptis, quos oratione uſos ferunt & rationi-
bus, cæteros à beluis differre nihil dixeris, præter faciem: quãquam
& hanc ipſam miris modis deformant, ne homines eſſe uideantur,
ſed ſerpentes potius, aut crocodili. Feris omnibus truculentiores,
occiſorum in bello hominum membra palpitantia mordicus de-
paſcunt, ſanguinem'que ſugunt ex iiſdem corporibus, uulturum in
morem: quòd neque lupi, neque ferarum genus ullum ſic in ſuam
ſimilitudinem meditatur: & fabulæ inſtar uideri poſſet, niſi tam
multis eſſet iam teſtimonijs corroboratum. Horum nos mores
(ſi tamen mores appellandi ſunt) facile prætermiſiſſemus, quòd
ab humanitate tam abhorreant, quàm eſt homini peculiaris oratio.
Sed quia nihil eſt tam horridum & inſuaue, quod cõſuetudine non
aliquando miteſcat, & tanquam maceretur: ijs qui regionem illam
(etiam ex Hiſpanis) ſubegêre, neſcio quid profectò affricuerunt fe-
ritatis

ritatis & ſæuitiæ: ut quidem inter eos reperti ſint (ſiue exemplo moti, ſiue ęrumnarum mole oppreſsi) à magnis ſceleribus & immanitate uix ſeſe continentes: facti cupidi, rapaces, ſeditioſi perinde atq; ipſi incolæ. Et ne feces populi commemorem, primi ipſi duces qui Peruanam illam terram cepere, & in illa gubernanda ſibi ſucceſſere, mutuis cædibus non'ne omnes ferè confecti ſunt? Nam Franciſcus Picarrus ſuffocauit Almagrum: Picarrum necari fecit filius Almagri: hūc poſtea Vaſca iugulauit: Vaſcam cepit Blaſco Numnes: Blaſconem in prælio interfecit frater Picarri: hunc deniq; Gaſca in bello captum capite obtruncauit: & niſi uel prudentia uel fortuna periculum euaſiſſet Gaſca, non aliam rerum exitum ſperare poterat quàm alij omnes. Sed citò reditu in Hiſpaniam, tam ſe ab hoſtium inſidijs, uitam'q; liberauit, quàm animū à peruerſis cupiditatibus. Nec niſi fortuna quidem exemit Corteſium à temeritate Pamphili, inuidia'q; Velaſquis. Adeò corrumpuntur illic mores: ſiue id accidat ab exemplo (ut dixi) incolarum: ſiue à cœli natura, ut indigenæ arbitrantur: ſiue ab auri atque argenti copia, quæ oblata paſsim reddit attonitos & extra ipſos, homines alioqui cupidos & auaros. Atq; in hunc quidem modum ſubiectis hominibus quiq; orbis ac cœli tractus ſuos uniuerſaliter inſtillant mores. Nec adeò tamen uniuerſaliter ac præciſe, quin & ſitus, & opportunitas loci multa uarient. Nam qui montes incolunt, ſolum tenue (ut Athenienſes) ob aeris tenuitatem, multo ſunt ingenioſiores, quàm qui pingue & exudans, ut Thebani. Hinc fit, ut inſulares omnes, & Græci, uarij ſint moribus, in'q; diſciplinis multa præſtiterint. Nam Homerum cum ſuo Vlyſſe, quis tam excors qui non credat Ithacenſem fuiſſe? maximè cum tam uaria tam'q; incerta de eo ſcribantur. Quidam tamen Rhodium faciunt, alij Salaminiū, Smyrnæū, Colophoniū, Argiuū, Ionem, Athenienſem. Fuit ex Aſcra, arido ſterili'q; loco, Heſiodus. Iulis, exigua inter Cycladas inſula, nō'ne Simonidem & Bacchylidē poetas, Eraſiſtratū medicum, Ariſtonem & alios philoſophos dedit? Adeò obſeruatum multo uſu eſt, ut ingenia illic abundent, & excolantur magis, ubi rerum ſuppetit minor copia. Non mirum ergo, ſi ſapientiæ & artium omnium principes ſunt νησιῶται: ut prętet iā nominatos, philoſophi, Pythagoras Samius, Pittacus Mitylenæus, Thales Mileſius, Euagoras Cyprius: Corax, Tiſias & Gorgias, primi rhetores & ſophiſtę Siculi: medicus Hippocrates Cous, Paulus Ægineta, & multi alij: pictores, Apelles Cous, Polygnotus Thaſius: Geometræ Archimedes Syracuſanus, Ariſtarchus Samius, Dædalus Cretēſis: Glaucus, ſculptor et cęlator inſignis, qui ferrum ſolidare docuit, Chius: Poetæ ferè omnes: Archilochus Parius, Æſopus Samothracius, Simonides Iuliæus, uel ut alij Ceius, ex una

Homeri & Vlyſsis patria.

Heſiodi patria.

Ingenia maiora, ubi minor copia ſuppetit rerum.

Cycladum:Menander Cretenſis:Alcinous,Automedus,Demodo
cus,& Lares,Lyrici,Corcyręi:Pericletus Lesbius,Melampides Mi
leſius,Sophron Syracuſius, Sappho Mitylenæa,Callimachus Cyre
næus,Phemius Ithacenſis: & innumeri alij Siculi, Rhodij, Creten-
Occidenta- ſes,ne tempus multos enumerando conſumam. Occidui autem, ut
lium natura. Gaditani & Baleares,ſimplices quidem ſunt,&(mea ſententia)ſto-
liduli.Paſcuntur enim hi gloria præter cæteras nationes,rerum ſua
rum planè ſecuri: idq́ʒ efficit (ni fallor) maximè zephyrus,quem a-
mœniſsimum aerem inſpirant, ſicut & Luſitani. Locorum autem
opportunitates (ut ſunt portus, & extranea commercia) ſæpe ſoli
Itali. cœliq́ʒ naturam immutant. Sic Itali,poſtquam parêre ac ſubeſſe ex-
teris coacti ſunt,omnibus ferè ex æquo habentur perinde infenſi at
Germani. que infidi:quos etiam Germani, quorum fides ſemper antè fuit in-
Galli. concuſſa,multis malis edocti, ferè imitantur. Gallis etiam olim fe-
rocibus,an Perſas dixeris molliores? quanquam ob ſoli naturã nec-
Luſitani. dum inſolentia,& primi illi abſq; ratione impetus receſſere. Et Lu-
ſitanos, quos rerum ſecuros dixi, longinquæ nauigationis occaſio
oblata omnium hominum fecit curioſiſsimos,& auariſsimos,uti &
Flandros. Ergo non ſolum cœli cõmunis ratio,ſed etiam oppor-
tunitas multum poteſt: nec tam in moribus laudari ſolet, quod re-
uera honeſtum iuſtum'ue eſt,quàm quod moribus cuiuſq; loci con
ſentaneum. Et quemadmodum leges pro moribus cuiuſq; ciuitatis
feruntur:ita mutuò legibus ciuitatis mores obediunt. Ignotos itaq;
Barbari omnes, & à legibus noſtris religioneq; alienos,barbaros uocarũt.
qui. Quorum eſt peculiaris contumacia, & improba quædam ruſtici-
tas:qui nullum reſpectum,nullam reuerentiam præſeferunt. Gręci
uitium hoc appellãt αὐθάδειαν. Sed de his hactenus: & mores qui-
dem gentium ex uitijs naturalibus ea ratione expendemus Sed ini
quum ſit, gentium præclariſsimarum uitia in medium produxiſſe,
niſi & uirtutes, quas uitijs uicinas ſenſi, etiam aliquo modo refera-
mus. Velim profectò,ſi quem offendit uituperium,ut commemo-
ratio ſaltem laudum illi me conciliet. Non enim accuſator in hunc
locum deſcendi,ſed admonitor. Quanquam ſi fructũ capere ex no-
ſtra opera licet,iuxta Apollinis oraculum, Noſce te ipſum: ut ſicut
puellæ claudicantes uitium naturę cura diſsimulant,ita ſuæ infirmi
tatis cõſcius unuſquiſq; ſibi caueat ab inſita turpitudine:quid opus
eſt excuſem beneficium? Sed concedamus aliquid moroſis. Imò ue
rò in gratiam uirtutis laudemus aliquot nationes. Erit hæc antithe
ſis,confirmatio noſtræ ſententię,& declaratio uoluntatis:quod nõ
ægrius encomia feciſſem ſingularũ gentium,ſi hæc ad prudentiã &
ſuſceptam à nobis doctrinam tam facere uideretur, quàm reprehen
Laudes Hi-ſpanorum. ſiones. Cõmunis ergo Hiſpanorũ illa gloria eſt,quã ſub Carolo V,
Impera-

Imperatore & Hiſpaniarum rege meruerunt,ut bellaciſsimi iam habeantur, ſiue arcem tueri uelis, ſiue aggredi,ſiue collatis ſignis in acie dimicare. Aphrodiſium nuper in Africa expugnatum, & iam euerſum teſtatur,& captum antea Tunetum. teſtantur in Belgica euerſi non ita dudum Morini,& Hedinum,arces Gallorum inexpugnabiles. Teſtatur Dura,apud Menapios munitiſsima: teſtãtur captæ aliquot annis antea,Roma,Genua, Mediolanum, aliaq́ꝫ oppida Italię quamplurima:ut omittamus,quæ in Germania eodem Carolo duce effecerunt,non minore erga ducem fide,quàm in periculis conſtantia,quando ob religionem tota propè Europa tumultuaretur.Equidem ita exiſtimo, acie ex Hiſpanis Germaniſq́ꝫ inſtructa,nullam arcem,nullam rupem,nullum ſcopulum, ne cœlum ipſum cum grandine & fulminibus magis inacceſſum.Contra hos iactet ſuos Romanos quantum uelit Cęſar. Siquidẽ Alemanis inſtar muri utentes Iberi, in acie ueſtigijs hærentibus & immotis, aggrediendo, bellum redintegrando, nullam uim non poſſunt hoſtilem ſuſtinere. Quorum in conflictu pertinaciam nunquam niſi proditam ceſsiſſe compertũ eſt. Sed hęc profectò uulgaria,& multis communia ſunt: oppugnare,tueri, decertare. Fiunt enim ab hominibus quotidie,nec ulla adeò imbellis natio eſt, quæ non aliquã inde laudem gloriamq́ꝫ meruerit aliquando. Sed quòd Nouum orbem, & à ſeculo inauditũ mundum maximũ inuenerint, ceperint,ſubiugauerint:hominum tot myriades Orco miſerint, pauciſsimi numero milites: auri & argenti gemmarumq́ꝫ tantam inde uim aduexerint, ut unica Hiſpania(quæ olim quaſi ignota,ad columnas Herculis reiecta negligebatur) uniuerſam penè Europam ditauerit, beatam atq́ꝫ auream reddiderit:iam hoc omnem ſuperat opinionem:& Alexandri uictorias,Herculiſq́ꝫ labores,qui legerit (ſi cum horum nauigationibus,itineribus, prælijſq́ꝫ conferat) puerorum crepundia eſſe dicet,aut ludos Circenſes,quæ temporis minimo actutum ſpacio abolentur, & ab hominum memoria recedunt. Si in orbe lunari,aut iuxta ſolem ipſum inueniendi theſauri ſpes aliqua promitteretur:iam illuc certè (niſi me opinio fallit) audacia Hiſpanorum euolaſſet. Nec dubito quin futurum aliquando ſit, ut alarum artificio & uectium atq́ꝫ rotarum,primi cœlum inuadent,& quid ſupra nubium regionem fiat inueſtigabũt. An'non liberior aer eſt, quàm mare? Victoria nauis illa Magallanæi, ſexies abſciſa zona,quam uocant torridam,globum terrę & maris ambiens,non'ne in medijs fluctibus maris magni,nobis ex diametro terrę oppoſita,& ad perpendiculum pependit,euerſa uelis & antennis deorſum,quaſi glutino ſublata ſurſum carina? Tales ergo ſunt Hiſpani: audaces,induſtrij,indefeſsi, ſolertes, & rerum magnarum cupidi: maximè uerò

inter omnes gentes præceptorum philoſophiæ moralis admiratores & ſtudioſi. *Germanorum laudes.* Germanos grauitas in uerbis, & in uultu decor, cæteris ita præferunt nationibus, ut meritò dixeris ſolos inter mortales uiros. Quanta uerò ſunt illa argumenta fortitudinis & regij animi, quòd orbem non ſemel emiſsis copijs aggreſsi ſunt? Quis enim ignorat, qui totum occidentem ſæpius (tanquam exundante flumine) occuparunt, ex Germanis profectos eſſe Gothos, Alanos, Longobardos, Huuãdalos, Hunnos, Francos, Sabaudios, Burgundiones? *Italorum.* Sed Italorum fruſtra quis ſtylum atterat laudibus recenſendis, quorum res geſtæ omnium linguarum ſcriptores detinuere. Horum quidem imperio cum ceſsiſſent ſuperba illa Medorum, Perſarum, & Macedonum atq; Carthaginienſium: nullum poſtea par eſſe tamen potuit aut felicitate uincendi, aut modeſtia imperandi. *Gallorum.* Quid Galli? an non gloria etiam fruuntur maxima ſuæ gentis? fruuntur ſanè. Nam Gallorum nobilitas, Europæ generoſum pectus, nullis quidē cedit animi magnitudine atq; ingenio, & in tuenda augendaq; maieſtate regni, ſtudio, fide, atq; obedientia. Humanitate autem Gallica nihil maius. *Burgundionum.* Conſilio ualent Sequani; etſi tardi iudicij. In pugna conſpecto proprio ſanguine, feroci unt: id uerò ut ſorum eſt, quorum in montibus Burgundiæ ſuperioris magna copia reperitur. Horum ſub regibus latiſsimè patuit olim imperium: *Belgarum.* ſub ducibus quoq; diuitiæ multum creuere. Belgę pietate præſtāt, & religione, in Dei cultu: bellico etiam apparatu magnifici adeò, ut non milites arbitreris, ſed reges aut ſatrapas, ſi militari in expeditione magnos equos, currus, arma, & famulitium contempleris. In prælio etiam moriuntur intrepidi, maximè aduerſus Gallos: uti & *Anglorum.* Angli pugnaces, animæq; magnæ (ut ille de Paulo cecinit) prodigi. *Lotaringorum.* Lotaringos celebrant uictoriæ Hieroſolymitanæ: *Sabaudorū.* Sabaudos Rhodianæ expeditiones. Genuenſes & Venetos, atq; etiam Catalanos, pugnæ nauales: Luſitanos commercia, nauigationesq; Eoæ, in quibus omnibus cum ſummo gloriæ ſtudio parem animi fortitudinē oſtendêre. ut omittam antiquiora illa regna, Siculorum & Græcorum imperia, & Aquitaniæ duces, & alia id genus infinita. *Studia artium & diſciplinarū gētis inter mores poni.* Porrò autem illa non uidentur mores, ſed fortunam ſequi: ut quòd Lacones pauperes ſint, Theſpienſes & Sybaritæ terram non colant, Ægyptij uerò ſibi et alijs colāt: item quòd horum munita ſit regio, illorum fertilis, alia toto cœlo remota. Nam fortunam cum ſequantur mores: illius fit ui & quaſi genitura, ut munitionibus quàm uiribus, magis fidant Belgæ: Veneti autē, & Ligures, & Florētini, ſolertia: ut certè multum ualent in commercijs ingenio. Quandoquidē & Ligures & Veneti olim non mediocrem potentiam ex mercatura adepti, niſi illa mercium Indicarum negotia, relicto Nilo & Ale-

xandria,

xandria, per Occanum Herculeũ ad Hiſpanos Luſitanos, atq; hinc ad Flandros transfretaſſent, etiamnum imperia ſua retinerent (Veneti quidem aduerſus Turcam & Græcos, Genuenſes aduerſus Hiſpanos & Italos) ſed etiam augerent: creſcentibus cum mercatura & negocijs, opibus & copijs. Fortunæ tribuuntur res à maioribus geſtæ. Sed quia ſuorum quiſq; gloriam imitari & ſequi cupit, artesque atque inſtituta eorum retinere: ideo & ex talibus ſtudijs fiet notatio, nõ certè temeraria, nec inutilis, in genere ſeruiens ad mores totius gentis. ſicut in ſingulis ex priuatis duci ſolet, & paulo pòſt dicemus. Quemadmodum uerò artes quaſdam neceſsitas inuenit, alias caſus, plurimas etiam uſus: ſic non paucas loci commoditas. atque his omnibus celebrari ſolent incolæ, perq; ora hominum deferri. Quî enim poterant tantopere Baleares funda gloriari, ſi exercitationis eius atq; ſtudij copia defuiſſet? Noſtra metropolis Palma, ad mare meridianũ ſita, inter duas portas orientẽ uerſus ſinum in litore duplicem relinquit: plenum quidem uiuis lapidibus, ſic autem incuruatum utrinque, ut in medio angulus promineat inſtar peninſulæ, ſpeciem arcis præbens. Pro hac igitur expugnanda, & uiciſſim defendenda, adoleſcentes utriuſq; portæ uicini, diebus ſingulis (feſtis præcipuè) magna contentione decertant: illi quidem glandes in arcem cõtorquentes ex uarijs undique locis (ut ex littore, ex aris, & rupibus in mari extantibus, ex nauiculis propius admotis) illis uerò ex arce, inſilientes manibus & baculis propulſantibus, uel eminus oppugnantes, ſimilium tormentorum ictibus & ſonitu deterrentibus. Tantoq; rei militaris hæc ſtudio pugna peragitur, ut ex fundarũ ſtrepitu, & geſtu iaculantium, & poſitis inſidijs, uulneribus etiam hinc inde acceptis, & ſeruitutib. ac redemptionibus, rem planè dicas ſeriam agi, non puerilem: nec de ephemero Imperio ſuſceptum bellum, ſed de totius inſulæ ſalute. Atq; hæc Baleares. Heluetios autem neceſsitas quidem docuit (ut ſcribit Langeius, uir Gallus nobiliſsimus) excogitare pilum longum, atq; huius inſtar antidoti Halabardam: quibus alioqui robuſtis & proceris, ſed tamen pauperibus, cum uicinis Germanis cum eſſet bellum aſsiduè (hominibus ob rerum opulentiam pro maiori parte armatis atq; equitibus) uiſum hoc genus teli eſt in primis cõmodum, tam ad frangendam aciem, quàm ad ſiſtendum hoſtem: nempe cum arietum multorum ritu libratę cuſpides, ictus geminant, & acies tanquam arces demoliuntur: uel cum inſtar uoluti herinacei aut lyſtris aſperæ, minantium uulnera ſpiculorum denſi ordines horridum atque inacceſſum præbent aditum aggredienti. Sic eſt in rebus ingenioſa neceſsitas. Cæterùm Germanis non hæc bombardam peperit, ſed caſus: quanquam pariter inuento fruuntur omnes gentes Etenim

Baleares fũdæ inuentores ob loci opportunitatem.

Heluetij pilum & biapennem inuenerũt ex neceßitate.

Germani bõbardam caſu.

monachus ille alchymicus non machinam aliquam, non telum, non tubam aut lituum animo conceperat: (in quorum omniū uſum poſtea bombarda conuerſa eſt) quando fictili uaſe primùm lutato, deinde æneo ferruminato, cum ſulfure nitrum incluſiſſet: ſed fortaſſe rerum ſpeciem (quaſi Diuinitatis æmulus) mixtionis ſubſidio, atq; ignis, creare decreuerat, & ſupremo opifici generationis certamen proponere. Attamen crepuit uas utrumque, & perniciem edidit mortalium: & cuius documentum prius illud dare poterat, altero cum fragore incredibili diffracto, fœtum hunc tartareum, etiam inferis extimeſcendum, ſuo periculo ſuſcepit. Nec aliter profectò decuit, quàm crepante matre, & exanimato patre, monſtrum adeò ſæuum atq; immane, igniuomumq; naſci. Carthaginienſes olim uſui eſſe exiſtimauerunt, ad augendum Imperium, triremes: Portugalenſes, & Veneti, ad conuehendas merces, aliud genus. namque illi per Oceanum ab Indico uſq; & Perſico ſinu, Calaucras elegerūt: Veneti Galeaſſas per Mediterraneum mare: quoniam ut in magno pelago uelitationis, ſic in ſinuoſo freto remorum uſus maior deprehenſus eſt. Et quemadmodū longitudo nauium ſternere minores fluctus poteſt: ſic breuiores illæ Luſitanorum, & rotundiores, facilius ſurſum ac deorſum uoluuntur, cum undoſo mari tanquam colludētes. Sed uſus multas artes excogitauit, tam ad cultū uitæ, quàm ad delicias & opes: quarum recordatione & memoria delectantur filij inuentorum, & tantum non geſtiunt, ſi quando oratione recitentur: ueluti nunc Maguntij de inuētione Typographiæ. Multo uerò magis delectamur, audientes res à maioribus bello geſtas, & patriæ atq; principib. ſeruatā fidem. Quanq; mutari ut in melius, ſic in deterius poſſunt, & ſolent, maiorū mores: & ſicut olim Phaſiani populi anthropophagi fuiſſe perhibentur, & homines excoriare ſoliti, poſtea uerò adeò humani & hoſpitales, ut uiaticū naufragis & abnauigantibus largirentur: ſic olim Ægyptij religioſi & eruditi fuerunt, nunc ſuperſtitioſi & fallaces, omnibus inuiſi mortalibus, & ſuſpecti. Omitto, quàm aliena ſunt quæ olim de Neruijs & Belgis alijs Cæſar conſcripſit, ab his quæ nunc uidemus: quàm è diametro pugnant. Atq; hæc quidem de ſtudijs gentium. Licet autem à duobus illis fontibus affectionum animi non perinde uideatur diuerſitas illa emanare, qua in ſermonibus non eadem omnes capita tuentur orationis (quando unus ſemper declamat, alius narrat, alius elegans & facetus iocos & ſcommata interſerit) ſed magis à temperie quadam ſpirituum, & cerebri harmonia: tamen inutilis minimè uidetur inſtitutionem de oratione ſuſcipienti notatio hæc, ut cum conſideratione perſonæ forma orationis, tum ex forma orationis etiam natura loquentis agnoſcatur. Videas enim genus artificum

Carthaginienſes triremes.

Maguntij.

Orationis capita non eadē apud omnes tractantur.

ficum ferè mutum eſſe: quod ad unam ſuæ artis inuentionem atten
ti, ad alias uitæ rationes (unde copia dicendi ſuppetere conſueuit)
tanquam conniuent: & ſi quando in ſermonem ab illa contempla-
tione ueniant, in altercationem ilicò nituntur, & interrogatiun-
culis more Dialecticorum omnia conſtituunt. Contrà agricolas:
ſemper enim aliquid hi narrant: quippe operi, quo detinentur, nul-
lam adhibentes attentionem, animo uagantur inter laborandum,
mentemq́ per ea circunſerunt, quæ uel ipſi fecere aliquando, uel ab
alijs facta intellexere: quo nutrita memoria promptior ad narran-
dum efficitur. Sic Iuris profeſſores erubeſcunt ſine lege loqui, &
grammatici abſq; uerſiculis poetarum. Experimur itaq; Hiſpanos,
in colloquijs altercari, Anglos diſſerere, Italos amplificare: Græci
Chrias habent in ore: Flandri narratiunculas concinnant: Galli pr̨
cipiunt: & Germani ſemper aliquid uidentur exordiri. itaque nihil
ineptius audias quàm diſputantem Germanum: ubi concionantis
Hiſpani dictio ampulloſa & arida. tumet enim, quia ſententias &
uerba habet affectata, quamuis dilucida: ſed tanquam ex penuario
deprompta, rancida & inſuauia. Sed de uitijs & uirtutibus populo
rum ſatis. Illud memoria tenendum, quòd inter amicos & in fa- *Quib quæque natio laudari cupit.*
miliari cõſuetudine Germanus haberi cupit fortis, Italus prudens,
Anglus elegans, Hiſpanus nobilis, Gallus pulcher, Flander diues,
Gr̨cus ingenioſus, Turca magni animi: ſed tamen uniuerſaliter ſų
gentis fortitudinem, bellicamq; uirtutẽ laudari quiſq; cupit. Quod
ſi ad hæc attendas, odij atq; beneuolentiæ uenas certiſsimas inue-
nies. Cauebis igitur ab eorum reprehẽſione, quibus auditor afficiť,
niſi aliud geras munus. Nihil enim tam periculoſum, q̃ uideri uelle
inſimulare alterum, & illi ſe præferre. Tam innata eſt omnibus ſu-
perbia, ut qui ſe cõtemni ſciat æquanimiter, ſit nemo. Ac ne ſanum
quidem conſiliũ tuum propterea recipiatur, etiamſi uideare ſapien
tior: quia nemo uult uideri ſtultus, etiamſi nihil ſapiat.

Mores ex genere, & alijs locis. Cap. 39.

HACTENVS de patria conſiderabuntur mores. De gene-
re autem ita ſumentur: ut quoniam ſe quiſq; diligit, nec
eſt quicquam ſibi charius ſeipſo: ſic imitatione quiſque
ſuos maiores tam refert, quàm natura. Sunt hæc exem-
pla uerè domeſtica. Terpſiades apud Ariſtophanẽ (eſt enim comœ
dia ſpeculum uitæ humanæ) quod eſſet humili loco, ad rem atten-
tior, filium hortabatur ad ſtudia quæſtuoſa: contrà uerò uxor,
ſuum aſsiduè iactans Megaclea, uictoriarum & triumphorum uo-
tis explet, & luxu delicijsq; palpat. Hoc eſt, cur Turcæ, Arabes, Go
thi, Vandali, & reliquæ orbis Chriſtiani lues (licet originis primæ
nullum flatum aeris acceperint, nuſquã tamen ab auitis legibus &

Turcæ. Gothi. Aetatum mores.

moribus atque ingenio deſciuerunt. Vbique enim truces uideas, & animoſos, Turcas: molles & ſuperſtitioſos Arabes, Gothos ſuperbos & conſtantes: quod eorum reliquiæ in Tarraconia, ſeu Aragonia, declarant. De patria igitur & maioribus hactenus. Ætatis autem mores nemo expreſsit elegantius, aut certius, Horatio. quapropter hunc audiamus.

Reddere qui uoces iam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temerè, & mutatur in horas.
Imberbis iuuenis, tandem cuſtode remoto
Gaudet equis, canibusque, & aprici gramine campi.
Cereus in uitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris,
Sublimis, cupidus, & amata relinquere pernix.
Conuerſis ſtudijs ætas animusque uirilis
Quærit opes & amicitias: inſeruit honori:
Commiſiſſe cauet, quod mox mutare laboret.
Multa ſenem circunueniunt incommoda, uel quòd
Quærit, & inuentis miſer abſtinet, ac timet uti:
Vel quòd res omnes timidè gelidèque miniſtrat:
Dilator, ſpe longus, iners, auidusque futuri:
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, cenſor, caſtigatorque minorum.

Vitæ ſtudia

In uitæ ſtudijs ſic obſeruantur. Miles glorioſus eſt, Rhetor diſertus, Philoſophus liber, Grãmaticus iracundus, Pictor tacitus, Medicus loquax, Iureconſultus grauis atque ambitioſus, agricola ignauus & ſuperſtitioſus, nauta temerarius, mercator mẽdax, ſacerdos compoſitus, muſicus amator, auarus leno, garrula meretrix & blanda. Eſt & aliud quiddam in ſtudijs peculiare, quod nouiſſe ſit operæ precium. Quid nam? Quod quemadmodum patrium idioma nunquam dediſcimus, ita metaphoras & tropos ex ſua quiſque arte mutuatur. Medicus enim de repub. loquens, purgandam dicet malis ciuibus ciuitatẽ: idem agricola, uerbo amputationis aut runcationis proferet: nauta deportationis. Venator etiam ex media ſylua aliquid capiet, quod perinde notum atque uſitatum alijs uolet, ac ſibi eſt. quod genus trãsferendi in aulis principum & inter nobiles habetur nunc elegantiſsimum. Sic pij & religioſi homines, & ſacrifici, prouerbia & ſententias in ore habent non alias, quàm ex Pſalmis & ſacris literis: & Aſtrologi ex Ptolemæo, Albumazare, & ſimilibus.

Metaphoræ ſtudijs familiares.

Fortunæ mores.

Habet & proſpera atque aduerſa fortuna ſuos mores. Læti enim ſunt felices, & humani, & benigni: contrà uerò infelices, queruli, triſtes, maleuoli. Diuites etiam ſequitur iactantia, ſolicitu-

ſolicitudo,auaritia,ſeueritas:paupertatem inuidia,detractio,ſuper
ſtitio:& magiſtratus(uetus uerbum eſt)uirum oſtendit. Ponunt *Relatio*
alĳ inter locos perſonæ etiam Relationem:ea ſcilicet,quæ ad alium *perſonarũ.*
reſpiciunt:ut ſeruum & dominum,uirum & uxorem,patrem & fi-
lium.Ex quibus notationes fiunt morum,& perſona iudicatur, nõ
minus quàm ex genere atq; educatione monſtratum eſt. nam ſicut
natura loci ex hominum commercĳs & opportunitatibus mores
mutat: ſic ex mutua neceſsitudine atque relatione alĳ aliter affecti
ſunt.Et in ſeruo dolos potius credimus,&mendacia,q̃ in domino:
& uxor uirum magis reuerebitur,q̃ extraneũ. Addunt& προαίρε- *Voluntas,*
σιν, id eſt uoluntatẽ. ut alĳ naturæ proprietate, corporisq; tẽpera- *& mores*
mento proprio iracundi ſunt:alĳ mites,alĳ taciti,alĳ loquaces. Sed *ex corpo-*
quia in his pręceptio nulla inueniť,niſi phyſionomica(de qua multi *ris tempe-*
ſcripſerunt,ut quam ex oculis,capillo,capite,naſo, fronte,pectore, *ramento.*
& alĳs partibus percipiunt)ex inceſſu quoq;,ſermone,uoce, indu- *Phyſiogno-*
mentis:ideo ſi mores,quibus poetarum hiſtoricorumq; libri perſo *mia.*
nas quaſdam notarunt, tacita eorum nomenclatura, ſubſtituas, &
facta dictaq; illorum referas, erit quidem de aliorũ uoluntate ora-
tio,ſed tractandæ perſonæ quæ uideatur propria. Ergo ut perſonę
locos & argumẽta teneamus,ex quibus morũ,uoluntatũ atq; inge-
nĳ notatio fieri poſsit,excutienda capita illa ſunt quę poſuimus:pa
tria,genus,ætas,ſtudia,fortuna, relatio,facies,& actio. Atque hæc
quidem de moribus hominũ. Quæ ſi pluribus hoc loco perſequu-
tus ſum,non me pœnitet.Quoniam cum ſæpe ſit in ſequentibus ſa-
cienda mentio eorum, conſultius uiſum eſt prima quaq; occaſione
rem totam exponere, ut uſui eſſe & lucem aliquam præferre poſsit
hæc demonſtratio illis quæ poſtea dicentur.Nec puto rem adeò fu
ſe tractatam hoc loco,quin pro uſu ac neceſsitate non uideri poſsit
anguſtior noſtra oratio.Nam ſi phyſiologiæ monumenta euoluas,
poetarum, oratorum, philoſophorum, Iuris : omnia in hoc unum
conſumpta uidebuntur, ut hominum ſtudia ac mores poſteritati
declararent.ut omittam, qui libros integros de moribus o-
mnium gentium,& qui de moribus quarundam
ciuitatum compilarunt.

DE ORATIONE LIBER SECVNDVS.

PROOEMIVM.

Artes à brutis acceptæ.

CAETERAS quidem artes atq; officia ita ferè colunt homines, ut eas ſe à brutis & mutis animantibus didiciſſe, negare nec audeant, nec poſsint (nemo eſt enim qui ignoret, quibus artes illas feramus acceptum, mortalibus in primis neceſſarias: ucnandi, texendi, belligerandi, nauigandi, ædificandi, medendi, colendę reipublicæ) Orationis autem uſum etſi fortè ex nutibus uarijs & uocibus obſcuris diuerſorum animalium ui & natura rationis collectum, & quaſi conflatum putas: tamen ſic rationis eſt opus, & uni homini tantum peculiare, ut quemadmodum natura in brutis illa quæ dixi abſq; delectu ullo, ſolo impetu, & quam Græci dicunt ὁρμὴν, ſedula, ſed tamen cæca afficit atq; expromit. Sic ratio huncin homine, delectu quodam utens, non tam inſtinctu aut cæco impetu, quàm prudenti obſeruatione & perſpicaci iudicio confert & comparat: & celeri cogitationis motu conſequuta eſt. Eſt enim ratio, ut mihi quidem uidetur, nihil aliud, quàm cogitationis celer quidam motus, in luce mentis atq; intelligentię excitatus: quo per rerum ſpecies conceptas acta cogitatio, non antè ceſſat aut conquieſcit, quàm id conſequuta ſit, quod non tantùm uoluptati corporis & uitæ primùm neceſſarium ſubolet, ueluti pecus, ſed etiam quod ad bene beateq; uiuendum, aut omnino bonum eſſe aliqua ratione uidetur. Quapropter non immeritò, cum multa habeamus cum brutis communia, his tantùm duobus ſeparari iudicamur, ratione & oratione. Cæterùm non ubiq; idem eſt rationis momentum. Sunt qui ſubitò rei propoſitæ adiunctiones peruident, atq; attributiones: nec tamen diu aut pluribus ſententiā confirmare ſciūt. Atq; hi quidem prudentes meritò dicuntur, & ingenioſi, non eloquentes: alij uerò nō ſolum quid utile, poſsibile, uerum, honeſtumue ſit, per eadem ſubitò aſſequūtur: ſed etiam perſuadere alijs poſſunt, omni ex parte conquiſitis argumentis & rationibus: quos nō ſolum prudentes, ſed & facundos, & oratores appellamus. Conſultante ſenatu quid de coniuratis ſtatuendū eſſet, rogatus ſententiam Cato, poſt Iulium Cæſarem, ſumendum ſupplicium cenſet. Quibus autem rationibus? Primam rei adnexam, & planè obiuam aggreſſus eſt, à periculi grauitate: quam uerbis auget, & affectibus replet multis. Deinde capitibus, quibus theſis tractari ſolet, aduerſus Cæſarem diſſerit: non eſſe locum miſericordiæ, neq; manſuetudini, ubi ſumma rerum periclitatur, quamuis uitæ innocentia & dignitas

Oratio, rationis opus. *ὁρμή.* *Rationis definitio.* *Ratione & oratione à brutis ſeparamur.* *Prudentes qui.* *Eloquētes.* *Catonis oratio de cō iuratis artificioſa.*

dignitas ueniam mererētur: imò ne id quidem poſſe dici de his parricidis, quorum uita omnis generis ſceleribus plena eſſet. Quod tamen etiamſi quacunque ratione donandum eſſet, non tamen nunc, quum circūuenti ſumus (inquit) Catilina cum exercitu in faucibus urget. Quin magis properandum eſt: quia neq; parari neq; conſuli quicq; poteſt occultè. Sic enſtaſi, uiolatione, antiparaſtaſi, & euētu ratiocinatur.

Cauendi periculi ratio etiam à brutis uidetur capi.

Illud quidem primum argumentū à periculo, etſi rationis ui atq; luce inuentum eſt: tamen cum adeò ſit in promptu, & cum deſiderio ac timore adeò coniunctum, ut uel ipſæ etiam beluæ uideātur quodammodo eius eſſe cōpotes: non tam hominis proprium eſſe iudicandum eſt (quem ratione & oratione à cæteris animantibus diſtinguebamus) quàm quæ poſtea adiuncta, tam ad primi corroborationem, quàm ad contrarij refutationem, ſenatum & ciues omnes in Catonis ſententiam traxit. Illud enim ἀπὸ τῆς ὁρμῆς et impetu brutorum nō procul abeſt: hæc multarum conceptionum quaſi enumeratione collecta ſunt, & exhibita. Quare ut inueniendi argumenti ratio ex locis qui ſuprà enumerati ſunt circunſtantiarū ingenij iudicijq; plurimum præ ſe ferat, quæ & ad omnia in promptu ſemper nobis eſſe debeat: tamen proxima cura erit, ut omnia illa argumenta rationesq;, quibus controuerſiam conſiſtere probando & corroborādo faciunt, teneamus: poſtquā nō cognoſci modò obiter, ſed & numero comprehendi, & in pauca rerum capita referri poſſunt.

Superiorū capitū breuis enumeratio, et ſequētiū propoſitio.

Cum igitur explicatum ſatis ſit (ut arbitror) parte ſuperiori quemadmodum in quæſtionibus conſiſteretur, quibusq; ex principijs quæſtiones ipſæ & ſtatus orirētur, & quæ ſint horum cuiuſq; generis omnes formæ: qui deniq; mores, & eorum quæ ratio cognoſcendi: ſequitur, ut capitum diuiſionem perſequamur, & cuiuſq; ſtatus τὰ ἐπιχειρήματα oſtendamus: non ut rhetoricè quidem tractanda, ſed dialecticè, capita & rationum inuentionē ſolam tradentes: ut nec priorem eſſe curam decet expoliendorum armorum, quàm fabricandorum. Et decorè olim fertur Aſclepiodorus abſque coloribus pinxiſſe: ita poteſt ueritas ſuis argumentis conmonſtrari, nullis eloquentiæ coloribus adhibitis, aut figuris: atque ita ego hæc quoque non ut à grauiſsimis ſcriptoribus ornata, & eloquutionis figuris depicta ſunt, ita adferam (alius enim huic labori locus deſignabitur) uerùm iudicijs tantum ſimpliciſsimis limites ipſos ita monſtrabo, ſi Deo placet:

Apta ſimilitudo.

quemadmodum agri menſores ad ſcopulum aliquem reſpectantes, & montium iuga, agrum, quem ipſi ſubſiciuum nominant) nihil de arboribus aut herbis ſoliciti, aut cultu, definiunt & aſsignant. Eorum uox omnis ſine ſenſu eſt, qui prius non quid, ſed quo modo loquantur curant: perinde ac ſi quis non quem agrum ferat conſideret, ſed quomodo tantum ſemen iaciat,

ciat, delectetur. Hi ut nullis negotijs publicis & priuatis ſunt ido-
nei: ſic non conuenit ut inter homines degant, in ciuitatibus, ſed ma-
Quintiliani reprehenſio.
gis inter ranas in paludibus, & aſsiduè coaxent. Miror autē cur
à Quintiliano hæc facultas uel neglecta eſt, uel diſsimulata. Niſi for-
tè uulgatiorem duxit, quàm quæ nouis egeret præceptionibus. Tunc
temporis (ut uериſimile eſt) nihil aliud rhetorum ſcholæ perſona-
bant, quàm tractari coniecturam paragraphe, elenchon apæteſi, &
Ciceronis reprehēſio.
ſimilibus argumētis. Nam & Cicero cum adeò multa de arte dicen-
di præceperit, locos quidem argumentorum plurimos enumerat:
ſed diſtinguit parum capita: quæ artis erat ſumma perfectio. Quo
minus certè culpandi pleriq; recentiorum, qui in dialecticorum ſa-
lebra hærentes miſerè, partem hanc ſic prætermittūt, ut facile oſten-
dant quàm nihil de ea prorſus audiuerint, uel certè didicerint. Quis
enim niſi inuidus, aut ignarus, quæ docenda ſuſcipit, non apertiſsi-
mè docet? Dolendum quidem eſt periſſe nobis ueteres illos, præ-
Hermagoras, Theodorus, Cecilius, Rhetores boni.
ſertim Hermogoram, & Theodorum, & Cecilium, à quibus hæc ip-
ſa diſceremus: ſed quia tanta felicitas nobis negata eſt, aliunde men-
dicare eadem utcunq; oportebit, & diuinare aliquādo (ut equidem
arbitror) ab illis tradita, quæ fortaſſe nunquam intellexere. Profue-
Hermogenes, & eius interpres Zopater, et Fortunatianus.
runt nobis bona ex parte Hermogenes, & Zopater Hermogenis
interpres: & præterea Fortunatianus. Trapezuntius quoq;, mul-
ta ex Hermagene, utcunq; uertere conatus: ſed is à præceptore ſæ-
pe deſtitutus longè aberrat. Cicero exemplis abundat: ſed ex rebus
Trapezuntius.
magis & negotijs deſumptis, quàm ex capitibus. Quo fit, ut hac in
re prolixior eſſe poſsit, quàm utilior. Verùm quia materiam hic no-
Cicero prolixior q̃ utilior.
bis comparauit, hoc propoſitum ſit, quantum fieri poſsit, ut ab eo
inuenta argumenta proponamus, ſed locis & capitibus à nobis di-
ſtincta. Capitum ergo diuiſio hæc eſt, ut generalium illorū, quæ
ſuprà enumerauimus, in primi totius controuerſiæ ſtatus confirma-
tionem, & ſummæ quæſtionis, certa quædam eligantur, quæ ei tan-
quam domino ſeruiant & obſecundent. Id uerò non ita accipien-
dum eſt, quaſi omnibus capitibus omnia capita prodeſſe poſsint.
Eſt ſanè propria cuiuſq; diuiſio, & propè neceſſarius ordo, ut quæ-
dam facilè dominentur, alia rarò: probationum inquam requiſitio,
ueriſimilis defenſio (& nonnulla alia) rarò primum caput ſummàm-
que rei controuerſiam conſtituunt: at uerò coniectura, finitio, & aſ-
ſumptio, frequenter. proinde in inueſtigādis horum locis cura ma-
ior adhibebitur, atq; attentio. Et continebit quidem ſecundus hic
liber capitum tractationē, & morum: cum partibus ora-
tionis tam encomiaſticæ quàm de-
liberatiuæ.

Conie-

Coniecturæ tractatio. Cap. 1.

PRIMVM ergo coniecturam, quibus argumentis tractari oporteat, uidendum, & maximè ab inficiatore. Nam qui ait, is uno tantum capite utitur ad confirmanda indicia, probabili, argumēta ducēs à uoluntate & facultate perſonæ uel rei: ut quòd expedit plurimum & commodat reo ſic egiſſe, & augebit accuſator ſpem uel formidinem illius: quòd ingenio eſt ad eam rem appoſito: (ut auarus, ſi agatur de pecunia: ambitioſus, ſi de honoribus) & ſpem perficiendi ac celandi ex aliqua circūſtantia docebit, quæ dicitur ἀφορμή. Signa præterea & argumenta uoluntatis, ex dictis & factis accipiuntur: ut ſi quid antè uel poſt dixerit aut fecerit, quo res ipſa prodatur: ueluti ſi antè minatus eſt, ſi tempus idoneum uidetur arripuiſſe: hæc dicitur πρόφασις, quippe quando uidetur idonea perficiendi quæſita facultas. Illa enim indicia quæ rem conſequi & arguere ſolent (ut pallor, fuga, ſanguis) Græcè σημεῖα, non tam probare coniecturam quàm conſtituere & generare dixeris: quoniam ex ĳs fit prima cauſæ intentatio. Quod ſi ad probationem adducantur, & ſi ex facto ſumpta ſint, & re ipſa, tamen confirmari uolunt uoluntate & facultate: aliàs ſine arte & ἄτεχνος dicenda probatio. Et ſanè omnia argumenta cōiecturæ uel ſigna ſunt, uel ſuſpiciones. Ergo demonſtrata uolūtate, ſequetur facultas: ut ex uiribus animi corporis, & facultatibus fortunæ: ex loco, tempore, & omnino occaſione, quam continet ἀφορμή. Sed ab inſtituto deſciui. Propoſueram enim capita primùm tradere rei & inficiatoris: ut quibus cognitis, reliqua ſint in promptu. Verùm nihil oberit hæc prædixiſſe: quin prius ſiſtitur quæſtio, atq; intentatur, quàm certè impugnetur. Impugnatur ergo coniectura his capitibus: primùm paragraphe, deinde petitione probationum, tertiò improbabili (quod cum ſit contrarium probabili, ex ĳs locis ſumetur, nempe uoluntate & facultate.) Additur ſæpe τὸ ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους, Poteſt etiam interponi antilepſis, aut contrà metalepſis. Cæterùm cauſæ deriuatio (quam Græcè diximus μετάθεσιν αἰτίας) quartum locum obtinebit: quintum, uerisimilis defenſio (quam etiam Græcè πιθανὴν ἀπολογίαν appellauimus) Vltima ſit quæſtio epilogica, uel communis qualitas. Illud autem in præceptis ſemper habendum eſt, ut principiò is eligatur ſtatus cauſæ, quem primum caput & præcipuum iudicauerimus: poſt hunc, is qui in eum incidit. Cenſemus autem incidentem, in quo firmamentum ſummæ quæſtionis, & dominantis in cauſa ſtatus, uel ratio ſita eſt. Clodium iure interfeci: ſtatus princeps & qualitatis, Quia inſidias parauit: An inſidias parauerit, coniectura, & ſtatus incidens. Diuidetur autem is in ſua capita, non aliter atq; principalis ille qualitatis. Quòd ſi plures

Accuſatoris loci.

Voluntas.

Facultas.

Inficiatoris ſiue defenſoris loci.

Status principalis eligendus.

Status incidens, qui.

ſi plures erunt principales(quod non rarò fit)tractari oportebit unumquemq; ſeorſum. Modò ut is ordo ſeruetur, ut qui ad motus conferre poteſt, illum reijciamus in finem, & cauſæ perorationem. Quanquã & adhibenda cautio eſt, nec ſemper cauſa patitur ut in finem remittantur hi motus. tanta enim poteſt eſſe cauſæ turpitudo, aut certæ periculum rei, ut niſi placatis antè lenitisq; iudicibus, locus eſſe non poſsit probationibus. Hic quidem remedijs & quaſi fomentis erit opus in principio, non autem cauterijs aut ferro: & allicere magis ac palpare, quàm docere, auditores oportebit. Sed hæc, niſi prudentia, nullis præceptis conſequare.

Statuum ordo. Igitur rectus & generalis ordo hoc poſtulat, non ſolum in hoc ſtatu, ſed alijs etiam (ut docuit Hermagoras) ut primo ſtatim loco ponãtur ſtatus paragraphici, niſi perſona ſuſpecta ſit, aut inuidioſa. Poſt hunc ſequent̃ proprij iuridiciales: quibus deniq; ſeruient negotiales, & qui præſcripti loci in arte ſunt iuxta uniuſcuiuſq; diuiſionem.

Coniecturæ exemplum. Demonſtremus in Themate. Iuuenis diues ad carcerem clamauit, Eſte bono animo captiui, non ſemper futuri eſtis miſeri: accuſatutq; tyrannidis affectatæ. Primùm igitur excipiet iuuenis actionem paragraphe: indignum aſſerens, ab eo uiro ſe accuſari: aut, non oportere eo tempore, ea de cauſa, apud eos iudices, tali accuſatori respondere. Sequetur probationum requiſitio. Vbi ſi teſtes fuerint, aut probationes aliæ, refellemus: ſi non fuerint, urgendo aduerſarium exigemus, ubi factum? quando? quo teſte? qua cauſa? Atque hoc quidem caput pleniſsimè tractatur à contradictore, ut pro Roſcio Amerino. Argumentoſa in primis eſt illa commutatio, ſiue exceptio contra qualitatem abſolutam, quæ dicitur non ueriſimilis quæſtio, aut impoſsibile. Dicimus enim non eſſe ueriſimile, non eſſe credibile, non pati naturam rei, non opinionem, non conſuetudinem, non artem: atq; ideo nec uoluiſſe, nec potuiſſe.

Voluntatis loci. Expenditur autem uoluntas tribus modis, ex cauſa impulſiua, uel ratiocinatiua (ut ſunt, amor, odium, inuidia, metus, gloria, ultio, utilitas, ſpes celandi, & ſimilia. Quæ omnia reus defuiſſe contendet. Deinde, ex circunſtantijs perſonæ, ut genere, educatione, rebus geſtis. Tertiò ex ſignis.

Signorũ definitio. Sunt autem ſigna, ſeu indicia, dicta & facta ſic negotium ſpectantia, ut facilè ex ijs negotiũ probetur, tanquam cauſa ab effectis, uel contrà. In quo loco ſunt confeſsiones, inſtrumenta, teſtes, &c.

Facultas unde ſumat.r. Iam facultas, alter locus, pariter ex perſonæ ſumetur circunſtantijs, & rei: præcipuè autem ex tempore, loco, & inſtrumentis: ut auxilijs, & occaſione. Hæc nimirum reus ad dehortandum ſufficere, ne id quod obijcitur fieret, demonſtrabit: nempe inutile, difficile, im[illegible] neq; id quidem reuera ſolum, ſed etiam eius opinione, cui cert[illegible] detur omnino impoſsibile. Facultas ergo tum ex perſona, tum ex

re

re perpenditur. Sed ex perſona ſumuntur uires tripliciter: ingenij ſcilicet, corporis, & fortunæ. In re conſiderantur, locus, occaſio, & rei natura. Inſpiciemus itaq; negotium in ſe, cum circunſtantijs tam quæ præceſſerunt, quàm quæ ſequutæ ſunt: ut quæ lex, quę opinio hominum, quæ conſuetudo, quę natura. Atq; hinc ſe occaſio offert digrediendi in communem aliquem locum & plauſibilem. Sic orator in Miloniana: Nihil enim eſt tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quàm uoluntas ergo nos, ſenſusq; ciuium. In hunc quidem locum multa inducantur oportet ueriſimilia, quæq; probari in uulgus ſolent. Atq; in hunc quidem modum finem accipiet alterum caput, quod exceptio induxit nō ueriſimilis facti. Addi quoq; poſſe dixi τὸ ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους: quanquam propriè caput hoc non rei, ſed accuſatoris uidetur, quod negotij tantum expoſitionem continet. Nihilominus tamen poteſt & reo aliquando cōpetere: ueluti ſi res nō iniqua, ſed iuſta honeſtaq; uideatur: ueluti quæ ſit digna præmio. Sed de hoc capite nos poſtea ſuo loco, cum de narratione agetur. Nunc id ſufficiat, exponendam rem probabiliter, & dilucidè, cum cauſis, & logiſmis (hoc eſt, cōſiderationibus) congruenter locis, temporibus, & perſonis: non eodem tamen modo ab utroq;. Sed accuſator ſuſpiciones augebit, nihil dictum factúmue declarans, nuſquam itum aut abitum, cuius non aliquā cauſam probet. Defenſoris contrà narratio erit ſimplex, cum attenuatione ſuſpicionum. Atque hinc quidem cauſæ deriuatio ſequetur: ut qua mente, quamq; ob cauſam id quod obijcitur, dixerit aut fecerit, exponas. ubi quidem ſi de facto proprio, aut ſermone cauſam dicis, non niſi certā licet: ſi de alieno, multas potes (ut iam ſuperiori libro diximus) etiam contrarias & à ſe diſsidentes dare, & colores falſos inducere. Satis namq; eſt, aliquam fieri probabilem, cum de nulla conſtet, nec ullam probare ſuſceperis, ſed fieri tantum potuiſſe ob eam cauſam. Poteſt autem cauſæ tranſpoſitio non ſolum ea ſequi, quæ ſunt ab uno ad ſummum, ſed etiam præcedere. Reſpondet enim, & reprehendit cauſam uoluntatis, quam ſumit aduerſarius. Nec minus finiri per communem locum, quàm aliud quodcūque caput, ſi res poſcat: ſicut & ea quæ ſequitur ueriſimilis defenſio. Πιθανὴ ἀπολογία talis erit: Imò uerò, ſi cuperem regnum, non eo modo prodidiſſem mea conſilia. Atq; hoc pacto facta ueriſimilis defenſio, deriuationi cauſæ, quam dicimus, ſemper adhærebit: Non ob hanc cauſam feci (inquies) ſed ob hanc: imò ſi id cuperem, quod dicis, non ſic egiſſem. Quod ſi inter duo hæc capita atq; epicheremata generale aliquod caput inſeri contingat (uerbi cauſa, antilepſin, aut metalepſin, dicendo rem illam futuram utilem, honeſtam, aut cōtrà) tum repetitione deriuationis utendo, ueriſimilem defen-

Digrediendi occaſio.

Accuſatoris partes in narrando.

Defenſoris partes in narrando.

Veriſimilis defenſionis exemplum.

ſionem ſubdere oportebit,hoc pacto:Non igitur ideo clamaui,ſed ob hoc:imò ſi ſic eſſet,aliter egiſſem. Vltimo loco quæretur quęſtio aliqua epilogica.Hęc eſt communis qualitas,in qua fiunt epilogi, & iterationes, & loci communes ad excitandos motus, ut inuidiam,odium,miſericordiam,uti expedierit cauſæ,ab utili,honeſto, legitimo,cæteriſq́ꝫ capitibus: quę nos quoque extrema ideo nuncupauimus,quòd in hanc, uelut ultimam aciem, & extremū actum ſeruarentur.

Queſtionis epilogicæ tractatio.

Atqꝫ his quidem locis reus actionem infirmabit aduerſarij:quibus & ipſe iam aduerſarius,quodammodo uſus eſt,ſed in diuerſum:quoniam pro paragraphe, antiparagraphē aſſumpſit: aut excuſando officium ſuum, aut grauiori pœna affirmans teneri reum quàm nunc poſtuletur,aut ſimili alio modo exordiendo accuſationem:& aſpera quadam expoſitione eorum quæ ab imo ad ſummum,factum ponens ob oculós. Hinc rurſum uoluntas ſequetur, & facultas: quarum tota uis in perſonæ reiq́ꝫ circunſtantijs inueſtigabitur.

Accuſatoris loci.

Voluntas et facultas capita accuſatoris.

Duo autem capita,uoluntas & facultas,quoniam in coniectura primas obtinent,ſic examinãda ſunt, ut non ea modò quæ palàm & dilucidè fidem faciunt, ſed quæ leuem etiam exiſtimationis cauſam præbent, omnia exquirantur atqꝫ excutiantur diligentiſsimè.

Rei capita quatuor.

Reo namque ſe quatuor capitibus defendente (requiſitione probationum,incredibili,deriuatione cauſæ, & ueriſimili defenſione) tota accuſatoris actio duobus continetur, uoluntate & facultate. Siquidem ingreſſus per paragraphen,& exitus per quęſtionem epilogicam,non magis propria coniecturæ duxeris,quàm communia reliquis ſtatibus:quando in omnibus per ea ingredi atqꝫ egredi licet proprias neceſſariaſq́ꝫ probationes. Cōmorabitur ergo diutius noſtra in his duobus accuſatio uoluntate & facultate: ſiue abſolutè diſputes,ſiue per comparationem. Volens & potens(ut loquitur Philoſophus)neceſſariò operatur:

Philoſophi dictum.

A iuuene & cupido credatur reddita uirgo? & illud:

Non ea uis animo,nec tanta ſuperbia uictis.

Dixi abſolutè,uel per cōparationem:quoniam ſimpliciter interdum contendimus uoluiſſe, & rurſum aliquando magis uoluiſſe: uel,hunc quidem uoluiſſe,alium uerò minimè.Sed hoc ſatis notum eſt.

Signa.

Signa igitur uoluntatem tam præcedentia, quàm ſequentia; ea ſunt,quę aliquando dixit,fecitq́ꝫ. Hinc coniectura ſumpta eſt: ut minæ,gladius aſtrictus,& ſimilia.

Argumenta.

Caſsij quæſtoris Romæ dictum.

Argumenta uerò,atque ſuſpiciones,perſonæ qualitas,& cauſa rei. Ex cauſa Caſsianum illud quæritur, Cui bono:illic genus, educatio, res olim geſtæ excutiuntur. Vrget autem mirum in modum ea interrogatio, qua quærimus, Cur ergo feciſti?nam ſi factum ipſum honeſtum ſit, cauſam nos iniuſtam aliquam ſæpe inculcabimus:ſi turpe,etiam turpiorem.Indi-

dem

dem quoq; facultas patet: Quòd potuerit, quòd facile fuerit: ueluti his diuitijs, eo ingenio, illis lateribus. Ex rei circunſtantijs: ut, in deſerto loco, eo tempore, tanto ſpacio, ea occaſione, eo modo: unde ſit ſpes celandi, ſpes quoq; perficiendi, ſpes impunitatis. Nec uno aut altero argumento, uel ſigno contentus erit, ſed multa cumulabit: quia quæ ſingula non proſunt, multa iuuant. Reus contrà, impedimenta proferet, Cur, etiã ſi uoluerit, et alioqui potuerit, non tamen ſine magno impedimento, aut ſuo malo. Atq; hæc quidem utriuſq; capitis præcepta. Quæ, ut memoriꝯ firmius hærere poſsint, ut & reliqua omnia: imaginibus ego in tabula proponenda cenſuerim: ſumpto ad id, quod ſignificandæ præceptionis occurrerit altius cuiuſcunq; rei ſymbolo & excellenti, & perſpicuo. Et nos aliquando ita fecimus in Burgundia, ut ſtudia promoueremus duorũ adoleſcentũ nobiliſsimorum, CLAVDII A' BAVMA, electi Archiepiſcopi Beſuntini, & FRANCISCI fratris eius, Comitis Montis Riuerdi. Quorum (ut hoc obiter dicam, pro ætate: nam deſcribendis eorum rebus & gloria, maiori ocio, ſtyliq; maiori diligentia opus fore aliquãdo ſperamus) diſsimilia ingenia parem omnino expectationem præbent. Ille enim Dei quodam dono ſingulari, ſic ad morum grauitatem prudentiamq; natus eſt, ut non prius homo quàm Epiſcopus, neq; tam electus quàm creatus eſſe uideatur. Alter uerò, alta quadam animi magni indole, & imagine excitus parentum, iudicioq; excelſo ac ſublimi, niſi me mea fallit opinio (neque enim ad gratiam loquor: quoniã ſi tales minimè ſe prꝯſtiterint, qualem de ſe præbent expectationem, hæc noſtra, ſatis ſcio, præmatura commendatio turpitudini erit: ſi naturæ tamen non reluctentur, calcar addet) agendis rebus grauiſsimis, magniq; momenti, nihil ſe promittit aut præſentius fore, aut acutius. Mireris certè acrimoniã ingenij, mireris quàm nihil omnino ſapit humile. In horum ergo gratiam pro coniectura aggerem iuſsi depingi è ceſpite uiridi, cum ſcopo. Latus ſiniſtrum tenebat leo, apertis oculis & intentis: manu tollens loculos. In hoc autem uno aſpectu intelligi uolebamus uires animi, corporis, & fortunꝯ. Ad dextram aggeris malus erat: in cuius faſtigio cor uoluntatem ſignans. Pendebant hinc, ex una parte laruą, quꝯ perſonam: ex altera uexillum, in quo ſcriptum erat, Dicta & facta. Accubabat præterea in pede mali, draco cum dicto Caſsiani, CVI BONO. Atq; hæc quidẽ cum ſcopo erant. E regione autem, quatuor perſonæ refutationem coniecturæ ſignabant. Prima erat, Iudæi infidelis habitu, arcum manibus tendens, & ſcopum leonem, malum'que ſimul petens. Hoc eſt caput ἀπίθανον, id eſt incredibile. Probat enim per eadem incredibile, per quæ credibile ac ueriſimile negotium uideri poteſt & efficitur, uoluntatem & facultatem.

Coniecturæ capita in tabula proponenda propter memoriam.

Autoris ad iuuandam memoriam imagines, in quibus tota coniecturæ ratio proponitur.

Iuxtà quocꝫ ruſticus procedit, libellum porrigens, quaſi probationum. Hinc mulier poma in calathum reponens, tanquam datura illa draconi. Cauſæ enim tranſpoſitio eò ſpectat. Quarta perſona etiam mulier erat, altera manu poma remouens, altera rubetam porrigens draconi: quòd cibus ille non conueniat, ſed alter magis. Sic in promptu omnia argumenta tam actoris erant, quàm rei: illius quidem, leo, & malus: huius, incredulus Iudæus & ruſticus cum duabus fœminis.

Cauſæ deriuatio non eſt propriá accuſatoris.

Sed ut eò reuertamur, unde digreſsi ſumus: nō eſt accuſatoris propria cauſæ deriuatio, nec item ueriſimilis defenſio. Poſſunt tamen ad inuidiam & criminationem induci per ironiam: occupando ſcilicet id ipſum, quod poſſet à reo obijci.

Epilogicæ quæſtionis loci.

Porrò autem quæſtio epilogica (uti dixi) motus habet, & locos communes, & argumentorum repetitiones. De loco autem communi poſtea: & motus aperiemus in partibus perorationis. Quare ſufficiāt hæc hactenus. Habes itacꝫ (ſi noſtra hæc probas) uiam regiam, rectamq́ꝫ, per quam uelut ad ſcopum cogitatio noſtra certo tramite dirigatur. Nam ſi aliquando uel mutato ordine, uel omiſsis quibuſdam, paululum quid ab ea deflectamus, non ita fiet tamen, ut (quod dicitur) toto cœlo aberremus. Quapropter quod recta ſimpliciq́ꝫ uia ac præſcriptione traditum eſt, ut eius certam atcꝫ euidentem aliquam demonſtrationem exhibeamus: quanquā ex alijs quidem locis pluribus plena perfectaq́ꝫ exempla alia deſumi poſsint, tam rectà, quàm arte ductuq́ꝫ deflexa: tamen quia decreui unius clariſsimæ orationis artificium excutere diligēter, eamq́ꝫ membratim (ut ſic loquar) & articulatim totam incidere: Milonianam obſeruato.

Miloniana omnium orationum Ciceronis pulcherrima.

Quam in hoc ſelegimus, quòd cum omnium iudicio, omnium Tullianarum clariſsima habeatur, à multis quidem tentata ſit: ſed à nemine, quod uiderim, intellecta: licet nemo eorum qui eius interpretationem promittūt, non ſibi rara exquiſitaq́ꝫ multa ſe inueniſſe atcꝫ obſeruaſſe uideatur, & artificium omne dicendi tradidiſſe. Sed in rebus noſtris omnes hallucinamur: &, Suum cuique pulchrum, uetus ſermo eſt. Idcirco niſi quadret exemplo demonſtratio, eandem libenter ſubire uolo reprehenſionem. Quanquam ne illi quidem adeò reprehendendi, qui nec adeò fortaſſe magnificè promiſerunt quicquam, atcꝫ ipſi facimus: ſed nihil fortaſſe temerè.

Demonſtratio tractationis coniecturæ in exemplo.

Cap. 2.

Status Milonianæ cōparatus.

HABET illa quidem oratio in cauſa ſtatum cōiecturalem: non ſimplicem, ſed comparatum: Clodius fecit inſidias, non Milo. Quoniam igitur contentio cernitur in ſtatu, & probationes quoque per contentionem afferantur neceſſe eſt. Probat orator, uoluiſſe quidem Clodium, ſed Milonem noluiſſe:

noluiſſe: rurſumꝗ potuiſſe Clodium, Milonem nequaquam. Et in
his cõmoratur diutius. Ideoꝗ non decem ponit capita, aut ſex: ſed *Capita orationis Milonianæ.*
duo tantum, uoluntatem & facultatem. Quorum alterum, nempe
uolũtatem, eo modo proſequitur, quo debet ipſa tractari in uniuerſum coniectura. nam pręter argumenta ea quę propria diximus uoluntatis cauſas, qualitatem perſonæ, & ſigna: hæc adhibet alia, incredibile, argumentorum requiſitionẽ, deriuationem cauſæ, ueriſimilem defenſionem, & epilogum: poſtea facultatem è loco, tempore, cæteriſꝗ circunſtantijs. Quæ ſimulatꝗ obſeruaueris hic nobiſcũ, nihil (ſpero) noſtris hiſce præceptionibus dixeris eſſe facilius. Sed demonſtrentur hæc in corpore ipſo orationis, ne uaga & incerta locorum atꝗ argumentorum inueſtigatione moreris. Præceptiones enim omnes obſcuræ ſunt, ac ſermones generales à ſenſu multum *Præcepta exemplis illuſtranda.*
remoti: exemplis quaſi ponuntur ob oculos. Poſt narrationẽ, quę locum ſubit eius capitis, quod dictũ eſt ab imo ad ſummũ: poſt quoque propoſitionem controuerſiæ (quæ præpoſita eſt argumentis) propoſitio alia ſequitur argumentorum, eorum quidem quæ pro *Propoſitio cauſæ Milonianæ.*
uoluntate faciũt, in hunc modum: *Quó nam igitur pacto probari poteſt, inſidias Miloni feciſſe Clodium? Satis eſt quidem, in illa tam audaci, tam nefaria belua docere, magnam ei cauſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas utilitates fuiſſe. itaq; illud Caßianum, Cui bono fuerit, in his perſonis ualet: etſi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi ſæpe paruo.* Hactenus propoſitio argumenti, cum approbatione & apparatu. Sequũtur commoda, ex morte Milonis: *Atq; Milone interfecto Clodius hoc aſſequebatur, &c.* uſꝗ ad illud: *An uerò Iudices.* Vbi orator ad faciendam *Commoda ex morte Milonis.*
aduerſario inuidiã longius excurrit. Poſt digreſſum, aliam cauſam addit uolũtatis: odium ſcilicet, & ultionis deſiderium: quod ex Milone retorquet in Clodiũ. Locus incipit: *At ualuit odium, fecit iratus.* *Odium.*
Atꝗ huc uſꝗ cauſæ explicatæ ſunt uoluntatis, ratiocinatiuæ (uti eas diximus) & impellentes, commodum & odium. Sequitur qualitas perſonæ, cum comparatione qualitatum: primum à conſuetudine, per enumerationem & expoſitionem omnium ſcelerum & uitæ Clodij. Incipit: *Reliquum eſt, ut iam natura ipſius conſuetudoq; defendat.* uſꝗ ad illud: *Quod ſimile Milonis, cuius uis omnis ſemper fuit.* Vbi per cõtentionem orator caput coniecturę inſerit, quod definitum à nobis *Voluntatis cauſæ ratiocinatiuæ. Qualitas perſonæ, et cõparatio.*
eſt ſuprà ἀπίθανον: idꝗ pleniſsimè tractatum, cum epilogo, & loco *Incredibile.*
etiam communi. docet enim, incredibile eſſe, à Milone factas inſidias: quoniam omiſsis occaſionibus cunctis, quibus Clodium occidere poterat, facillimè, & cum ſuo cõmodo: non eſt ueriſimile, cum tanto periculo ſui capitis nunc uoluiſſe, in petitione cõſulatus: qua nihil magis timidum, aut magis ſolicitum. argumentum hoc ſic concludit: *Quàm hoc non credibile in hoc, quàm idem in Clodio non dubitandum, qui*

» *ſe Milone interfecto regnaturũ putaret?* Hinc paucis ſtatim ſubdit impuni
Signa. Voluntatis probationes. tatis ſpem. *Quid, quod caput audaciæ eſt, &c.* Atq; inde tranſit ad ſigna,
hoc eſt ad dicta factáq; Clodij: *Sed quid ego argumentor?* Habes proba
tiones uoluntatis. hę ſunt cauſæ, qualitas perſonę, & ſigna: quib. (ut
ἐλέγχων ἀπαίτησις. iam indicaui) eſt immixtum τὸ ἀπίθανον. Accipe nunc τῶν ἐλέγχων
» ἀπαίτησιν: *Quid ſi, ut ille ſciuit, Milonem fore eo die in uilla?* Hic Cicero pri
mùm contra ſe ipſum inquirit, deinde refellit teſtimonia aduerſa-
Cauſæ trãſpoſitio. riorum, uſq; ad id: *Nunc perſequar cætera.* Et fit eo loco cauſæ tranſpo
ſitio in hanc ſententiã: Non eſt egreſſus uilla Clodius propter mor-
tem Cyri, uerùm quia fuit monitus de aduentu Milonis. Sequitur
Veriſimilis defenſio. ueriſimilis defenſio: *Age ſi ita factum eſt, quæ cauſa cur Romam, &c.* id eſt,
etſi nunciatum eſſet de morte Cyri, tamen non fuit ea hora profici-
ſcendum neq; ipſi Clodio, neq; Miloni, ſi ſciuiſſet hic ea hora egreſ-
ſum Clodium è uilla. Tandem colligit Cicero hoc caput de uolunta
Voluntatis enumeratio. te per enumerationem: *Video adhuc conſtare omnia iudices.* Huc uſq; do-
cuit, uoluiſſe Clodiũ. Sequitur, potuiſſe. & proponit: *Videamus nunc*
Facultas. *id quod caput eſt.* Hanc facultatem monſtrat ex loco, ex comitibus, &
habitu utriuſq;, tum ex tempore: quæ omnia oculis magna uirtute
ſubijciuntur orationis. Hæc ergo finis confirmationum, de quibus
Refutationus initium. noſtra hęc ſollicita eſt diſputatio. nam refutationes (de his autem
nos ſuo loco dicemus) ab eo loco incipiunt: *Cur igitur uictus eſt?* Atque
» hactenus quidẽ de inficiali ſtatu dixiſſe ſufficiet. Quem ſi pluribus
perſequuti ſumus, conferent ad ea quæ poſtea ſequentur: ut horum
comparatione fiant dilucidiora cætera. Illud tamen nõ uidetur præ
Anacriſis. termittendum, quod à multis præcipitur: Si accuſator petat, à quo
factum ſit: reſpondeatur, uno ex his modis: Neſcio, aut, Tu ipſe feci
ſti, aut Sempronius fecit, dicitur Græcis ἀνάκρισις, id eſt mutua re-
In coniectura non de facto ſolo quæri. ſponſio, examinatio. Illud prætcrea ſciendum, non de facto ſolum
poſſe dubitari: ſed interdum etiam factum conſtare accidit, & quę-
ritur de perſona: interdum conſtat perſona, & quæritur de facto.
ut in illa: Propinauit pharmacũ: alter interijt cum ſignis ueneni. hic
enim perſona nõ uenit in dubium, ſed factum negatur. Ambigitur
quoq; aliquando de uolũtate, conceſsis alijs: ut exempla paſsim oc-
currunt. Ad confirmandum igitur propoſitum in coniectura, ſuſpi
ciones quærentur ex uoluntate & facultate. uoluntatem arguunt,
cauſa, perſona & ſigna: facultatem, uires, diuitię, ingenium. Quibus
ijſdem locis contradictor utetur, ut doceat incredibile: addet pro-
bationum requiſitionem, cauſæ deriuationem, & defenſionem ue-
riſimilem. Quę hactenus de locis probandæ & refutan-
dæ coniecturæ ſufficiant.

Defini-

Definitionis tractatio. Cap. 3.

DEFINITIO autem quædam ponitur inter legales quę
ſtiones:eamq́ꝫ alijs capitibus diuidunt.ut ſi quis Alexan
dri pecuniam,quam apud delubrum Solis in Cilicia de-
poſuerat, ſuſtuliſſet: aut dotem filiarum Cliſthenis Iu-
noni Samię creditam.Hi legis uerbum examinabunt,quod ſacrile-
gos punire iubet. Lege XII tabularũ,ſacrilegi pœnas luebant, qui
ſacro cõmendatum ferrent. Lege autem Seueri & Antonini defini-
tum poſtea eſt,non ſacrilegij,ſed furti actionem eſſe,ſi res priuatę in
æde ſacra ſeruarentur.Itaq; alius oppoſitã legem obtendet,aut uer-
bis legis argumentabitur.Nos uerò ſecuti Hermogenem,nihil inte
reſſe iudicamus inter legalem illorum, & aliam : quoniam ex dicto
omnis definitio deducitur:niſi quòd fortè in legali ſtatim proponi-
tur uerbum legis,definiendum genere ac differentia:in rationali au
tem,factum ſolum.Sed ego perinde equidem duco. nam & factum
& uerbum,eodem modo in utroq; executimus. & hic ab ſcripto ad
negotium, illic à negotio ad ſcriptum progredimur. Diuiditur au-
tem definitio locis plurimum tredecim : non tamen omnibus ſem- *Capita definitionis.*
per. προβολὴ, id eſt petitione , cum ijs quæ ſunt ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέ-
λους,uel τῷ ῥητῷ. Aduerſarius autem opponit τὸν ὅρον,ab ijs quę de-
ſunt,propria exponens quæ ſint rei:nos contrà τὸν ἀνθορισμόν, hoc *ἀνθορισμὸς quid.*
eſt contrariam definitionem, contendentes ea quæ facta ſunt ſuffi-
cere,neq; aliud requiri. Incidit aliquando, ut aliud definiatur ali-
quid:quæ eſt definitio incidens, id eſt ὅρος ἐμπίπτων. Syllogiſmus
autem uoluntas legiſlatoris, quantitas, ad aliquid, continentia, &
communis qualitas,non magis ſunt actoris quàm rei. Voco autem *Actor & reus qui dicantur.*
actorem eum quoq;, qui petit præmium: & reum, qui contradicit.
Quòd ſi alteruter fecerit antitheſin,tum poterit & metalepſis,& an
tilepſis incidere. Philoſophus tyranno perſuaſit,ut depoſita tyran- *Tractatio definitionis ſiue ſtatus definitiui.*
nide,uiuat priuatus: & petit præmium tyrannicidæ.proponet ini-
tiò factum dilucidè ab initio ad finem,non ſine amplificatione,qua-
ſi haſtam manu tenens,quòd ademit grauem & truculentam tyran
nidem.Huic propoſitioni,tanquam ſpeciei applicabit genus,Cum
tyrannicidis maiores noſtri præmium conſtituerint, peto à uobis
illud. Nec aliter in crimine aget accuſator. Verbi cauſa : ſacrilegij
proponet factum, & applicabit genus quod in lege ſcriptum fue-
rit. Dico igitur hunc teneri lege,qua ſacrilegia uindicãtur. Hæc eſt
προβολὴ,id eſt intentio:uulgò eam petitionẽ dicunt. neq; uerò pro- *προβολή.*
priè conſtitutionis caput eſt:ſed argumentorũ propoſitio, & συνέ-
χον. Contradictoris eſt definitio,ſeparans id quod factũ non eſt, *De eodem & altero.*
ab eo quod factum : hanc uocamus uulgò, de eodem & altero. nos
tamen per occupationem eam adferimus, & per diaſtolen quandã

cum contraria definitione:quod factum non eſt,ſeparantes à nomi
Tyrannicida quis. ne,& quod factum eſt,eidem adaptantes.ut,Non eſt tyrannicida is
qui tyrannum occidit (cum ſæpe ex unius morte grauior ſeruitus
populo obuenerit) uerùm hoc eſt tyrannicidã eſſe, adimere tyran-
nidem, & imperiũ populo reddere, quod feci. Hic ergo eſt ἀνθορι-
σμὸς:quem licet dilatare ex circunſtantĳs,ex negocio ipſo,atque e-
xemplis. In dilatanda quoq; definitione uti poterit aduerſarius
his quæ ſequũtur.primùm ea quæ propria ſunt rei definitę,docen-
παρατροπή. do omnia deeſſe:contrà uerò,adeſſe ea quæ repugnãt. deinde παρα
τροπῇ, id eſt inuerſione interrogando aduerſarium, uel nos: An ſi
quis tecum ita ageret,&c.tertiò, exemplis ſimilibus. Si incidat a-
lius finis,nõ aliter exponetur,atq; prior.affertur autem is,cum par-
tes negocĳ definiuntur: ut,quis ſit tyrãnus,quid ſit mors, uel inter-
ficere.erat hic tyrannus,quoniam populum non legibus,ſed libidi-
Interficere. ne gubernabat. item, interficere non eſt uulnus iugulo infigere,
aut thoraci:ſed uitam adimere, hoc eſt actionem omnem in perpe-
tuum.huius generis incidentes definitiones multæ adferuntur pro
Cecinna. Syllogiſmus autem concluſio eſt τοῦ ἀνθορισμοῦ. ideo non
ſeparatur ab eo,ſed unum caput à quibuſdam ponitur.ut, Nihil er
go differt, cum idẽ euenerit ex utroq;, uerbis an armis populũ libe
Syllogiſmus quomodo dilatetur. res. Dilatari autem poterit ſyllogiſmus duabus maximè rationi-
bus:una ab exitu,altera per ἔκφρασιν. prior fiet, ſi exponamus quæ
ſequi ex ipſa cæde conſueuerunt, & quid ſequutum ſit ex ipſa per-
ſuaſione:nempe,idem ac ſi interfeciſſem.ut,Cędem qui faciunt,ple
ctuntur alĳs in rebus: hi uerò, quia liberant patriam, laudantur.e-
go cędem non feci,quæ damnari ſolet:ſed id tantum propter quod
laudari poteſt aliquando cædes. Atq; hinc adhibebimus expoſitio
nem dilucidam & euidentem, eorum bonorum aut malorum,quæ
Syllogiſmi ſolutio. contigere. Soluitur aũt ſyllogiſmus ab aduerſario per metalepſin:
uoluntas legiſlatoris quærenda eſt per coniecturam. Quid aliud
Voluntas legiſlatoris, quomodo dilatetur. ſibi hac lege uoluit Solon,quàm,&c. Dilatatur hoc caput collatio-
ne legum aliarum:diſcutiendis ſingulis uerbis dicti,adhibitisq; cau
ſis probabilibus & æquis,& ut Græci dicunt, εὐλόγοις. Sequitur
Quantitas. Quantitas:Magnum eſt profectò, magnæq; uirtutis opus. Ad ali-
Ad aliquid. quid:Maius etiã,quàm ſi armis factum eſſet:quanto facilius,&cum
minori incommodo reipub. Non ignorandum tamen, hæc duo
capita Quantitatem,& Ad aliquid,contrario modo ab altera parte
Syllepſis. tractari. nam ſi unus auget,alter extenuet oportebit. Continen-
tia Græcè σύλληψις, id etiam complectitur, quod aduerſarius deſi-
derandum cõtendit: Non ſolum ſine tumultu uos liberos reddidi,
uerùm etiam tyrannum eò rerum deduxi, ut penes uos arbitrium
Voluntas. ſit uitæ eius & mortis. Altera uoluntas poteſt deinceps quæri
perſona-

perſonarum omnium.ut,Aduerſarius meam gloriam conatur obſcurare:uos Iudices aliud nunquam magis exoptaſtis:Tyrannus in animo habebat urbem incendere. Antithetica, ut ſi adhibeatur metaſtaſis in aliquem,ſic fiet: Perſuaſit uir mihi ſummæ authoritatis in repub.Sempronius.Iam qualitatem communem inuehemus, uelut contra ſycophantas,aut pro libertate,cum quæſtione epilogica, ex qualitate perſonæ & uoluntate: ut, quæ fecerit,quæ dixerit, quæ facturus fuerit:retorquendo etiam ſæpe definitionem in eum. Atq; hæc ab uno. Alter uero iiſdem planè capitibus utetur, diffinitioni contrariam diffinitionem aut ſyllogiſmum opponens,antilepſi & antitheſi metalepſin:& contrà,quemadmodum facere uiderit ad cauſæ utilitatem. Sunt ergo in primis ſpectanda ſex: Definitio, collectio ſeu par (id nos ſyllogiſmum iam appellamus) quantitas,ad aliquid,uoluntas,qualitas communis. quæ omnia in oratione pro A.Cecinna inuenies,ſępe quidem repetita(quòd una ſolum definitio diſputetur,ſed non admodum diſtincta. Præcipua tamen & princeps eſt de ui:quam cauſam Græci ſolent δίκην ἐξούλης nominare. Verùm quid huiuſce inuentionis ratio poſſet, atque ars, non tantum experiri ipſe uoluit inſignis orator ludens,ut de ſe teſtatur, in Paradoxis:ſed quaſi præſcriptum nobis relinquere, ut eadem ipſi moliri atq; efficere ad exemplar abſolutiſsimũ nõ dubitaremus. quanquam ſanè artem hanc,& inueſtigandorum capitum,quę mea eſt ſententia, non tam demonſtrauit calles, quàm oſtentauit. Quapropter ſi in toto hoc noſtro tam ſedulo propenſoq; labore,quo artem ſine oſtentatione noſtri,ſimpliciter,ſola de ſtudioſis hominib. bene merendi uotuntate lucubramus, non aliud quicquam tradidiſſemus,quàm ut eorum exercitamentorum,quæ cum in erudiendę iuuentutis gratiam eſſent à ſummo artifice cõpoſita,nulli tamen hactenus patuerint, quaſi myſteria quædam à nobis reuelarentur: credere equidem tantam fore hominum ingratitudinem nõ queo, quin ea ſaltem ratione,nõ quidem mihi (cuius animus aliò quidem reſpicit)ſed Lulliorum nobili,etiam me obſcuro,familiæ, plus multo deberi fateantur,quàm Cneo Flauio,qui ius Ciuile,quod inter ſacra ceremonias'ꝑ deorum multo tempore latuerat,euulgauit. tanto enim maius exiſtimari debet hoc beneficium, quanto à prudentiæ documentis plus omnino generi hominum cõmodatur, quàm ab obſeruatione calendarum aut iduum ciuibus tantummodo Romanis. Sed ad Ciceronem. Primum Paradoxum, negat uoluptatem in bonis rebus haberi: idq; à coniugatis. Quòd qui ea maximè fruantur, meliores propterea dici non queant.In ſecundo diſputatur contrariè: dolorem, & ea quæ uulgo putantur mala, mala non eſſe.In tertio par,id eſt ſyllogiſmus exponitur.In quarto,à partibus defini-

Metaſtaſis. *Qualitas communis.*

Status definitiui capita ſex.

Ciceronis oratio pro Cecinna in quo ſtatu ſit.

Paradoxa Ciceronis in ſtatu deefinitiuo. *Autor ſuã commendat induſtriã.*

Paradoxorum Ciceronis præcipui loci.

definitionis(quæ incidens eſt definitio)ſe exulem fuiſſe negat. Pri-
mùm,quia Roma tunc temporis non erat ciuitas:tum,quia exilium
in pœnam ſceleris,nõ propter rectè facta appellatur. & retorquet
argumenta definitionis uiolenter in aduerſarium, appoſita etiam
quantitate priori particulæ. At uide,inquit, q̃ illa latrocinij tui te-
la contempſerim. Iam quintum paradoxum ſapientũ dicto, ſolum
ſapientem eſſe liberum,definit: in'q; expoſitione dicti uerſatur, ſen-
ſum pariter ſuggillans aliarum ſententiarum. In ultimo tractatur
quantitas:rem exiguam & contemnendam eſſe pecuniam, nec ſatis
ad diuitias poſſe facere,ſi ſolæ ſint. Cæterùm in ſingulis eſt conſide
randa definitio propria,aut ſyllogiſmus. Nec enim per omnia du-
cta eſt una definitio:ſed in ſingulis eſt ſua, cum demonſtrando capi
te expoſita:ipſa quidem proprijs & repugnantibus ab imo ad ſum-
mum pleniſsimè: caput autem paradoxi proprium (ueluti διάνοια,
quantitas,par,definitio incidens)ſic introductum eſt,ut rerum dif-
ferentium quod exhibetur exemplar,in rei unius definitionem ob-
ſeruare ſequi'q; poſsis quàm facillimè, & tanquã ex præſcripto (uti
diximus)ſimilia deducere in omni negotio.

Antilepſis tractatio. Cap. 4.

ABSOLVTA qualitas,quam Græcè *ἀντίληψιν* nuncupaui
mus,in tres locos generaliter ac præcipuè diuidi poteſt.
Antilepſis diuiſio. Prima eſt, præſcriptio ex partibus iuſti, & ex perſona:
altera, definitio per omnes ſuos locos: tertius erit ſta-
Tractatio. tus legalis,de ſcripto & ſententia. Thema: Pictor quidam in tabu
la lupos pinxerat epiſcoporum habitu, irruentes in caulas ouium:
& accuſatur hæreſeos. Accuſator propoſitione ſtatim uehementi
& ampla,intentabit quæ in negocio inueniuntur. ea eſt προβολή. ut,
audaci atq; maleuolo animo nefandum populo ſpectaculum atque
impudens cum propoſueris, tanquam hæreticus puniendus ueni-
ſti.Reus,etſi non eodem modo proponit: non tamen ſine omni ex-
poſitione aliquando ingreditur. Vterq; autem exorditur à particu
la iuſti:quæ nunc metalepſis, nunc antilepſis eſt:ut proponere, aut
inficiari contingit.Reus enim ex partibus iuſticiæ excipiet,Non de
bere id reprehendi,quod neq; malum eſt,neq; turpe, neq; prohibi
tum ullo modo.& duas partes iuſti inquiret,naturam & legem. ue
luti, quòd natura non ſit pernicioſum. Lege autem complectimur
conſuetudinem,mores,& artem.Oſtendet itaq;,uel lege aliqua per
miſſum eſſe,uel contra legem eſſe nullam: conſonum eſſe moribus,
conſuetudini,arti. Sed non planè reſpondebit ſimpliciter ac nudè,
licet mihi per conſuetudinem aut legem (id enim tanquam impu-
Circunductionis exemplum. dens reſpuitur) uerùm figura aliqua ſententiæ atq; epichrematis
utens,circunducet & inflectet abſolutionẽ(uerbi cauſa)diuidendo

antithe-

antitheton, hoc pacto: Si pictoribus unquam leges poſitæ fuiſſent, ut nihil niſi ex præſcripto liceret eis ſua arte peragere, poſſes tum quidem ex iſta tua accuſatione tibi aliquid promittere: uerùm cum ea quæ egi, nulla lege aut conſuetudine prohibeantur, quem locum putas habet iſta tua accuſatio? Aut per amplificationẽ, hoc modo: Non me ſolum accuſat iſta tua criminatio, ſed & ciuitatem totam, cui placuit figmentum: & eum ipſum, qui tabulã à me accepit, Semproniũ, uirum grauiſsimum. Sed de expolitione argumentorũ poſtea, libro quarto. Nunc alteram exceptionem à perſona adhibebit: Non debẽt hæreſeos accuſari idiotæ, ſed literati homines & profeſſores ſapientiæ. Quòd ſi res ipſa patitur ut reparari poſsit: ex re ipſa poterit excipere. ut, Si ſcandalo eſſe uidetur tabula, frangatur: quid uerbis opus eſt? Hinc ſequitur definitio: Hæretici quidem ſunt, qui dogmata cõtra fidem, aut doctrinam ab eccleſia damnatam aſtruunt, & errori pertinaciter adhærent: qui honorem ſanctis detrahunt: qui de ſacramentis, & ritibus Eccleſię malè ſentiunt & dogmatiſſant. Sed quid ego? Syllogiſmus hic aduerſarij fiet: Perinde id eſt, atq; ſi de ſacramentis malè ſentires: quia honorẽ detrahens epiſcopis, eorum ſuggillas etiam officia, quorum imminuere conaris autoritatem. Quantitas: Magnum eſt hoc crimen, neq; ſic temerè cuiuis inurendum. Vel extenuabit factum ipſum: Quaſi uerò aliud hinc quàm riſus eliciatur. Cicero per ironiam extenuat: "At uerò mors Pub. Clodij eo ſit atrocior, quòd is in monumentis "maiorum ſuorum ſit interfectus. Ad aliquid: Minus hoc eſt multo, quàm ſi bellum pinxiſſem, aut libidinis aliud exemplum. Accuſator contrà: Magnum hoc, & ſeditioſum: maius etiam, quàm ſi argutijs ac ſyllogiſticis dialecticorum ratiocinationibus diſputares. Voluntas: Volui ſimul & delectare, & prodeſſe. Ridiculum namque eſt, truculentam, ac fraude inſtructam beluam tam graui honeſtoq; habitu ueſtiri. Expoſui etiam quod uulgo dicitur ex Propheta contra paſtores deuorantes gregem. Hæc eſt γνώμη: quæ in finem ſeruari poteſt, ubi erit qualitas communis adhibenda. Antonomaſia ſeu definitio contraria: Quare non hæreſis hoc, ſed potius ſcurrilitas dici poterit, aut quiduis aliud. Syllepſis: Aut ſi mauis, ſimul ſcurrilitatem dicito, & doctrinam. Iam hic locus erit capitibus ipſius antilepſeos, ex rei natura, lege, more, arte, ut negotium ipſum poſtularit: Poſſum, nec unquam prohibitum fuit mea arte, quę alioqui honeſtiſsima eſt, bene uti. cum id quoque de ea celebretur:

"*— Pictoribus atq; poetis*
"*Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.*

Quę uerò ſit cuiuſq; argumenti expolitio, quęre in libro quarto. Huic ſemper accuſator opponit metalepſin: Licet quidem uti, ſed non

Amplificationis exemplum.
Hæretici definitio.
Syllogiſmus.
Quantitas.
Ad aliquid.
Voluntas.
Antonomaſia.
Syllepſis.
Pictorum licentia.
Metalepſis.

Antitheſis. non in perniciem hominū. Antitheſis: Si aliud quiduis pinxiſſem,
non tam facile diſtraxiſſem. Oportet autem me ex mea arte uiuere.
Hæc eſt antiſtaſis. Poteſt & relatio inueniri: rarò tamen alij duo,
quippe qui fateantur crimen: antilepſis autem defendit. Altera
metalepſis contra antitheſin opponitur ab accuſatore: ſed non de-
buiſti hoc modo lucrum quærere. Hactenus depulimus intentio-
Theſeos, id eſt quæſtionis generalis tractatio. nem, & actionem aduerſarij: hic iam diſputanda generalis quæſtio,
quam uocamus theſin, Latinè propoſitum ſeu quæſtionem genera
lem, idq; tam ab reo, quàm ab accuſatore faciendum: utroque eam
partem confirmante, quæ cauſæ ſeruiat, ut, Vtrum artibus liberali
bus quis malè uti poſsit, aut, utrum impediri debeant artifices, ſua
Qualitas. arte ne utantur. Qualitas quoq; communis eſt utriq;: & ex perſo
næ circunſtantijs deſumitur: tum coniectura, eorum quæ aut præ-
ceſſerūt, aut uidentur euentura. Etſi locum habeat quoq; συγγνώμη:
ut, Neſciebam quidem fore id ſcandalo cuiquam: aut certè reſar-
Quæſtio legalis. ciam hoc delictum alia tabula. Quęſtio legalis de dicto & ſenten
tia illic ponetur, ubi occurrerit. quanquam nec ſemper inuenitur.
Conuenit autem ei locus maximè poſt ſyllogiſmū: quam expones,
Antilepſis à ueteribus in ſolis iudicijs poſita. ut poſtea nos ſumus eam diuiſuri. Nos quoq; ſuprà indicauimus
hanc antilepſeos quęſtionem, quam uocamus, non alibi ab antiquis
rhetoricæ profeſſoribus poſitam, quàm in iudicijs. quapropter &
Antilepſeos alia diuiſio. ἀπὸ τῆς ἐξουσίας eam definiebant, id eſt à facultate, & licentia. Sed neq;
tam anguſtis finibus eam tunc contineri exiſtimauimus: & ſuper-
uacuam quoq; eam diuiſionem puto, quam hoc loco faciunt, in ſim
plam & duplicē, aut coniunctā, & ſimiles. talis ratio in prōptu eſt,
ſi aduertas: nec præceptione indiget. Erunt ergo capita huius qua-
litatis poſt paragraphen, definitio, quæſtio de uerbo & ſententia,
quantitas, & ad aliquid, uoluntas, antonomaſia, alia antilepſis, anti-
theſis, theſis, & communis qualitas.

De antitheſi. Cap. 5.

ANTITHESIS à multis dicitur chroma, id eſt color. Sed
Antitheſeos ſpecies. quid propriè color ſit, cum de methodo agemus, decla
rabitur. Hæc autem etſi propria non inuenitur, quoniā
tanquam genus ſpecies ſub ſe continet ἀντίστασιν, μετά-
στασιν, ἀντέγκλημα, & συγγνώμην: tamen unam & eandem ferè metho
dum in omnibus habere deprehenduntur, & ſeſe mutuò omnes e-
Antitheſis loci. ius partes adiuuare. Locis diuiditur nouem, ut exemplo hoc demō
ſtrabitur. Præfectus urbis cum obſidione & fame premeretur, nec
poſſet ullo modo perſuadere ciuibus, ut irruptione facta, ex urbe
hoſtem pelleret, noctu murū perfodit: qua egreſsi fortiſsimi quiq;,
Antitheſis propoſitio. hoſtem fuderunt. cauſam dicit læſæ reipublicæ, & ſtatum facit anti
ſtaſin. Proponet ea quæ acciderunt ab initio ad finem: deinde uo-
luntatem

luntatem ſuam declarabit, qua ſemper in patriam fuit, & quòd læ-
dendi nullo animo id egit. Eſt aũt maximè uolũtatis, id eſt διανοίας,
neceſſaria declaratio in antiſtaſi. In omnibus enim antitheſibus, cũ
ſemper aliquid extrinſecus aſſumatur, primas hic dare oportet uo-
luntati, & prudẽti deliberationi. cumq́ſ ſyngnome & metaſtaſis abſ
que uoluntate propria diſceptent: comparatio & relatio nullo pa-
cto negare audent, data opera atq; ſponte egiſſe. Dilatari autem lo
cis octo poteſt διάνοια. Primus, ſi narrãdo ipſum negotium ab imo *Voluntatis loci.*
ad ſummum, cauſam honeſtam aliquam referamus: Cum ego om- *Narratio.*
nia agerem, ut patria mihi chariſsima ab hoſtis crudeliſsima imma-
nitate liberari poſſet: tandem in mentem mihi uenit, murum ea par
te diruere, qua plus timoris quàm periculi nobis aperiret: ut quod
ſuapte ſponte non audebant ciues, id coacti periculo ſuſciperent.
Alter locus erit, ſi ipſos etiam iudices in eandẽ quoq; ſententiã uen *Communicatio.*
turos fuiſſe dicas. Tertius tollet cauſas oppoſitas, quas accuſator
confinxit: ut in coniectura. Quartò mentem confirmabimus, ex *Cauſarũ remotio.*
qualitate perſonæ primùm, deinde ex facto. Perſonæ quidem: ut, *Qualitas perſonæ.*
Præfectus ego cum ſim, poſteris uolui gloriam hanc relinquere. A'
facto autem: ut, Euentus ipſe docet, quo fuerim animo. Quintus
locus à iudicio populi erga nos: Cum ipſi me ducem ueſtrum elegi- *Iudicium populi.*
ſtis, non ſanè ea de me ſuſpicabamini, quæ nunc iſte comminiſcitur.
Sextus, ab exemplis proprijs: Ego qui meas omnes iam facultates *Exempla.*
pro patria expoſuerim: cui nihil reliqui factum erat, quàm ipſa pa-
triæ & ueſtri omnium beneuolentia, tanquam hoſtis patriæ coram
uobis omnibus accuſor? Septimus, à contrario per πιθανὴν ἀπολο- *Apologia pithana.*
γίαν: Si tantũ nefas patrare uoluiſſem, quid opus erat murum fode-
re? an non facilius erat, hoſtem per murum ipſum intromittere?
Octauus, à neceſsitate: Sed aliter ſalui eſſe non poteramus. Atq; *Neceſſaria.*
his quidem locis dilatare licebit mentem rei. Quam ſequuntur con
tinuò quæſtiones aliæ aſſumptiuæ, ut hic metaſtaſis. Quòd fame ac *Metaſtaſis.*
pudore coactus, ἀντέγκλημα, quòd ciues ipſi parêre ſibi noluerint. *Antenclema, ſiue relatio.*
Poterit & uenia poſtulari, ſi negotium patitur. Quanquam hoc cer
tè factum fortius eſt, quàm ut ſe ſubmittere dignetur ad deprecatio
nem. Quare poteris deprecari culpam, per occupationem: Etſi pro *Deprecatio.*
pter utilitatem, & maximum commodum quod inde accepimus, ſi
delictum tamen aliquod à me perpetratum eſſet, condonare illud,
& ignoſcere deberetis: tamen non ero tam uanus, ut delictum fa-
tear, quod ſummo conſilio, Deoq; propitio & in patriam ſumma
uoluntate perfeci. Eadem uerò arte (per occupationem ſcilicet) *Expletio locorũ aduerſarij.*
locos qui magis pro aduerſario faciunt, explemus ſæpenumero:
nec minus quoq; per ironiam. His opponit accuſator metalepſin:
Debebas quidem patriam defendere, ſed non ſic lædendo. Quin- *Definitio.*

tum caput definitio ponitur,cum ſuis appendicibus: Non eſt hoc
læderc patriam, quod ad commodum patriæ & uitam ciuium tuen
Syllogiſmus. dam pertinuit. Syllogiſmus aduerſario datur. Voluntas legiſlato-
ris examinabitur,ut inciderit. Quantitas:Magnum hoc beneficiū.
Quantitas. Ad aliquid. Ad aliquid:Maius quàm ſi aliter egiſſem.hæc autem tam reo tribu
untur,quàm actori. Violenta definitio:Non eſt hoc murum diruc-
re,ſed potius confirmare. Eadem utitur aduerſarius,ut, Non eſt
Theſis. hoc urbem defendere,ſed prodere,& aperire hoſtibus. Octauum
locum habet theſis,Vtrum præfecti urbium,qua poſſunt arte & in-
genio,tueri debeāt munus ſuum,uel etiam inuitis ciuibus,qui,quid
expediat,ſæpe ignorant:an potius ciuium arbitrio omnia commit-
tenda,Huic opponitur metalepſis: Debet quidem, ſed non incon-
ſultis omnibus, ſaltem magiſtratibus. Contraria eſt antilepſis: Li-
cet mihi ex meo officio,neminē conſulere,ſi uelim:& ita iubet diſci-
plina militaris. Vltimo loco ponit̄,ut in alijs,qualitas &uoluntas,
Epilogica quæſtio. id eſt epilogica quæſtio:in qua quid futurū erat augemus,quis futu
rus reipub.ſtatus. Illud aūt minimè eſt prætermittendū in qua-
Relatio. litate aſſumpta, ubicunq; inciderit relatio, quam Græci ἀντέγκλη-
μα nominant, degrediendum eſſe in communem aliquem locum,
& cum impetu uehementiaq; dicendum. Venia autem plurimum
ſeruatur in finem orationis, ut quæ motum habet. Reliqui omnes,
quicunq; fuerint dominantes in cauſa,in tertio ordine: ut ſi præci-
pua eſt relatio,illic adhibebitur,ubi poſita eſt antiſtaſis in noſtro e-
Antitheticos locos in Miloniana oſtendit. xemplo. Cicero in eadem Miloniana, poſt uoluntatem Pompeij,
tres antitheticos ſtatus poſuit:quorum primus eſt ἀντιστατικὸς,atq;
huius προβολὴ amplificationem cōtinet:primùm ab eo malo, quod
præſens ſublatum eſt:deinde ab eo, quod imminebat. Locus inci-
,, pit:*Nec uerò me,iudices,Clodianum crimen mouet.* uſq; ad illud: *Sed huius be*
,, *neficij gratiam Iudices,&c.* Vbi metaſtaſis initiū capit, & hanc finit qua
,, litate perſonæ:*Nunquam illum reſpublica,&c.* & qualitate rei: *Quo quid*
,, *miſerius?* uſq; ad illud:*Sed iam ſatis multa de cauſa.* Vbi orator iam pero-
raturus,caput infert συγγνώμην: & quaſi forma cadens, ſupplicē ſe
in manus tradit iudicum,ueniamq; petit primùm ex meritis Milo-
nis(quorum enarrationem ipſe eidem tribuit Miloni) deinde gra-
,, tiam eiuſdem proponit: *Nec timet(inquit)ne cum plebem muneribus placa-*
,, *rit,uos non conciliarit meritis in rempub. ſingularibus.* A' uirtute idem quæ-
,, rit: *Addit hæc quæ certè uera ſunt, fortes & ſapientes uiros non tam præmia ſe-*
,, *qui ſolere rectè factorū, quàm ipſa rectè facta:ſe nihil in uita niſi præclariſs. feciſſe.*
,, A' fama: *Sed tamen omnibus præmijs uirtutis, ſi eſſet habenda ratio præmiorū,*
,, *ampliſs. eſſet præmium gloria. De me,inquit,ſemper populus Romanus, ſemper o-*
,, *mnes gentes loquentur.* Addit querelā:*Quamobrē ubi corpus hoc ſit,non labo*
,, *ro,&c.* Atq; ea pro uenia.nos id unū,ubi dixerimus,finem impone-
mus,

mus,non ſolum antitheſi,ſed omni qualitati,quam uocant δικαιολογικὴν: ueniam ſcilicet quatuor locos habere peculiares,per quos du-
Venia quatuor locos habet.
citur:calamitatem,deinde merita præcedentia fauorem, & dignitatem, poſtea innocentiam, quartò promiſsionem uitæ melioris & ſpem non ingrati animi. Sic Virgilius in primo etſi nullum crimen fateretur, *Orantes* tamen (inquit) *ueniam.* &c, “

Troes te miſeri uentis maria omnia uecti. “

Parce pio generi, & propius res aſpice noſtras. “

Non nos aut ferro Libycas, &c. Officio nec te certaſſe priorem Pæniteat. “

Habes hic miſeriam,merita,innocentiam, & pollicitationem. Iam ergo pergamus ad ſtatum metalepticum.

Metalepſis tractatio. Cap. 6.

PRIMO libro definientes capita controuerſiarum, dupli-
Metalepſis duplex.
cem eſſe diximus metalepſim, id eſt exceptionem, perfectam atq; imperfectam. Perfectam paragraphen illam nominamus: hanc exceptionem imperfectam, & paragraphicē Græcè. illa ex aliquo ſcripto protinus depellit actionem: hæc ex circunſtantia. Quapropter illam nonnulli inter ſtatus legales poſuerunt: quoniam nec aliter tractari ſolet, quàm legis alia quæſtio: & continuò ſcriptum ſic excutiendum proponit, ut contigerit aduerſarium contradicere. hoc eſt, aut coniectura dicti & uoluntatis, aut antinomia, aut ſyllogiſmo, aut amphibolia. Nam exceptio omnis ex accuſatione & intentione oritur: quanquam ſæpe etiam is agere uidetur, qui exceptione utitur, Vlpiano teſte. Verùm etſi
Exceptio unde oriatur, & ſit legalis ſtatus.
probetur ipſa legalibus quæſtionibus, non tamen ilico ipſa legalis poteſt dici ſtatus. Non enim diſputat, commiſſum ſit cõtra legem, necne (quod proprium eſt legalium ſtatuum) ſed ex lege contra aliud contendit. Eſto paradigma huiuſmodi: Iuuenis ſtudioſus cum detineretur in uinculis à Rectore Dolanę academiæ, tanquam à ſuo iudice: interea tamen uocatur in ius apud ſenatum à procuratore fiſci. Iuuenis patronum mittit ad ſenatum, qui contra delationem fiſci excipiat peremptoriè, & alterius iudicis eſſe ſe demonſtret. Accu-
Rei & accuſatoris conflictio.
ſatoris προβολὴ erit, Delatum non comparuiſſe: quare peractum eſſe reum eius criminis, ex quo depoſcitur. Patronus cõtrà: Alterius iuriſdictionis eſt iſte iuuenis, à qua etiã uinctus detinetur. quapropter cum nec debeat nec poſsit in hoc iudicio coram uobis ſiſti, iubete, ut deſiſtat accuſator: & hæc mea excuſatio uobis perinde ua-
Comparere per aliũ lege licere.
leat, ac ſi ipſe idem hic coràm adeſſet. Lex enim id probat C. Si ęgrotans. & quinta quæſt. 3. & lib. 9. Cod. adhuc latius. Si accuſator
Scholaſticæ cauſæ cõflictio, & ſtatuum uarietates.
hanc legem dicat nihil ad rem facere: ita ut etiam conceſsis alijs, nihilominus tamen, quia citatus ſit, debere dicat ſiſti: ſtatus fiet negotialis, propriè particula iuris, & diſputandum tunc pro Rectore

fuerit,de uoluntate & ſententia harum legum,ut res ipſa poſtulaue rit.Si neget eſſe ſcholaſticū, ſtatus fiet finitiuus: de quo iam ſuprà. Si fateatur eſſe quidem ſcholaſticum, ſed non debere frui ſcholarū priuilegio: hic ſtatus erit metalepſis. Sed quia talis reſponſio infirma eſt,niſi firmamētum addatur: neceſſe eſt apponat aliquid, unde eum priuilegio arcere poſsit.ut uerbi cauſa: Ipſe idem nolle parêre ſe amplius Rectori dixit,aut extra iuriſdictionē Rectoris commiſit delictum:aut crimen eſt læſę maieſtatis,aut quid ſimile.In quibus ſi primum oppoſuerit,ſtatus naſcetur coniecturalis: An tale quid loquutus ſit? & in alijs pari ratione. Quòd ſi Rector fateatur,nec pro pterea tamen amittere ſe iuriſdictionem ſuam in eum, contendat: ſtatus ille metalepſis cōfirmabitur,non de ſcripto, ſed rationalis,et ἄγραφος:tractanda ſyllogiſmo,fine incidenti, antitheſi, alia metalepſi,antilepſi,coniectura (aut uoluntatis, aut eorum quæ ab imo ad ſummum)quantitate,ad aliquid,theſi,qualitate communi.ut,Perinde eſt ac ſi nihil dixiſſet. neq; enim liberum cuiq; eſt, aut quocunq; tempore,ſuum declinare iudicem. Finitio ab aduerſario ponitur. Antitheſis:Hoc dixit,putās ideo ſe citius liberatum iri. Metalepſis ab aduerſario:Sed non licet ita loqui. Antilepſis:Licet per me. Voluntas:Nunquam ea fuit uoluntas, ut ſe à noſtra iuriſdictione ſubduceret. Poteſt quæri uoluntas principis, qui dedit priuilegia. Quantitas:Magna iniuria inferetur Academiæ. Comparatio:Maior quàm ſi non poſtulatum à nobis, ſupplicio affeciſſetis. Theſis: An ſeruanda eſt cuiq; ſua dignitas & iuriſdictio,an uerò priuilegia principum,in quę omnes iurauimus,cuicunq; illa conceſſa fuerint, decet non obſeruari? nam & reipub.tranquillitas hoc poſcit,& decus noſtræ regionis. Qualitas: Quòd ſi neq; ſtudioſiſsimi ipſius adoleſcentis anteacta uita, nec parentum dignitas, nec noſtra ſolicitudo omnino uos mouet: at ſaltem Academiam,quam omnes matrem profitemini, ne tantum dedecoris ac turpitudinis contrahere ſuſtineatis,quantū certè impēdet.ſublatis enim priuilegijs,quorſum erunt noſtri magiſtratus? quorſum leges? quid opus Rectori purpura? quid facibus? quid illa tam uaria tamq; conferta lictorum multitudine? Sileant ſileant Doctores,claudantur ſcholę,fleant ſtudioſi,imò populus ipſe lugeat,& ciuitas uniuerſa mœrore ac luctu conficiatur. Magnum eſt iudices, minimeq; cōtemnendum, quod populus & ciuitas hæc uniuerſa percipit à literis. Magnum in uniuerſa Germania ueſtrum nomen, propter Academiam: magnū in Italia & Gallia & Hiſpania. Ex quibus tam diuerſis & diſsidētibus moribus populis, quis amplius ad Dolanam Academiam liberos mittere induxerit, ſi non ſuis legibus,hoc eſt ſcholaſticis, & libero homine dignis priuilegijs, ſed cōſuetudinibus regionis & municipalibus

Metalepſis tractatio.

Rectoris Academiæ deſcriptio.

palibus neſcio quibus conſtitutionibus regi nos atq; gubernari au diuerint,&c. Idem planè ductus erit, ſi dicat extra territorium (ut loquuntur) perpetratum crimen. erit namq; ſyllogiſmus: Nihil diſfert, hoc uel illo loco: quoniam ius Rectoris non in regionem, ſed in perſonas fertur. Atq; ob eam quidem inconſtantiam uariè ſenſerũt ueteres de genere huius cõſtitutionis: quia reuera nunquam dominatur. Illud autem in uniuerſum ſcire conuenit, eam in omnem ſtatum incidere: qua & antilepſis & antitheſis ſoluuntur, uti iam diximus, ſed diuerſo modo. nam antilepſin euertit per ἀντίστασιν & ἀντιπαράστασιν: ἀντίθεσιν uerò, nõ aliter quàm reprehendendo circunſtantias. Inuenitur etiam in exordijs frequens paragraphe. Facit enim duas illas partes exordij, quæ dicuntur πρότασις & ἀπόδοσις. ut, Iuſtum quidem eſt Alexandrũ omnium honore afficere, ſed nõ diuino. Etiam paragraphe, omnis inſinuationis quoddam ſpecimen gerit.

Metalepſis in omnibus ſtatibus.

Metalepſis exordia, & loci.

Tractatio ſtatus legalis, de uerbo & ſententia.
Cap. 7.

EXPLICATIS locis atq; capitib. ijs quæ excutienda ſunt in ſingulis quæſtionibus logicis (ſic Græcè quatuor illas appellarunt, coniecturam, finitionem, antilepſin, & antitheſin: nam & metalepſin ex dicto nonnunquam conſiſtere exiſtimabant) proximum eſt, ut in legalibus quoque eadem perquiramus, quæ illas quæſtiones proximè ſequuntur. Dicuntur autem legales, & etiam legitimæ, ad Herennium: non quòd de legibus diſputent ſolum, aut plebiſcitis (nam & cum de teſtamenti ſententia inquiritur, per hunc locum ducuntur argumenta) uerùm ideo legales dici uoluere, quòd in controuerſiam adducunt ſemper alicuius dicti ſenſum, ſicut fieri ſolet in lege. itaq; nõ aliunde nomen ſortitæ ſunt in foro, niſi propter ſummam legum inter omnia pronunciata uim atq; autoritatem. Omnes autem huiuſmodi quæſtiones utcunque fieri contigerit, in eum tandem ſtatum deuoluuntur, in quo uidetur ſcriptoris uoluntas cum ſcripto diſſentire, etſi non eodem omnes tramite incedant, nec eadem in eodem ſtatu nobis ueſtigia omnes demonſtrarint præceptores. Præcipua ergo primi ſtatus legalis capita ſunt, προβολὴ τοῦ ῥητοῦ, cum deductione generis ad ſpeciem. idq; ab eo fit, qui dictum contra uoluntatẽ tuetur. nam qui uoluntate nititur (quæ partes plerunq; rei fiunt) propoſitionem eandem adferet, ſed paragraphicè ex ijs quæ ſunt ab imo ad ſummum. Alterum caput eſt uoluntatis coniectura, quam duplicem facit Hermogenes, rei & legiſlatoris. Videtur tamen propria eſſe legiſlatoris, quoniam reus ſuam uoluntatẽ paragraphicè inferet, occupando: non quid ſcriptum ſit, ſed quid fecerim, & qua

Logicarum quæſtionũ genera.

Legales ſtatus cur dicti.

Legales quæſtiones ſcripti & ſentẽtiæ omnes.

Legalis ſtatus capita.

Hermogenis de uoluntate opinio.

Voluntatis legislatoris loci. mente, inſpiciendum eſſe. Volũtatem autem legislatoris & mẽtem tribus modis inueſtigabimus: ex uerborum interpretatione (quæ Varroni dicitur hiſtorica) ex partibus omnibus circunſtantię (quę etymologica eſt) & ex aliarum legum & locorum collatione, quæ *Voluntas legis definitur.* analogica. Eſt autem uoluntas legislatoris aliud nihil, quàm æquitas: id eſt ratio & cauſa, propter quam is legem condidit. quare ex circunſtantijs inueſtigatur, ut quo tempore, quo loco legem tulerit, propter quem. Ex analogia conferemus alias leges noſtræ ſimiles uel diſsimiles, unde mentem hanc fuiſſe conſtet. Ex uerbis, ſi aliquod ſit in lege, quod declarare ex ui propria poſsit, aliam fuiſſe mentem legislatoris, quàm dicat aduerſarius. aut ſi ea ponerentur in lege uerba, quæ nequirent obſeruari, in ſua ui ac proprietate ſermonis accepta. Nam ſi ſcriberetur: Qui nocte cum ferro fuerit deprehenſus, alligetur: ex uerbo Deprehenſus, ſatis liquet, non de alio ferro dictum intelligi, quàm de telo. Verba quoq; nequeunt obſeruari in hac: Filij, parentes alant: ſin minus, exhæredentur. nam infans filius nequit parentes alere. Deniq; commodior ſenſus uerborum ſequendus erit: ut in amphibologię ſtatu paulo pòſt. Tertium caput eſt definitio, uel (ut magis propriè loquar) indiſtinctũ. Hoc Græci dicunt, τὸ μὴ προσδιωρίσθαι. Alter eam legislatoris fuiſſe mentem contendit, quæ uerbis exprimitur (non aliam) quòd ſimpliciter loquutus fuerit. Si enim aliud ſenſiſſet, aliquid uerbis additum uoluiſſet. Huic ſyllogiſmus opponitur: quòd perinde refert, hoc aut illo modo ſcribatur, cũ de rei æquitate palàm cõſtat. Cõtrà uerò accuſator, ſi poteſt id etiam conſequi, uerba ipſa æquitate niti, uti ſcripta ſunt, aſſeret, nec aliter potuiſſe melius rem dici. Atq; hoc *Syllogiſmo contraria definitio.* loco utriq; litigantium occaſio ſe offert laudandi legislatoris. Syllogiſmo quoq; contraria eſt definitio: & poteſt, etſi non in eandem rem, tamen ex diuerſis rationibus & circunſtantijs, tam ſyllogiſmus q̃ definitio utrinq; adhiberi. Quartũ ex generali qualitate ſumitur: ut antitheſi, metalepſi, uel antilepſi. Et quidẽ antitheſi, uel per cõparationem, uel per translationem, uel remotionem: ut fuerit ex uſu. Sequitur comparatio, id eſt quod ſæpe ad aliquid nuncupauimus. Hic factum cum eo conferimus, quod ſcriptum eſt: quod inquam prohibitũ, uel permiſſum eſt lege. ut, In eo qui murum peregrinus aſcendit, magis laudandum id quod factum eſt dicemus, quàm ſi incola quiuis idem fuiſſet auſus. uel magis profuit ciuitati hoc facinus, quàm cuſtodia murorum ex lege. Iam ab utraque parte fieri o*Violenta definitio.* portet uiolentam definitionẽ, atq; inuerſam. ut, Non hoc eſt legem tollere, ſed cõſtituere: nõ præuaricari, ſed ſeruare. Sequitur theſis: Num ſemper ſit uerbis ac ſyllabis inhærẽdum, cum ſint complures leges iniquæ, ſi ex ui uerborum interpreteris? Aduerſarius contrà,

Sanctas

Loci cõmunes ex iure ciuili pro æquitate.

Sanctas decet atq; illibatas eſſe leges: quæ certam ſemper habuere interpretationem: non eſſe mutanda, niſi uolumus feneſtram omnibus interpretamentis & ſophiſmatibus aperiri: non omnium quæ à maioribus occulta aliqua ratione aut pro tempore iuſſa ſunt, cauſam quæri oportere. Alter, benignius leges eſſe interpretandas in ambiguis: & calumniatores dicet, malignosq; iuris interpretes, qui ſyllabas & uerborum apices uenantur, omiſſa æquitate: nihilq; aliud eſſe legi fraudem facere, quàm quæ ad hominum utilitatem inuenta ſunt, ad eorum interitum perniciemq; cõuertere. nam niſi ex æquitate & uſu reipub. ſcriptum metiaris, legislatorẽ facies iniuſtum, aut certè ſtultum: quippe quem aut iniqua conſcripſiſſe conſtet, aut inutilia. Huc referes quę habentur in Digeſtis de legatis tertio, l. non aliter. Contraria theſi eſt metalepſis, nõnunquam etiam antilepſis. Et interdum quoq; coniectura: quæ ſi inciderit, tractanda erit ſuis legibus. Vltima eſt qualitas communis, hoc eſt criminationes perſonarum, uoluntatis. coniecturæ eorum quæ futura ſunt, loci cõmunes: quòd ęquitatis ratio maior habenda, quàm uerborum: quandoquidem qui ſcriptum legis, quæ ad ſalutem hominũ inuenta eſt, ad ſeueritatẽ & duriciẽ contorquent, perinde faciũt ac qui bonis & ſalutaribus medicamentis ad perniciem ęgrotantiũ abutuntur. Vnde enim illud, Summum ius ſumma iniuria: immò ſummã crucem uocat Columella. Profectò nihil uerius quàm quod Cicero pro Cecinna: Si uerba inter nos aucupabimur, domiq; imperium domeſticum nullum erit, ſi ſeruulis hoc noſtris cõceſſerimus, ut ad uerba nobis obediant, non ad id quod ex uerbis intelligi poſſit, obtemperent. Ergo tractabitur quęſtio de uerbo & ſententia. Primùm uoluntate legislatoris, deinde diſtincto uel indiſtincto, poſt hæc ſyllogiſmo, tũ qualitate generali, comparatione, uiolẽta definitione, theſi, & qualitate communi. Quæ capita non ſolum hic, ſed in aliis quoq; ſtatibus legitimis obſeruabuntur.

Summum ius ſumma iniuria.

Antinomiæ tractatio. Cap. 6.

Antinomia cum ſententia & uerbo cognatio.

CONTRARIAE leges plurimum ad negotiales quæſtiones referuntur: propterea quòd ſemper alterum ſcriptũ interimendum ab utraque parte uenit. Habet autem antinomia eaſdem argumentorum aggreſsiones, quas in uerbo & ſententia deduxi: ſed geminata omnia. ut duo uerba, duas ſententias, duos fines. Nam quemadmodum illic contra uerbum pro ſententia dicitur, uel contra ſententiam pro uerbo: ſic in antinomia contra uerbum unius legis, pro ſententia alterius: & contra ſententiam unius, pro uerbo alterius. Sed cauendum à communibus argumentis, & iis quæ cõuerti poſſunt. adeoq; id obſeruandum, ut niſi ſumma arte ingenioq; adducatur id quod ſuprà diximus

mus τὸ μὴ προσδιωρίσθαι,tum etiam definitio,ac ſyllogiſmus:quoniã
diuerſæ parti par eſt omnino eorum facultas,atq; εὐπορία: præſtite
Antinomiæ capita ſex. rit prorſus non attigiſſe,quàm àduerſario tela ſubminiſtrare. Di
uiditur antinomia capitibus proprijs quidem ſex: ſcripti duplici
propoſitione, fine, διανοίᾳ, comparatione legum, comparatione
qualitatum.Inueniuntur autem generales qualitates promiſcuè(ut
in alijs) tum theſis & communis qualitas. Lex: Abdicatus nihil ex
Antinomiæ tractatio per locos ſeu capita. bonis habeat paternis. Alia lex:Qui in naui remanſerit in tempeſta
te,nauim habeat. abdicatus remanſit in naui paterna,eam'que petit
ex lege. Propoſitio fiet ab imo ad ſummũ, cum accõmodatione le-
gis.ut,In ſummo periculo,non immemor legum patriæ, ſed ſtudio
quodam naturali in res paternas impulſus, nauim conſeruaui: pe-
to igitur, ut nauim legis munere mihi decernatis. Alterius legis
propoſitionem aduerſarius infert,cum mediocri alterius reprehen
ſione,aut legis,aut legiſlatoris,aut aduerſarij: ſed obliquè aliquãdo
per amplam & apertam laudem, multis digreſsionibus ex legum
æquitate & occupationibus. Tertius locus definitioni datur:Nõ
erat nauis hæc paterna amplius,ſed procellæ ac fortunę.Sententiæ
legum ab utroq; exponi debent cum laude legiſlatoris (ut in pro-
ximo ſtatu diximus)ex cauſa ſcribendæ legis,alijsq; circunſtantijs:
tum ex uerbis ipſis,ut,ſi ea uerbis concepta eſſet ijs,quæ aut nequi-
rent iuxta uim propriam obſeruari,aut mẽtem legiſlatoris facilè in-
nuerent,atq; indicarent:ut hic ex perſona(nunquam enim tanto o-
dio filium pater proſequatur, ut nullo unquam tempore aut ratio-
ne eum cupiat ad hæreditatem bonaq; paterna accedere)ſed hoc e-
git,ne abſq; uirtute, per ignauiam partis à ſe multo labore facultati
bus,frueretur,ingratus aliquando & inſolens adoleſcentia filius.a-
lioqui enim quis non gaudio nunc exiſtimet futurum fuiſſe patri,
Legum contrariarum comparatio octo modis fit. tam fortem ſi uideret & ſtrenuum filium? Legum comparatio o-
cto modis fieri poteſt: ſed nunquam ea incidit, niſi diuerſæ inter ſe
leges committantur. ubi enim ipſa ſecum una eadem'q; lex pugnat
(quod nõ rarò cõtingere, primo libro declaraui) omiſſa legũ com
paratione, ad eam tranſmittimur, quæ eſt qualitatis ac rei. ſunt'q;
ambo negociales ſtatus, ut infrà declarabitur. Conferuntur ergo leges
inter ſe primùm, utra eſt antiquior: ut eſt apud Liuiũ lib.9. aut ma-
gis obſeruari ſolita. nam licet lege XII tab. quodcunq; poſtremũ
populus iuſſerit,id ius ratumq; eſto: tamen Appius Claudius ſecun
dum legis antiquæ diſpoſitionem cenſuram geſsit cõtra legem Æ-
miliam quæ ultima erat: cõtradicente P.Sempronio Trib. pl. & in-
dignè ferente. Deinde utram ſapientior legiſlator condidit. nam
duæ leges, quæ decem additæ fuerunt, ſi prioribus decem repugna
rint: propter Decemuiros qui eas addiderunt(quorum tyrannis
populum

populum in Auentinum montem coegit) certè antiquioribus cedere, & illis quas ſapientiſsimi Græci condiderant oportebit. Sapientiorem præterea uoco non ſimpliciter, ſed in ea re quam tractat. nam Hippocrate nullus mortalium fuit ſapientior. Hic tamen cum negat ultra decimum menſem mulierem ferre, non maioris erit autoritatis, quàm legislator, qui poſthumum etiam uſq; ad undecimum menſem ad hæreditatem admittit. Tertiò, utra ad rempub. pertineat, aut ad priuatas utilitates. ut in noſtro themate, præponendam legem reipub. contendet, ei quæ ex priuati hominis teſtamento dependet. Quartò, utra de rebus maioribus caueat: ut ſi de dijs, de religione, de maieſtate: Magis expedit ut ſaluentur nauigãtes, & ipſa nauis, quàm ut uoluntas unius hominis impleatur. Quintò, utra agat de præmio, aut de pœna: prorſusq; inſpiciendũ, utra prohibeat, permittat, aut iubeat. Quoniam maior eius autoritas eſt quæ præcipit, quàm quę permittit. quod imperatur, neceſſarium eſt: illud quod permittitur, uoluntarium. Quare filium tyrãni non obtinebit Thebe, quæ Alexandrum tyrannum occiderit: nec uir fortis deſertoris uitam poſtulabit, quia poſſunt alia præter hæc peti. Et maior rurſum eius quæ prohibet, quàm quæ iubet. nam ſæpe ea quæ uetat, quaſi exceptione quadam corrigere uidetur eam quæ iubet: & quod iubetur, cum bonũ ſit, malè fieri tamen poteſt: quod per ſe prohibetur, non alia ratione prohibetur, q̃ quod malũ ſit. ut, Tyrãnicidę ponatur ſtatua in gymnaſio: Mulieri ne ponatur ſtatua in gymnaſio. Sextò, utra honeſtior, utilior, aut magis neceſſaria patriæ. ut, Vir fortis quod uolet poſtulato: Tyrãnicida quod uolet poſtulato. ambo eandem optant puellam. Vtilior reipub. tyrannicida, quàm uir fortis. idq; ex cauſa quæri poteſt: ut pro legibus, & contra leges, in pragmaticis dicetur: honeſtior lex reipub. quàm illud patris teſtamentum, in quo & patris odium & filij uitia reuelantur. Spectandum præterea eſt, utra ſit generalior. Sic antiquata fuit lege Ælia Sentia, ea quæ in XII tabulis latiſsimè loquens iubebat, Vti quis legaſſet, ita ſuę rei ius eſto. Et alia: Qui libe ram dandę libertatis facultatem præbebat: quoniã in fraudem multa fieri ex his legibus poterant. Quare quæ magis definita eſt, magiſq; particularis, & in parte loquens, eam decet magis obſeruari: quod ad cauſam proprius accedere uidetur, & ad iudicium magis pertinere. ut, Furta nocturna uigiles urbis de ſuo luãt. inde ſtatutũ aliud, Furta nocturna ciues præſtent. Hic ſtatutum inferius ex priore interpretabimur (etſi poſterius ſit) ut ciues in eo dicantur, qui qua nocte furtũ factum eſt, in uigilia erant urbis: quoniã uigiles ijdem quoq; ciues ſunt. Sic nauis in bonis paternis continetur: & de ea tanquam re certa loquitur altera lex: cum altera in plura & com-
muniter

Hippocratis ſententia de mulieris utero.

Lex Aelia Sentia.

muniter lata ſit, omnia bona paterna. Comparantur deniq; leges τῷ περιέχοντι, id eſt continentia: utri minus derogetur ſeruata altera. atq; id maximum, & in primis obſeruandum in hoc ſtatu antinomias, quanquam non parum difficile inuentu. id autem eſt, cum una in altera ſic cōtinetur, ut ſeruata una, reliqua non pereat, ſed contrà, ita ut utraq; quodammodo ſeruari adimplerią; poſsit. ut ſi uir fortis impunitatem deſertoris optet: contradictor τῷ περιέχοντι in hunc ſenſum obſiſtet: Nō occiſo deſertore, tota lex tollitur: eodem occiſo, reliqua eſt adhuc optio uiro forti. Sed non multum differt continentia à proximo capite. Poteſt enim ad illud referri: cum generalior ſit optio uiri fortis, quàm deſertoris uita: & ciuium, quàm uigilum, nomen latius. Quocirca ad generalitatem reſpicientibus, facilis inuētu fuerit cōtinentia. ut hic: Si nauim aſſequor, ex alijs bonis nihil peto: Si naui careo, iam omnino uana erit lex. Comparatio qualitatum, quam fecimus ultimam, de facto erit, & uoluntate. ut, Vtrum ſit utilius, utrum humanius: uel, Vtrum oporteat magis humanitatem in hac re præſtare, quàm uindictam ſumere. Ad hęc perſonarum comparatio addi debet & coniectura eorum quæ futura ſunt. Sic capita inuenio, duplicem propoſitionem, finem, διάνοιαν, comparationem legum, comparationem qualitatum, & theſin.

In antinomia quid maximè obſeruandum.

Syllogiſmi tractatio. Cap. 9.

Syllogiſmi partitio ſiue loci.

SYLLOGISMVS diuiditur propoſitione, ſyllogiſmo, uoluntate ſcriptoris, quantitate, uiolenta definitione, comparatione, qualitatibus generalibus, coniectura uoluntatis aliorum, theſi, qualitate communi. Lex: Ne cui liceat in comœdia ciuem nominatim proponere. Poeta neminem nominat, ſed habitu & imagine eum oſtēdit ciuem, quem cupit carpere. προβολή: Ciues lædis contra legem. Syllogiſmus: Nihil enim differt nomine me traduxeris, an alio quouis modo. Hoc autem caput (ut in definitionibus dixi) nunc à ſimili, nunc à contrario, nunc à comparatis, ſæpe à conſequentibus accipitur. Reus hic definitionem tuetur. Voluntas legiſlatoris: Noluit ut populo patefierēt uitia priuatorum hominum. Alter contrà: Noluit ut ad poſteros monumentis tradita peruenirent. Quantitas: Tanta eſt hæc contumelia, ut in publicum prodire iam non audeam. Violenta definitio hic firmiſsima eſt: Quid hoc aliud, quàm me nominatim oſtendere? Comparatio: Imò grauius id multo eſt, quàm ſi me de nomine cōmpellaſſes. Cum enim paucis de nomine notus ſim, quàm plurimi iam ex imagine me agnoſcūt. Qualitates generales: ut ex capitibus finalibus uſuuenerit, iuſtum eſſe, aut utile, aut honeſtum, &c. ut, Incōmodum hoc eſt, non meum, ſed reip. Cōiectura uoluntatis, quo ſit animo factū. Theſis: Vtrum oportet, ut ſimilibus legibus uindicentur

Syllogiſmi tractatio per locos.

centur

centur ſcelera, ſi propria non exiſtat. Sicut medici, cuius uim in uno cognitam morbo habent, illud idem pharmacum ad infinitos cognatosq́ morbos adhibent: ſic quod in uno dictum factum'ue eſt negotio, ad cætera trahi debet, quę communionem rationis ſocietatemq́ conſequuntur. Nam nec unquam uiſus eſt tam prouidens legislator aliquis, qui omnia omnium crimina, quæ planè innumera ſunt, exiguis tabulis uerbisq́ paucißimis complecteretur: ſed iudicium hoc prudentiæ relictum uoluerunt, ut ex ſimilibus ſimilia iudicari poſſent. *Similia ſimilibus iudicantur.* Lex enim uſum & autoritatem fundi iubet eſſe biennium: at utimur eodem iure in ędibus quę in lege non appellantur, huic ſeruiet lex illa, Nō poſſunt. Digeſt. de legibus. Qualitas communis: Si patimur hæc in ciuitate, neceſſe eſt repleantur omnia odijs, diſſenſionibus, ſimultatibus, ac cædibus. Eadem itaq; diuiſio ferè eſt ſyllogiſmi, quæ definitionis: ſolùm capita ordinem immutant. *Syllogiſmi & definitionis eadem diuiſio.* Reus ergo ſemper contra ſyllogiſmũ definitionem opponet, nempe quod plurimum intereſt. Reliqua etiam capita arripiet non minus quàm accuſator: præcipuè generales qualitates, antilepſin, antitheſin, & metalepſin.

De ambiguitate. Cap. 10.

SICVT analogia conſtat ſyllogiſmus, ſic ambiguitas tolli hiſtorica expoſitione debet. Nec immeritò uſus Varro eſt ea uoce. nam ſine cognitione antiquitatis, quis omnino legem illam XII tab. intelliget? Si ſtatus dies ſit, cũ hoſte uenito: pro eo quod nũc diceremus, Si dies iudicij cauſa peregrino condictus fuerit, cum eo uenito? Ergo amphibologia ſeptem locis tractatur: propoſitione, ſententia, comparatione, continentia, qualitatibus generalibus, theſi, qualitate communi. *Amphibologiæ loci, & tractatio.* ut, Teſtamẽto pater iuſsit poneres in foro ſtatuam auream haſtam tenentem: tu uerò ligneam poſuiſti. Sententia ex circunſtantijs perſonæ uel rerum, uel loci, ex dictis & factis alijs: ex æquitatis partibus. ut, Vis illa auri, quam tibi legauit pater, ſufficiens argumentum eſſe poteſt uoluntatis eius. Ex uerbis: ut, Multum differt, hoc modo locutus ſit, an alio. dixiſſet enim ſtatuam haſtam auream tenentem. Et ſi ſic uerba intelligas, abſurdum quiddam ſequeretur, quemadmodum in illa: Meretrix coronam auream ne habeto: ſi habuerit, publica eſto. Meretricis enim nulla poteſt reipublicæ eſſe adminiſtratio, ſed auri. Comparatio: Etiam ſi auream facias ſtatuam, minus adhuc egeris, quàm par ſit. Continentia: Si fortè ſolam haſtam intellexiſſet pater, non contradiceres teſtamento, conflata ex auro integra ſtatua: nunc, quando auream uoluit totam, pugnas certè cum teſtamento, facta lignea. Qualitates. Antitheſis: Debes compelli, qui ex tantis facultatibus nihildum egeris, &c. theſis: Decet ut

naturalem

naturalem rectumq́ꝫ & uſitatum loquendi modum ſequamur: uel, Decet ut æquitatē magis ſequamur, quàm ſermonis uim, cuius ſæpenumero ſcriptor ſecurus eſt, ſæpius quocꝫ imperitus. Et quæ in leg. ueteribus. ff. de pactis. Epilogica quæſtio: ut contra ingratitudinem, contra auaritiam, contra perfidiam. Sed, ut uidetur, ſatis hactenus exercuit capitum diuiſio, tractatioq́ꝫ ſtatuum, qui non de re in uniuerſum, & (uti dicitur) in ſubſtātia, ſed adhibita perſona & quaſi præſente reo diſceptātur. Quare finis hic ponatur tractandis quæſtionibus iuridicialibus: ſequentia huius libri ſeruient pragmaticis & moribus.

Negotiales quæſtiones: & primùm legis ferendæ capita atq; abrogandæ quomodo tractantur. Cap. 11.

Negotialis genera duo. NEGOTIALIVM quæſtionum uti capita & tractationem intelligamus, reſumendum id eſt quod ſuprà duo genera earum fecimus: quorum alterum in dicto, alterum extra dictum eſſe dicebamus. illi nomen tribuimus ἐλέγχων ἀπαίτησιν: in quo uel contra legē dicimus, uel pro lege: contra præiudicia, uel pro præiudicijs: contra tabulas, contra teſtes, contra rumorem, tormenta, iuſiurandū, & quæcunqꝫ ſigna aut prodigia, quę ad rei alterius confirmationem adhibentur. Contra legem dicere, quid. Quoniam uerò contra legem dicere nihil aliud eſt, quàm legem abrogandam eſſe contendere: etſi propriè nō de probationib. ea quæſtio ſatagere uideatur, quoniā tamen non aliter hæc materia tractatur, quàm ſi ad rei alterius confirmationem aſſumpta eſſet lex: cum tamen frequentiſsimè in adminiſtranda repub. ueniat diſputanda, ubi de hac quæſtione præceperimus, de alia præceptum eſſe exiſtimato. Legis abrogandæ capita. Nam aliter non poteſt lex abrogari, quàm reprehenſa: neqꝫ aliter reprehendi, quàm ſi abroganda eſſet. Dupliciter autem lex impugnatur: uel tota, uel in parte. & rurſus, uel per aliam legem quæ rogatur, uel per ſuffragium legi contrarium, quo legi non paretur ad tempus. ut cum cepiſſet Philippus Helatiam, cenſuit Demoſthenes capienda arma e ueſtigió: quanquam lex tribus diebus præciperet deliberandum eſſe de ſuſcipiendo bello. Hic enim cōtra legem trium dierum peroraſſe oportet Demoſthenem, & pragmaticè diſputaſſe. Sed quæret aliquis non abs re, quó nam differūt ſtatus legitimi à pragmaticis qui de ſcripto fiunt? Videtur enim eadem ratio. nam qui ſe lege tuetur, is legem commendabit: cui lex uidetur contraria, is contra legem dicet, ſi poſsit. Hanc difficultatē Syrianus optimè diſcuſſit exemplis ſingulorum ſtatuum. Sed unum nobis ſufficiet de uerbo & ſententia, ubi prohibetur ne peregrinus murum aſcendat. Poſteaquam peregrinus murum aſcendit, & cōtra legem feciſſe diſputatur, nec licuiſſe dicimus: tunc ſtatus eſt legalis & iuridicialis. Sed ſi ante-

ſi antequam aſcendiſſet murum, quæſiſſet an liceret ſibi aſcendere,
tum quæſtio fuiſſet pragmatica. diſputatur enim per capita finalia,
an lex illa ſit utilis, iuſta, poſsibilis, legitima: an uerò emendanda tan
quam iniuſta, inutilis, impoſsibilis. Sic non ſine cauſa Hermogenes
ad futurum tempus retulit ea genera. & pari proportione de cæte-
ris iudicabis. Legem itaq; abrogandam cenſebimus, uel minimè *Legis abro*
probandã, his capitibus: paragraphica primùm procataſtaſi: dein- *gandæ capi*
de, capitibus extremis: poſtea, uoluntate legislatoris, quam lauda- *ta.*
re oportet, aut reprehendere: uoluntate aliorum, definitionibus, &
ſyllogiſmis, communi deniq; qualitate. Locum ergo paragraphes
tenebit procataſtaſis, quæ quoddam eſt ueluti præcurrens certa-
men, ex prænarratione aliqua conſiſtens. ut, ſi dicas, nunquã debu-
iſſe legem hanc in mentem ueniſſe alicui, ne ea quæ propter illam ac
ciderunt, aliquando eueniſſent. Aut iam olim debuit abrogari hæc
lex, antequam iſta accidiſſent. aut ſi iuſta aliquando fuerit, iam o-
lim abroganda erat, cum nihil adferret commodi, aut debuit legiſ-
lator hæc & hæc proſpexiſſe: aut fuiſſet olim condita à ſapientiſs.
fundatoribus noſtræ ciuitatis, ſi utilitatis quippiam habuiſſet iſta
lex quam rogare cupis. Contrà uerò qui nouam rogat: Olim o- *Ferendæ le*
portuit iam legem hanc conditam fuiſſe, quia ea acciderunt quæ *gis ratio,*
prohibuiſſet. nec ulla unquam debet ſine exordio atq; inſinuatione *tum Locrẽ*
lex ferri, ſi uerum eſt quod Plato hac de re præcepit. nõ enim ui aut *ſium in eo*
minis, quod tyranni, ſed rationibus & æquitate, quod magiſtri eſt, *mos.*
autoritatem obtinebit. Quàm uerò periculoſum reipub. ſit rogan-
darum abrogandarumq; facilitas, exemplo Locrenſium docet De-
moſthenes contra Timocratem: apud quos nouæ legis repertor
laqueo ceruici adligato pro concione legem recitabat: & ſi ea pla-
cuiſſet, ferebatur quidem, ſed ipſe nec laude nec præmio affectus re
cedebat: ſin uiſa eſſet pernicioſa, aut inutilis, aut ſuperuacua, aut e-
iuſmodi quæ perferri non deberet, eo ipſo laqueo quem geſtabat
ſuffocaretur. Ergo ſine præfatione non rogabitur lex aliqua, neque
abrogabitur: quanquam abrogandæ præfatio minus neceſſaria eſt,
quòd multis modis antiquari poſsit, inconſultis etiam ciuibus.
Ergo extrema capita propria negotialium ſunt omnia, & ſubin-
de repetenda, pro ratione diuerſarum perſonarum: huius autem
obſcurum, & repugnans ſibi alijs'que legibus magnæ autoritatis.
item inhoneſtum (id eſt iniuſtum, impium, indecens) & demum
inutile. cum exitu, & (ut uocant) παρεκτάσει, atq; comparatione alia
rum legum. Quòd uana, ocioſa, ut cuius uim aliæ leges iam obti-
neant: nec aliud, quàm quod ab alijs cautum ſit, caueat. Quòd difficilis,
impoſsibilis: in quibus omnibus diu commorandum eſt, ut inuti-
lis appareat, & iniuſta. idcoq; non prætermittenda legis interpreta

tio,quam dicimus παραλφρασιν. Voluntas legiſlatoris ab ſingulis uerbis conijcitur,& reprehenditur uel laudaẽ: tum ex tẽporis loci circũſtantijs,ut ſuprà duximus.uoluntates quoq; aliorũ,prout contigerit, ſuggillabuntur. Definitio in ſingulis uerbis fieri poteſt. Cõmunis qualitas contra leges inutiles cũ expoſitione euidenti eorum quæ futura impendent. Nec aliter quidem ferendæ contradicitur,quàm abrogandæ:niſi quòd in illa uehementius inuehimur in legiſlatorem, nec eadem illa procataſtaſi utimur, Oportuerat olim:quia nihil eſt præteritum,quod præ narratione afferamus. Vide Ciceronis duas & dimidiatam cõtra Rullum,de Lege agraria,& de abrogãda lege Oppia apud Liuiũ lib.4.Deca.4.Sed placet exemplũ ab Arriano hiſtorico ſumere, quod omnia capita inducit paragraphicè. Cenſebat Anaxarchus, Alexandro deuicta Perſide, atq; India ſuperata,diuinos honores decerni,deberi:Calliſthenes diſſuadet in hunc modum. *Primùm paragraphe cum definitione.* Ego uerò,Anaxarche, Alexandrum nullo prorſus honore humano indignũ cenſeo:cæterùm diuini atq; humani honores diſtincti ſunt. Ad Deos pertinent templa,ſtatuæ, luci, ſacrificia, libationes. rurſus hymni Deorum ſunt, laudes hominum. homines à ſalutantibus oſculari mos eſt:Diuinitas autem,quoniam in ſupernis ſedem habet,neque fas eſt ab hominibus eam contingi, propterea adorando colitur. *Cap. finalia.* Non decet itaq; hæc confundi, & Deos iniuria afficere. quod fiet,ſi Dijs & hominibus par honor tribuatur. *Voluntate Deorum.* Neq; enim pateretur Alexander,priuatum hominem honores regiæ maieſtati debitos, ſuffragijs illegitimis uſurpare. Quapropter magis par eſt indignari Deos, ſi quis diuinos honores aut ipſe ſibi aſtruat,aut perſuaſus recipiat oblatos. *Volũtatis legiſlatoris reprehẽſio.* Alexandrum quidem haud dubium eſt non multum à perfecto uiro abeſſe:eumq; inter bonos optimum,inter reges principẽ,inter Imperatores ſolum imperio dignum eſſe. te uerò, ô Anaxarche, ſi quiſquam eſt quem deceat, maximè oportuit hos atq; huiuſmodi ſermones Alexandri auribus infundere,eumq; oratione tua ab contrarijs rebus deterrere:cuius ille quotidiana conſuetudine propter ſapientiam & eruditionem utitur. *Iterum cap. finalia indecori, ex perſona Alexandri.* Huius inquam ſermonis non decuit autorem te eſſe: ſed potius meminiſſe te non id Cambyſæ aut Xerxi ſuadere,ſed Alexãdro Philippi filio ex Achillis atq; Herculis genere prognato: cuius proaui ex Argis in Macedoniam profecti,non ui, ſed lege regnum tenuerunt. Quinetiam,nec ipſi Herculi, cum adhuc inter mortales ageret,diuinos honores Græci exhibere ſuſtinuerunt: imò ne mortuo quidem, antequam Delphicus Apollo iuſsiſſet. *Item cap. finalia ex perſona Græcorum, quòd abſurdum & difficile.* Quod ſi ex eo quoniam

inter

Ferendæ & abrogandæ legis eadem ratio.

Negotialis tractatio, in exemplo.

inter barbaros uerſamur, oportet barbaros quoq; ſenſus induere: tum te oro Alexander, Græciæ ut memineris, cuius gratia hæc omnis expeditio abs te ſuſcepta eſt, uti eius imperio & gloriæ Aſiam adijcias. Nunc iam cogites neceſſe eſt, ubi in Græciam reuertêris, an Græcos, liberrimos populos, te uti adorent cogere ſtatueris: an ijs hoc munere abſolutis, Macedonas tantùm hac contumelia oneraturus ſis: uel potius diſtinctis, pro diuerſitate gentiũ, honoribus, à Græcis quidẽ ac Macedonibus patrio more, à barbaris uerò barbarico ritu coli uelis. *Exitus per exempla.* Sin illud obijciatur, Cyrum Cambyſæ filium à Perſis ac Medis diuinis fuiſſe honoribus affectũ: cogitare oportet, eundem Cyrum à Scythis, pauperibus ac liberis hominibus caſtigatum: Darium priorem ab alijs Scythis, Xerxem ab Athenienſibus & Lacedæmonijs, Artaxerxem à Clearcho ac Xenophonte cum decem modò milibus hominum: hunc autem Darium ab Alexandro, humanis adhuc honoribus contento. Reliqua huius loci infrà in cap. de Chria & alijs deſumemus.

Præiudicia. Cap. 12.

PRAEIUDICIA uocat Pedianus, res, quæ cum ſtatutæ fuerint, afferunt iudicaturis exemplum quod ſequatur. Hæc autem reprobantur poſt generales occupationes: primũ definitione, deinde qualitatũ iniectione, quãtitate, uoluntate iudicis, comparatione perſonarũ, theſi, cõmuni qualitate. Potiſsima igitur definitio, ſi rei ſimilis ſentẽtia affertur: qua differre & intereſſe multum dicimus inter cauſam noſtram, & eam in quam præiudicatum eſt. Confirmabitur iniectione qualitatum, duobus modis: uel quòd cauſæ aliquid acciderit, propter quod ſententia prior non teneatur: altero modo, ſi contra ipſam ſententiã alia lex cõtraria lata ſit. Quantitas: Magnum hoc eſt quod petitur. Voluntas iudicis, ex uerbis & circunſtantijs. In appellatione dices, Nolo ego iudicis uoluntatem notare: ſciunt tamen omnes, quàm eſt ei charus accuſator. Comparatio perſonarum, eiuſdem iudicis: Nõ tam prudens, quia errare potuerit: certior ſum de ueſtra prudentia & integritate. Poteſt eodem modo litigantium uel negligentia, uel imperitia, uel infirmitas, uel gratia obtendi. Theſis: An deceat rem ipſam potius intueri, quàm ſacramento alieno ueſtrũ dare: An præiudicijs plus quàm legibus obtemperandum. Communis qualitas: Multa ſunt iudices quæ poſſunt iudicium peruertere, uel etiam abſque crimine aut culpa iudicis. Iam qui præiudicia tuetur, primùm poſt paragraphen ſyllogiſmum arripiet, cum iudicis ampla & ornata commendatione: non omiſsis alijs. Præiudicium autem hic intelligo rem ſtatutam ſemel, quæ iudicaturis exemplum affert quod ſequantur: non ut in foro nunc præiudiciales cauſas uocant, quarũ diſce-

Præiudiciorum definitio & recepta.

Præiudiciorum tractatio.

Præiudiciũ hodie in foro quid eſſe uelint.

diſceptationem præmitti ad alterius deciſionem oportet. Appellationis porrò loci peculiares ſunt, iniuria, ſeu mauis iniuſtitia, & incommodum (ut uocant) irreparabile: adeò ut ſentētia à qua prouocatum eſt, ſic à nonnullis tractetur, ut non præiudicij locos, ſed omnino criminis accuſationem attuliſſe uideantur.

De rumore & fama. Cap. 13.

Rumoris ſeu famæ loci & tractatio.

IN confirmationem ducuntur ſæpe rumor & fama, quę non aliter quoq; uel reſellenda ſunt, uel confirmanda. Loci erunt: Paragraphe. ut, Conſtanter ea contemnimus, quæ uulgò iactata ſunt, etiamſi grauia uideantur. Et in eadem Miloniana: Laudabant equidem diligentiam Cn. Pom
» peij: ſed dicam quod ſentio, nimis multa audire coguntur ij quibus
» tota commiſſa eſt reſpub. Διανοία: ex cauſis & uoluntate autoris, et eorum qui fidem dederint, alijsq; circunſtantijs, colligemus quid ſibi uelit ipſe rumor. ut: Cauebat Pompeius, & timebat omnia, ne
» uos aliquid timeretis. Violenta definitione, potius contrarium ſignificatur. Capita finalia. Incertum. ut, Quis autor. Obſcurum,
» uel impoſsibile: ut repugnans ſibi & alijs rumoribus. ut, Mirabar
» tamen credi Popæ ebriorum confeſsionem ſeruorum audiri: uul-
» nus in latere quod acu punctum uideretur, pro ictu gladiatoris pu
» tari. Et, Nemo audierat, tam celebri loco nemo ſenſerat, tamen au-
» diebatur. Alter contrà: Certum, apertum, facile. Finitio: Multum intereſt. nam ſermo iſte non de Sicilia, ſed de Sardinia eſt. &, Cauebat magis Pompeius, quàm timebat. Theſis: Nū decet incertis ſermonibus fidem dari, qui ſine autore diſsipantur, ſæpe ab hoſtibus: & à credulitate uanitateq; populi, & timore ſæpius augentur, contra dignitatem etiam atq; exiſtimationem optimi cuiuſq; uiri? Pro fama: Nō eſt cōtemnenda fama publica. Vix enim fieri poteſt, quin ueritatis aliquid habeat. ut autor Heſiodus: ὃ παῦ ἀπόλλυται φήμη ἥν τινα λαοὶ πολλοὶ φημίζονται. Finiet etiā rumorē, cōſenſum eſſe publicū ciuitatis, & cōmune teſtimoniū rei cōpertæ. Cōmunis qualitas: ut res ipſa poſtulauerit.

Pro fama, locus Heſiodi.

De tormentis. Cap. 14.

Tormentorum loci, et tractatio.

TORMENTORVM reprehenſio ſic ducetur. Primò paragraphe: Non patiuntur leges uirum patricium torqueri: uel, De huiuſmodi hominibus ſumpta quæſtio nulla eſt: aut, Non magnifacio quæ dicta ab eo ſunt, quem dolor ab omni ſenſu abſtraxit. Aut contrà defenſio: Non adſerimus ſuſpiciones, ſed propriam confeſsionem. Διανοία: Quid ſibi uult quòd ita loquutus eſt? uenit ei in mentem, quod iam aliàs in eadem quæſtione dixerat: aut aliud ſimile. Indiget enim hic locus circunſtantia, ut ab utraq; parte expleatur per coniecturam uoluntas. Cap. finalia: An obſcurum, incertum, improbabile, repugnans ſibi

&

& alijs: aut contrà probabile, certum, &c. Comparatio perſonarum & rerum primas obtinet. ut, qualis ſit ipſe reus, quis præfuit quæſtioni, quale & quàm magnum tormẽtum. ut, Quibus nam de ſeruis? rogas? de P. Clodij. Quis eos poſtulauit? Appius. Quis produxit? Appius. Vnde? ab Appio, &c. Age uerò, quæ erat, aut qualis quæſtio? Heus ubi Ruſcio? ubi Caſca? Clodius inſidias fecit Miloni? Fecit: certè crux. Nullas fecit: ſperata libertas. Quid hac quæſtione certius? Subitò arrepti in quæſtionem, tamen ſeparantur à cęteris: & quæ ſequuntur. Theſis: Non decet extortis à dolore uerbis credere, ſed adhibendum iudicium. tam enim mẽtietur qui ferre poteſt tormentum, quàm qui non poteſt. nam qui ferre poterit, facit patientia ut facile mentiatur: qui non poteſt, mentiri cogitur. Contrà alter, credendum eſſe quæſtioni contendet, quæ neceſsitatem facit uera cõfitendi: laudabitq; morem hunc extorquendæ ueritatis. Commuuis qualitas addetur, ſi locus poſtulet.

Quæſtionis exemplum ex Miloniana.

Locus communis contra quæſtiones.

Pro quæſtionibus.

Iuſiurandum. Cap. 15.

IVSIVRANDVM alterius interdum reprehendimus, interdum quoq; noſtrum ipſi probamus. Et rurſum aut ab aduerſario petimus, aut noſtrũ ipſi offerimus. Quinque partibus diuiditur. Et paragraphe quidem ſumi poteſt ex circunſtantia perſonarum: ut, Neq; enim debet non ſanctiſsimum putari eius ſacramentum, cuius uita & mores ſemper fuerint ſanctiſsima. Vel contrà: Non eſt habenda fides religioni eius hominis, cuius eſt uita multis ſceleribus contaminata. Voluntas: Vult de ſua cauſa pronunciare: uel (ſi offerat) cupit inuidiam mihi facere. Aut contrà: Volo aduerſarium eſſe iudicem in ſua cauſa. Comparatio qualitatum: Vter maiori fide dignus: utrum magis uerisſimile. Theſis: Pręſtat uirum bonum bonis probationibus fidem facere, quàm iureiurando, cum ſuſpicione periurij. Aut contrà: Credendũ religioni uiri boni, niſi iuramenta omnia & pacta nulla eſſe uolumus. Quantitas: Magna uis ſacramenti iudices. Aut contrà: Leuiſsima res iuſiurandum eſt, & facilè contemni ſolet. Rei quoque quantitas quæri poteſt. ut, cui poſsit religio poſtponi, quod facile fiat ab homine egeno.

Iuriſiurandi partes, et tractatio.

Locus communis contra iuſiurãdum.

Pro iureiurando.

De tabulis. Cap. 16.

QVI dicunt contra tabulas uel teſtamenta, nonnunquam ſignatorum ignorantiam accuſant, ſæpe nequitiã. Quatuor habet locos. Primùm, capita finalia. ut, quòd incredibile, impoſsibile, tam negotiũ ipſum, quàm quod ſcriptum ſit. ut, quòd non potuerit ſignari abſente ſignatore, uel eo in quem ſignatum eſt. Coniectura uoluntatis, & eorum quæ ſunt ab imo ad ſummum. Theſis: An oporteat ſpeciem ſcripturarũ agno-

Tabularum loci, & tractatio.

 ſcere.

ſcere. hac enim firmantur iura omnia: pacta, teſtamenta, publica & priuata omnia monumenta, fidē obtinent. Aut contrà: Infirma eſt hæc ſcripturæ ſpecies, niſi teſtibus roboretur, quam praui facile imitantur: quam ætas, ualetudo, calamus, atramentum mutare ſolent. Quantitas: Magnum reipublicæ uinculum eſt in monumentis literarum: nec tantum id eſt quod petimus, ut proptcrea uir bonus deprauare audeat ſuam manum.

De teſtibus. Cap. 17.

Circa teſtes quæ uerſentur. PLVRIMVS circa teſtes labor eſt: ut producendos, interrogandos, inſtruendos, & (quod huius loci eſt) refellendos atque commendandos. Hæc enim cōtinua actione peraguntur, ut quæ dixerint, uera aut falſa eſſe uideantur. Quanquam in hoc eadem ferè uia ingrediendum eſt, qua in iureiurando: quòd aut teſtium fidem reprehendimus, aut eandem probamus. *Perſonæ qualitas.* Idcoque commorandum eſt in qualitate perſonæ, in qua inſpiciendæ primùm inimicitiæ, deinceps uita, conditio, ac reliquę circunſtantiæ, quæ ad contemptum aut dignitatem faciunt. Quòd ſi per tabulas feratur teſtimonium, idem modus erit qui contra tabulas, ſuggillando uoluntatem: quòd certum argumentum ſit odij & inimicitiarum, nolle in re præſenti teſtimonium dicere. *Contra teſtes loci.* Contra teſtes ergo prima occupatio confirmabitur qualitatum comparatione, & quantitatū, cum capitibus extremis: dehinc fine, ἰλίγχωρ ἀπαιτήσει, uoluntate, theſi, communi qualitate. ut occupatio: Audiendi profectò non ſunt famelicorum iſti clamores. Comparatio qualitatis perſonæ circunſtantijs impletur: ut, quis, qualis uitæ, cuius gentis, cuius conditionis. Sic numerus, uter plures habeat teſtes. *Teſtiū tractatio per locos.* Capita finalia: ueriſimile, poſsibile, repugnans, incertum eſt quod aſſerunt. ἰλίγχωρ ἀπαίτησις: Quis uidit? ubi fecit? quo modo? per quem? Definitio: Si teſtantur de ijs quę audierunt, dicemus multum differre, nota ſibi loqui, an uoces adferre iniuratorum hominum. Vel, ſi ipſos attingit negotium, multum intereſt inter teſtem, atque inter accuſatorem: iſti accuſatores ſunt potius quàm teſtes. Vel ſi inimici: Hoſtes ſunt, non teſtes. Voluntas: Putant ſe hac ratione ulciſci: uel, Volunt hominem lędere bene de ſe meritū. *Teſtiū loci communes.* Theſis uaria: Optimorum hominum fides nō negligenda eſt. nam uir bonus ne contra hoſtes quidem mendacium dicet. Aut contrà: Non eſt credendum hoſti: paupertas multa cogit: potentes nō tam ueritatis, quàm Græcię teſtes eſſe uidentur. Non quia plures, ideo ueraciores: nam ueritas paucis contenta eſt. Illud tamen prudentis oratoris iudicio relinquitur, ne liberè loquatur contra magnates & gratioſos homines. Quoniam uerò ſæpe accidit, ut alter teſtibus, alter uerò argumentis nitatur: ille dicet firmiſsimam probationem

nem eſſe, quæ non leuibus coniecturis, ſed ſcientia & religione roboratur. Hic enim fidei fit periculum: in argumentis autem, ingenij ſola oſtentatio. Alter contrà, non eſſe credendum temerè hominum quibuſuis ſermonibus, quos ſæpe gratia, plerunq; odium, ira, metus, ambitus, nec rarò pecunia extorquet: ſed potius argumentis, quæ ex natura ipſa ducuntur: in quibus iudex non alijs credit, ſed ſibi ipſi. Qui enim teſtibus fidem adhibet, is relinquit alijs ſuum ſacramentum. Atq; his quidem modis & alijs fieri poteſt theſis. Communis qualitas: Vultis ergo, ut propter hominũ neſcio quorũ periuria, uir optimus & de repub. optimè meritus intereat? Cæterùm cum ſit non multum diſsimilis natura reliquarum probationum à teſtibus: ſemel dictum ſit hoc loco, omnia capita teſtium poſſe & in tabulis, & in præiudicijs, tormentis, & alijs requiſitionibus argumentorum reperiri. Huius argumenti genus tractatur in Vatinium. Atq; hactenus quidem de probationum requiſitione. ubi autem de chria dixero, tum ad alias quæſtiones generis negotialis pergemus, quæ ſine uerbo fiunt.

Cõparatio teſtium & argumentorum.

Loco teſtiũ cum tabulis & præiudicijs, & quæſtionibus, eſſe cõmunes.

Aſſertio & refutatio Chriæ, ſententiæ, legis, fabulæ, &c.

Cap. 18.

IN his ergo locis caput illud uerſatur, quod ſuprà definiuimus ἐλέγχων ἀπαίτησιν. Habent enim hæc confirmationes & refutationes inartificiales: quæ ex teſtimonijs ſumuntur diuinis, aut humanis. Signa aũt & inſomnia, & uiſa, & portenta omnia, per cauſę deriuationem eluduntur, cum theſi. ut, non eſſe credendum ijs quę aut caſu fiunt, aut natura, nihil ad ea reſpiciente quæ tueris. Theſes & communes locos huius rei habes in libris de Diuinatione Ciceronis, & de Fato, præter recentiores multos. Necq; alio modo probantur aut deſtruuntur chriæ, ſententiæ & fabulæ, quàm alia teſtimonia: niſi quòd chria perſonã habet, qua caret ſententia. Capita finalia in his præcipua ſunt, improbabile, obſcurum, inutile: reliqua parum diſtant à teſtibus. Nec legum tractatio à chria remota eſt, præterquam illa procataſtaſi, quæ (uti iam diximus) in legum rogatione pręire ſolet. nam poſt paragraphen (ſi ea tamen ſit opus) laus debet ſemper autoris præmitti, aut uituperatio. hæc interdum ab eo ipſo quod propoſitum eſt deſumitur (ut quod dilucidè, commodè, eruditè dictum ſit) aut ex alijs factis circunſtantijsq; perſonæ. Mox adferenda paraphraſis, id eſt ſententiæ dilucida interpretatio. Quam ſequitur cauſa, id eſt ratio, Gręcè αἰτιολογία. Eamq; ſic exponi oportet, ut omnino uideatur ſententia aut ridicula, aut demens, aut flagitioſa: uel contrà honeſta, prudens, grauis, ueriſimilis. Sequentur ordine poſtea ipſa argumenta, id eſt ἐπιχειρήματα, ad confirmationem aut deſtructionem:

Loci inartificiales.

Signa & portẽta per cauſæ deriuationem refellũtur.

Loci cõmunes inſomniorũ & portentorũ apud Ciceronem.

Loci Chriæ

nem: quæ ex circunſtantijs rei porrigentur nobis genere, ſpecie, differentia, proprio, antecedentibus, conſequentibus, coniunctis. Ex quibus res apparebit improbabilis, obſcura, turpis, inutilis: aut cõtrà dilucida, ueriſimilis, honeſta, utilis. ſeruantq́; oratores in finem diſputationis, quod epilogicã quæſtionem iuuat: etſi negligũt hanc partem ferè philoſophi, contenti nimirum rei ueritatẽ demonſtraſſe. Confirmãtur autem argumenta omnia capitibus primis, ut contrarijs, ſimilibus, comparatis, ſapientum alijs dictis, exemplis, ut uſus uoluerit, ſingulis uariandis per capita generalia. Hinc ſequetur digreſsio in locum communem, cum aliqua theſi. Colligenda omnia denique in epilogum, aut quæſtionem epilogicam. Eſto exemplum. Iſocrates diſciplinarum radices dicebat amaras eſſe, ſed fructus dulces. Laudatio autoris ex ipſo dicto. Alij Iſocratem laudant ex orationibus, quibus fortes & magnos uiros exornauit: alij ex cõſilijs ſapientiſsimis, quibus ſæpe profuit reipub. alij ex alijs rebus, quæ & mihi quoq; laudanda eſſe uidentur. Verùm quis eius præcepta morum, & bene uiuẽdi regulas admirari ſatis poterit? Maximè illud de diſciplinis, quod apud familiares ſuos memoriæ relictum fuiſſe accepimus? Paraphraſis. Is enim cum (ut fieri ſolet) adoleſcentes nonnullos cerneret metu laboris deterritos ab ſtudio literarum, minimeq́; ſentientes quãtum inde fructus decerpi ſoleat à doctis: quid egit? Comparatione facta inter laborem & uoluptatem, & quid utramq; ſequeretur patefaciens, magis hac ipſa uoluptate ad ſtudia confirmauit eorum animos, quàm antea præ timore languerant. Nam diſciplinarum (inquit) radices ſunt & fructus quidam. Illis amarũ quid ineſt, atq; ſenſui moleſtum: at fructibus ipſis mira profectò ſuauitas. Ratio. Nam ſi tempus quale ſit per initia conſideres, fundamenta quidem non iaciuntur ſine labore. Sedet magiſter terribilis, adductisq́; ſupercilijs, ſummam triſtitiam præ ſe ferens, nihil placidum promittit. Cogitur accedere puer trepidus: & reliqua perſequere quæ hic fiunt, ab imo ad ſummũ. Sed ubi inſtitutus probè eſt iuuenis, poſtea uocatur in populi concionem: ab eius ſententia pendet tota ciuitas, omnibus honoribus & publicè & priuatim cumulatur. an non fructus eſt ſuauiſsimus? Epicheremata ducentur à contrarijs, ſimilibus, exemplis, pronunciatis. Quid potuit dici utilius, aut ſapientius? Si enim moleſta ſunt initia: exiſtimandum, nihil ſine labore fieri præclarum. Voluptatem uerò præſeſerunt, quorum pœnitentia dein ſequitur. Exemplo eſſe poterit Demoſthenis ſedulum ſtudium: qui barbam, ut domo ne pedem efferret, raſit. Teſtimonum ſumetur ab Heſiodo, uirtutis uiam qui arduam eſſe dixit, & difficilem: idem per uirtutem intelligens, quod Iſocrates per diſciplinas: & per uiam ſeu calles, quod hic per radices.

Chriæ Iſocraticæ tractatio in exemplo. *Laudatio Iſocratis.* *Paraphraſis.* *Ratio.* *Epicheremata.*

Locus

Locus communis in uoluptatem, aut eruditionem, aut aliud. Epi- *Epilogus.*
logus: Adeo'ne delicati erimus, ut minimi laboris metu tantis nos
commodis exhæredemus? an audeat quis eorum hominum dili-
gentiam ut uanam reprehendere, qui nominis ſummi claritatẽ in-
ter mortales obtinuerũt? Quod ſi eorum facta inſtitutumq́ lauda
mus, nos ipſos neceſſe eſt condemnare ignauiæ. Sed Ciceronis e-
xemplum elegantiſsimũ ſeruauimus nos in expoſitionem loci com
munis. Eadem ergo methodus erit in fabula. nec alia tenetur in *Methodus*
interpretationibus philoſophorum, iureconſultorum, ſacræ ſcri- *eadem mul-*
pturæ, & ſimilium: niſi quòd propriam dicti explicationem ac ſen- *tis et uarijs*
ſum ultimo ferè loco inducimus, ubi ex uocum ſignificatione nulla *interpreta-*
occurrit amphibologia. hæc enim ſtatim in initio tollenda uenit, ſi *tionib. ac-*
qua ſit. Illud tamen prætermittendum non eſt, & leges, & fabu- *commoda-*
las, & chrias, & ſententias & rumores, & alia quæ in hoc genere *tur.*
poſuimus, preter eam inductionem epicherematum quam tradidi,
duobus alijs modis tractari ſolere, & in orationem uenire. Hi ſunt *Relationis*
per relationem, quæ eſt ἐλέγχων ἀπαίτησις, & in locum probatio- *duplex tra*
nis cedit: & per acclamationem. Relatio ſeu expoſitio duplex eſt, *ctatio.*
recta & flexa: item contracta & extenſa. quas tamen formas poſtea
in præceptis interpretandi latius intelliges, ex figurarum diuerſis
generibus. Acclamatione pariter duobus modis inſeruntur. *Acclamati-*
primus eſt, In confirmationem argumenti tanquam ſimile diſsimi- *onis tracta*
le: & hoc modo tanquam habentia autoritatem accedunt, ut, *tio.*

— Quod uulpes cauta leoni *Horatij fa-*
Reſpondit, referam: Quia me ueſtigia terrent. *bula.*

Altero modo, cum contradictione & autoritate carent. ut, Non
quidem ſicut Bias dicere ſolebat, ſic ama tanquam oſurus: ſed ſic a-
ma, tanquam nunquã oſurus. Neoptolemus quidem apud Enniũ, *Ennij ſen-*
philoſophari ſibi ait neceſſe eſſe, ſed paucis: nam omnino, haud pla- *tentia.*
cere. ego autem Brute, neceſſe mihi quidem eſſe arbitror philoſo- "
phari. nam quid poſſum, præſertim nihil agens, agere melius? "
Sunt ergo capita in chria hæc: Laus autoris, paraphraſis ſententiæ,
ratio, contrarium, ſimile, exemplum & pronunciatum, epilogus.

Iniectio qualitatum. Cap. 19.

DECLARATIS igitur, diuiſisq́ capitibus, quibus prag-
maticæ quæſtiones, quæ in dicto ſunt, probari dilatari-
que ſolent: ſequitur, ut ad reliquas eiuſdem generis, eas
inquam quæ extra dictum ſunt, progrediamur. Et qui- *Quæſtionũ*
dem iniectio qualitatum (quam Græci ἐμβολὴν ποιοτήτων) non ge- *pragmati-*
nus peculiare, ut mihi uidetur, eſt, & ab alijs ſeparatũ, ſed tantũ pro *carum ex-*
batio accidentalis: quemadmodum & reuera ſunt omnes quæſtio- *tra dictum*
nes legales: nihilominus tamen quoniam inter quæſtiones cõſiſten *explicatio.*

Iniectionis qualitatis capita.

tes à pleriſq; poſita eſt, eam quoq; nos diuidemus ſuis capitibus, ſicut & alias. Sunt autem ſex: Ab imo ad ſummũ fuit incidẽs (in quo maximũ reperitur probationis momentũ: alioqui enim ſyllogiſmũ opponet actor) dehinc qualitas communis, cõparatio qualitatum, continentia, coniectura: & præter hæc, addetur τὸ ἐκβησόμενον, id eſt exitus. Thema ſit: Decedens pater teſtamento iuſsit, ut filia nuberet tutoris filio: poſtea reddita tutela, filius tutoris eam petit, & contradicitur. Ab imo ad ſummũ: Pater meus optimus, hæreditatẽ mihi integram ſeruari cupiens, ut eius pater ſedulam operam in ſeruandis augendiſq; bonis meis adhiberet, huic me iuſsit nubere: uerùm ad alias nuptias iamdudum hic aſpirans, tamdiu me contempſit. Nunc ergo priori ſpe deceptus, me etiamnum ſibi ſeruari putat. Finis: Me pater tutoris filio elocari uoluit: hic autem, cuius nec pater amplius tutorem agit, nec ullam omnino rerum mearum curam gerit, nullo modo filius tutoris appellandus. multum enim intereſt ad res meas, nũc mei curam gerat, an prius geſſerit. Qualitas: An patiemini, iudices, inuitam me in illius domum duci, de cuius ego tutela, & malè geſta rerum mearum cura apud uos queror? Comparatio qualitatum: Si iudicatis patrem meum filiæ ſuæ potius, quàm procuratoris ſui filio bene cupere, aut rationibus meis potius q̃ mei tutoris conſulere uoluiſſe, ut certè uoluit: alius quidã iuuenis meas nuptias deſiderat, multo quidẽ & ditior, & nobilior quàm hic, qui ab alia neglectus, ad me nunc redit. Continentia: Sed uolo exiſtimetis, optimum ſenem, etſi huic uoluerit gratificari, non minus tamen alterius patrẽ dilexiſſe: qui niſi abſuiſſet, citius profectò mei curam habiturus fuerat. Coniectura: Video quid quærit, onuſtus ære alieno: nec mihi pro adminiſtrata tutela, nec alijs creditoribus eſt ſoluendo. itaq; eadem fidelia duos ſe parietes dealbare poſſe ſperat. Ac ſimili modo, ut uidebitur, ages. In omnibus autem pragmaticis quæſtionibus ultimum caput erit ab exitu: quod ſemel dictum eſſe uolo.

Tractatio qualitatis per locos ducitur.

Particula iuris: ius in poſterum: modus pœnæ & præmij.

Cap. 20.

IN particula iuris propriam diuiſionem capitum nõ inuenias. Sumũtur enim omnia epicheremata ex quibuſdam alijs quæſtionibus. nam uel petitio eſt ex æquo & bono, uel ex lege aliqua, uel ex qualitatum iniectione. ideoq; tres formas habet. Si enim probatio fiat ex æquo & bono (ut cum fulmine percuſſa eſſent tormenta bellica, dehortabatur à bello, propter omen) iiſdem locis tractabitur, quibus ἐλέγχων ἀπαιτήσις, hoc eſt, pro legibus, contra leges, pro teſtibus, contra teſtes: ac reliquis. Dico igitur, æquum & bonum non iuris moderationem, ſed

Particulæ iuris modi tres.

Sed rei qualitatem propriam, iuſtæ, utilis, iucundæ, quæ lege non fit definita. Iam ſi petitio fit ex legis aliqua obſeruatione: eadem fuerint capita, quæ in quæſtione legali. Si nihil horum inueniatur, neceſſe quæſtionem ex iniectione qualitatum oriri. Exemplum in re pecuniaria. Depoſuit apud amicum frumēti centum modios, dicens quanti emerat, nempe centum aureis: ille duplo uendidit, & offert centum aureos: petuntur ducenti. Vtemur iniectione qualitatum: quia neq; ex lege, neq; ex ſigno probationē afferre poſſumus, ut thema exigit. Primùm ergo negotium ab imo ad ſummum exponetur: Cum ſcirem annonæ futuram caritatem, &c. Finis incidens: Non hoc eſt tritici, quod depoſui, iuſtum precium, multum differt. Qualitas: Fides mercatorum & amicorum prodetur, ſi id patiamini iudices. Comparatio qualitatum: Nec eſt quod non pluribus ego officijs de eo bene meritus, nunc debeam ab ipſo affici tanto incommodo. Continentia: Iure amicitiæ tenebatur, ſi non ſeruare triticum, reddere ſaltem pecuniam. nam niſi reddat aut triticum aut pecuniam, iniquus ſit. Coniectura, ab aliqua circunſtantia ſuggillabit: Video quid uelit: nectit moras, dū pecuniam conficit. Huius eſt illa quæſtio: Alexander uictis Thebanis, tabulas inuentas (quibus talenta centum dediſſe Thebanos mutuò Theſſalis continebatur) ultrò illis donauit. Reſtituti poſtea à Caſſandro Thebani, Theſſalos mutuū repoſcūt. cauſa agitur apud Amphictyonas. Et multo commodius per hæc noſtra capita ducetur, quàm per ea quæ ab Agricola præſcripta ſunt, aut Fabio. Quod ſi leges aut cōſtitutiones aliæ huc faciunt, id extrinſecus eſt, & probatio communis, ut omnes controuerſiæ poſſunt exempla, ſimilitudines, & pronunciata in ſe recipere. Exemplum (quod modò diximus ex æquo & bono) definiri ſolet, Ius in poſterum: quia ex ea diſputatione fiet, ut poſtea ſemper eodem modo iudicetur, quo ſemel fuerit deliberatum. Congruet autem ei capitum diuiſio, quam dedimus tormentis: ſcilicet paragraphe, dianœa. cap. finialia, comparatio, theſis: ut, non eſſe credendum, ex ijs quæ à natura fiunt, quicquam poſſe ſignificari eorū quæ pendent ex hominū cōſilijs. Eſt quoq; ius in poſterū, cū ex lege fit petitio. In hoc themate, Orba nubat proximo: aut ſi proximus ducere noluerit, det ei decē millia: cū uni orbæ dediſſet decē millia, ſtatim petitur ab alia. hic cōſtituitē ex hoc iudicio, ius in poſterum obſeruandum. Tractabitur aūt, ut quæſtio de ſcripto & ſententia. Sic modus pœnæ uel præmij interdū petitur ex æquo & bono, interdū qualitatū iniectione. Aliàs quoq; per legales locos ducitē, ut hæc, Qui cauſam mortis dederit, puniatur capite: raptor det raptæ decē milia. puellā quis rapuit, à qua ductari ſolebat cæcus pater, ita ut præcipitio ille interierit: petitur ad ſuppliciū iuuenis,

Secundus modus.

Tertius modus.

Ius in poſterum.

Modus pœnæ & præmij.

uenis, & ſimul perſoluere cogitur decem milia. Contradicit, quòd ſatis ſit altera pœna. Capita fient quoq; de ſcripto & ſententia.

Particula iuris { *Ex æquo & bono.* / *Ex lege.* / *Ex qualitatis iniectione.* }

Cauſæ mortis uoluntariæ. *Cap.* 21.

Cauſæ mortis uoluntariæ capita.

SEX capitibus exponuntur cauſæ mortis uoluntariȩ. primò, interpretatione legis aut ſententiæ. hic ponitur defenſionis fundamentum. Mathȩmaticus patri meo reſpondit, me futurum uirum fortem, deinde parricidam. id'q; magna autoritate dixit, & fiducia. Ab imo ad ſummũ: Sed nec mathematicum quicquam feſellit: non ſexus, non ordo, non robur. adfuerunt illa extrinſecus, bellum, acies: pater mihi arma circundedit, &c. in hoſtes irrui, ceſsit acies, &c. Definitio: Sed non debeo propterea laudari, aut uita frui: quæ non à me gerebantur, ſed à fato: propter quæ ſi præmiũ merui, id certè concedendum erit. Aut ſyllogiſmus: Tam igitur uerum eſt, me futurum parricidam, quàm uerũ fuit eſſe fortẽ. Coniectura, uel uoluntas: Mori uolo, & iuſta cauſa, ſi naturæ humanæ caſus & miſerias cõſideres. Transmotio: Ipſe pater ſentit mecum etiam, cum metuit & contradicit. nam ipſa cœli & ſtellarum conſtitutio non temerè agunt. Qualitas ἐκ τῆς ἐκβάσεως: Quem ad modũ uitari poterit parricidium, ſi fieri neceſſe eſt? Scilicet hac ſola ratione, ut mors inter facinus hominem'q; ponatur. excedit omnem calamitatem, diebus ac noctibus timere, ſuſpectum habere animum ſuum, &c. In hunc modum facinoris cuiuſcunq; perpȩtrandi cauſam & rationem reddemus, ut iure uel iniuria niti uideatur. ut cum Lucius Sylla abdicare ſe dictatura uolet, huius locis utetur, & capitibus. Neq; uerò eadem eſt hæc ratio, quȩ generalium qualitatum, ἀντιλήψεως aut ἀντιθέσεως. nam qualitate generali factũ ipſum aut probatur, aut reprehenditur: hic uerò cauſa rationi & ȩquitati monſtratur conſentanea, non tantùm factum. Accepit autem nomen à cæde, tanquam crimine notiori. Porrò uidebantur hoc loco inter abſolutas quæſtiones ponendæ quantitas, & qualitas communis, & theſis: ſed quia pragmatici generis adeò communes uidentur ſtatus eſſe, ut nuſquam non inueniantur, ſuam'que uim oſtendant: operæ precium duxi, eas in finem reijcere huius tractationis, ut poſt comparationum ſtatus eorum præcepta diſtinctius inueniantuur. Nunc ergo accedamus ad locos diuinationis.

Soluitur quæſtio, de quibuſdam ſtatuum locis.

Diuina-

Diuinatio. Cap. 22.

DIVINATIONE autem non rem petimus, necꝙ aduerſariorum: ſed actionem. Eſtꝙ inter actores cōtrouerſia, uter potius agat. hanc primùm cōfirmamus rerū cōparatione, aut formarum, aut temporis. ut uter maiori euidentiori꜀ iure nitatur, uter maiori iniuria ſit affectus, uter prius acceſſerit ad agendum: quæ ratio eſt temporis. Poſt hæc ponitur cōtinentia: id eſt, in una poſtulatione contineri quicquid eſt in altera. Dehinc perſonarum comparatio: uter uelit ſimul, & poſsit melius, ius ſuum oſtendere. Deniꝙ uoluntas uel coniectura: ut quo animo ad agendum ueneris. quod tamen Cicero in Verrem primo loco poſuit. Sic enim à uoluntate orditur: Adductus ſum, Iudices, officio, fide, miſericordia multorū bonorum exemplo, ueteri conſuetudine. Formularum inde comparatio ſequitur. Cum de pecunijs repetundis agitur, ſpectandum eſt magis quem uelint ij qui læſi ſunt, quàm qui læſerit. Me uolunt defenſorem ſuarum calamitatum, & actorem cauſarum Siculi: Verres minimè uult à me accuſari. Comparationem perſonarū integram inuenies: In hoc quid ego poſsim efficere, non dicam: tu uerò Cecili quid potes? Continentia paucis inſeritur argumentis: Ego etiam quæ tu ſine Verre commiſiſti, Verri crimini daturus ſum: tu, ne quę ille quidē fecit, obijcies. Comparatio rerum: Quod ſi ei potiſsimùm cenſes permitti oportere accuſandi poteſtatem, cui maximam Verres fecit iniuriam, magis læſa eſt prouincia Sicilia, quàm tu. Omiſſa temporis comparatione, additur alia cōiectura uoluntatis aduerſarij: ideo peti Cecilium ab Hortēſio, quòd uereatur ne grauiori accuſatori cedat. Erunt ergo capita hæc: comparatio rerum, formularum & temporum: continentia, comparatio perſonarum, & uoluntas. Et olim quidem frequenter hoc genus inter accuſatores agitabatur: nunc uerò rarius. Succeſsit autem ei quęſtio de mutando exequutore reſcripti: quod genus per eadem capita ducetur, per quæ ſuperius.

Diuinatio in cauſis quid. *Diuinationis tractatio per locos.* *Diuinationis tractatio exēplis Ciceronis illuſtratur.*

Qualitatum comparatio, id eſt perſonarum. Cap. 23.

SI duo contendunt de dignitate, uter altero ſit dignior & præſtantior, ſtatus dicitur Qualitatum comparatio. de qualitate enim perſonæ quæritur in his. nec poteſt quæſtio inueniri, niſi adſit perſonæ aliqua circunſtantia, quales maximè ſunt finitæ & propriæ: ut agricola, Plato. Facit hic ſtatus ad encomia & exornationes, tam quidē rerum quàm etiam perſonarum. nam in laudatione rerum per ſe magnum eſſe primùm docemus, id quod propoſitum nobis eſt: deinde per comparationem alterius, tanquam perſonæ, maius etiam infertur. In omni autem comparatione id extollimus quod charum nobis eſt:

Perſonæ circunſtantiæ finitæ et propriæ. *Cōparationis qualitatis loci, et tractandi uia.*

diuerſum uerò eleuamus, ſæpe etiam irridemus. Erunt itaq; huius loci comparationis ueluti materia, comparationes capitum finaliũ: hoc eſt, honeſti, utilis, & ſimilium, quæ omnia in circunſtantijs inueſtigantur propoſitarum perſonarũ: genere inquam, uirtutibus, rebus geſtis, & alijs. Alter eſt finis: ut, Hoc eſt, de repub. bene mereri: hoc ille fecit, ille autem hoc. Continentia: Et hoc & illud. Circunſtantia ex tempore & loco in primis. Coniectura autem uoluntatis & facultatum: quum indicijs quibuſdam, quid uoluerit, quid

Comparationis exemplum ex oratione pro Murena. potuerit, coniectamus. Deniq; euentus, ut in alijs ſolet. Exemplum habes pro L. Murena, in quo diligentem comparationem inchoat his uerbis Cicero: Summam uideo eſſe in te Serui Sulpiti dignitatẽ, generis, integritatis, induſtriæ, cæterorumq́; ornamentorum om-
» nium, quibus ad conſulatus petitionẽ aggredi par eſt. Paria cogno-
» ſco eſſe iſta in L. Murena: atq; ita paria, ut neq; ipſe dignitate uin-
» ci potuerit, neq; te dignitate ſuperarit. Hic orator genus, educationem, uitæ inſtitutum, & res geſtas utriuſq; cum cõtentione quadam adducit euidenti. Sequitur alia comparatio temporis & rerum geſtarum in petitione: *At enim in Præturæ petitione*, &c. quam tamen occupat, ut pro aduerſario magis facientem. Poſſet nihilominus definitio illinc trahi hæc: Præturæ petitionem nemo dixerit, in qua nulli ludi, nulla ſpectacula uiſuntur. Continentiam quoque prætermiſit, quæ poterat huiuſmodi eſſe: Quęcũq; fecit Sulpitius, eadem facta ſunt antea à Murena. Circunſtantia ex tempore:

Circunſtantia ex tempore. Quid? in ipſa Pretura nihil'ne exiſtimas inter tuam & iſtius ſortem interfuiſſe. huius ſors ea fuit, quam omnes tui tibi optabamus, &c.

Ex loco. Quid tua ſors? triſtis, atrox, quæſtio peculatus, &c. Ex loco: Poſtremò tu in prouinciam ire noluiſti, non poſſum id in te reprehendere, &c. Coniecturam uoluntatis & facultatum multis uerbis complectitur, ſed obliquè: nempe, non ſatis humanum & beneuolum geſsiſſe animum Seruium Sulpitium erga remp. & amicos, cum peteret conſulatum: quoniam unà cum petitione accuſationes inſtrueret in alios. Huius loci initium eſt: Et quoniam oſtendi, Iudices.

Euentus. Euentus figura dicendi obſcuratur. nam non ſimpliciter exponit ea quæ futura ſunt, ſed per conqueſtionem: miſereri ſe dicens euentuum fortunæq́; Murenæ: qui ubi unum aſcẽdere gradum dignitatis conatus eſt, in periculum uenit ne amittat omnia, quæ & ipſe &
» maiores eius compararunt. Incipit locus: Sed pauca quæ meum ani-
» mum repentè mouerunt, prius de L. Murenæ fortuna conquerar.

Comparationis propria figura, contentio. Atque hæc quidem ſunt in ea oratione obſeruata à nobis. Eſt autem comparationum propria figura contentio: quanquam neq; ea ſemper uti oportet, niſi cum adeò rem ipſam præſtare conſtat, ut iuxta contrariam celeriter poſita magis elucеſcat, alioqui enim diuiſa

uiſa magis ſeparataq́; comparatione, hoc eſt utriuſq; rei per ſe ampla & euidenti expoſitione, agendum erit ſcorſum, & totum toti in uniuerſum conferendum.

Comparatio quantitatum. Cap. 24.

Si non perſonæ, ſed res ipſæ & negotia comparentur, & utrum ſit maius diſputetur: ſtatus dicitur quantitatum comparatio. Vbi neceſſe eſt non tacita, ſed aperta collatione, ſemper res diuerſas inter ſe cõmitti. tacita enim comparatio non tam ſtatus eſt, quàm figura quãtitatis. Proximè autem hæc ad priorem accedit, quòd in perſonarũ collationem rerum contentionem ſemper neceſſe ſit incidere. Ducitur ex quinque principijs, præter quæſtionem epilogicam: τοῖς ἀπ' ἀρχῆς ἄχει τέλους (hoc eſt, rerum gerendarum comparatione) continentia: comparatione capitum finaliũ, utilis ſcilicet, honeſti, neceſſarij, facilis, inſoliti: aut contrà. Circunſtantia ex loco, tempore, cauſa, materia, fine, modo. Exemplum habemus in oratione pro Murena, de peritia rei militaris & iuris ciuilis, ab imo ad ſummũ: Vigilas tu de nocte, ut tuis cõſultoribus reſpondeas: ille, ut eò, quò intendit, maturè cum exercitu perueniat: te gallorum, illum buccinarũ cantus exuſcitat. Continentia: Ac mirum, dicendum eſt enim, &c. omnes urbanæ res, omnia hæc noſtra præclara ſtudia, & hæc forenſis laus atque induſtria latent in tutela ac præſidio bellicæ uirtutis. Simulatque increpuit ſuſpicio tumultus, artes ilico noſtræ conticeſcunt. Comparationem honeſti, utilis, noui, neceſſarij, ocioſi, facilis, & ſimilium, ab eo loco perſequitur ampliſsimè orator, qui incipit: Et quoniam mihi uideris iſtam ſcientiam iuris tanquam filiolam oſculari tuam, non patiar te in tanto errore uerſari. Hic docet rei militaris magnam dignitatem, magnam utilitatem, ac ſimilia, uſque ad coniecturam. interſerit autem circunſtantiam his uerbis: Sapiens exiſtimari nemo poteſt in ea prudentia, quæ neq; extra Romam uſquã, neq; Romæ rebus prolatis quicquam ualet. Coniectura: Itaque mihi uidentur pleriq; initio multo hoc maluiſſe: (eloquẽtiam intelligit) pòſt, ubi id aſſequi non potuiſſent, iſtuc potiſsimum ſunt delapſi. ut aiunt in Græcis artificib. eos auletas eſſe, qui citharœdi fieri nõ potuerunt: ſic nonnullos uidemus, qui oratores euadere non potuerunt, eos ad iuris ſtudium deuenire. Quæſtio epilogica: Omnia iſta nobis ſtudia de manibus excutiunt, ſimulatq; motus nouus bellicum canere cœpit, &c. Quod ſi ita eſt, cedat opinor, Sulpiti, forũ armis. Hæc igitur eſt forma manifeſtæ cõparationis. Tacita autem magis incrementum dicitur, & ſæpe per diuiſionem aut fictionem efferri aſſolet: Si ne uerbo quidem licitum eſt uiolare pietatẽ, ne obſequiũ quidem denegare parentibus: iam in eum qui genuit

Qãtitatũ cõparatio.

Ex quinque cam principijs duci.

Orationis pro Murena exẽplũ.

Tacitæ comparationis incremẽtũ.

uerberibus uti,proximum parricidio eſt. Sed de hac forma ſuo lo-
co. Cōparentur itaq; res primó expoſitione ab imo ad ſummū,
deinde continentia,poſt hæc comparatione, ipſa qualitatis circun-
Rerū comparatio. ſtantia,coniectura & epilogo,ſi opus eſt. Iam uerò ſi tam perſonę
comparētur,quàm res, ut omnium capitum fieri mixtionem ſuprà
diximus,ſic & eo tempore ſtatus quidam mixtus efficietur:ueluti ſi
medicus & orator propter diuerſa merita præmium poſtulent.

Quantitas numeri tractata per capita ciuiliter.

Cap. 25.

INTER comparationes quoq; recenſetur Quantitas nu
Quantitas numeri. Ciuiliter. meri. Et dupliciter tractari contingit: ciuiliter, & arith
meticè. Ciuiliter quidem, ex æquo & bono ſumit argu
mentū. Hic quærimus, ex utra parte uidetur fuiſſe ma-
ior numerus:non quidem ut per coniecturam,an hic mille,ille duo
milia habuerit(id enim per indicia inueſtigatur, ſicut cæteræ conie
cturæ)ſed probabiliter ex utraque parte,re cognita,diſceptatur,u-
tri uideat̄ maior quantitatis ratio fauere. Exemplū ſuprà dedimus.
Iudicū maior numerus probetur,& obtineat: erāt ſeptem iudices,
quorum tres capite damnant : duo exilio , reliqui duo abſoluunt.
Quæritur,quid agendum? An potius ſententia eorum ſequēda eſt,
qui damnant capite:an duorum, qui abſoluerunt? Primo loco fiet
cōparatio numeri:ut,Plures ſunt quatuor quàm tres,ergo non de-
bet mori. Finis:Multum intereſt, maior numerus idem ſentiat , an
diuerſum. facit autem contradictor potiſsimè definitionem. Con-
tinentia multum hic poteſt:ut, Si liberetur,ſatisfiet legislatori, qui
plures eſſe audiendos uoluit.Siquidem uolunt quatuor, ut moria-
tur:nec omnino repugnant duobus reliquis. Si contrà occidatur,
contemnuntur planè duo.Coniectura: Nec aliud uidentur uoluiſ-
ſe duo illi,qui deportari iubent,ſi potuiſſent aliter obtinere.Quali-
tas communis ut in alijs dictum eſt. Atq; hæc quidem omnia na-
ſcuntur ex legibus contrarijs,quibus ſi lex alia ſuperueniēs,aliquid
uideatur mutare, tunc ea diſputabitur per qualitatū iniectionem.
ut in ſimili exemplo:Lex erat,ne quis abſolueretur,niſi qui alteram
partem ſuffragiorū tuliſſet : nec damnaretur, niſi ex trium partium
duabus.Erant autem duodecim iudices. Cum itaq; multi hac cauſa
iniudicati manerent,alia lex pronunciata eſt, ut iuxta id quo quiſq;
magis accederet ad numerum præſcriptum in lege , damnetur uel
abſoluatur. Septem iudices damnant,quinq; abſoluunt. Hic certa-
bitur in primis propter legem adiectam, uter magis accedat ad nu
merum præſcriptum: & fiet definitio. Nam differentia quæ eſt in-
ter 7 & 8,quæ repręſentat duas partes iudicum(ſi arithmeticè con-
ferantur)æqualis eſt ei quæ inter 5 & 6: quoniam differunt ſola mo
nade.

nadc. Sed ſi geometricè compares, plus diſtant ſex à quinque, quàm octo à ſeptem: & ratio maior ea, quæ inuenitur inter 20 & 21.

Quantitas numeri per capita Arithmetica. Cap. 26.

Arithmeticæ quantitatis ratio.

CAPITA generalia computationis ſunt, numeratio, additio (ſiue collectio) detractio, multiplicatio, partitio, æquatio, & reductio. Numeramus autem ſola recitatione numerorum per ordinem. Vbi nihil diſtinguo inter cardinales & alios: quia perinde ſunt in intellectu, unum, duo, tria, atq; primus, ſecundus, tertius: præter locorũ aut rerum ſeriem, quibus numerus applicatur. Itaq; in horis computandis uſuuenit, ut nunc cardinales, nunc ordinales percurramus. Et cum binos dicimus, non numeramus, nec cum centenarios: ſed unum ſolum numerum partibus aut toti damus, pronunciantes non aliter q̃ ſi gruum turmam Ypſilon uocares, aut aciem exercitum, & aciem quadratam. Detractio autem fieri ſolet unius numeri ab altero, ut ſciamus quid reliqui fiat: uel radicis à ſuo quadrato, uel cubo, ut ſciamus quæ'nam ea ſit: ut ſciamus inquam, quis ille ſit, ex cuius multiplicatione in ſeipſum poſsit prodire datus numerus. Interdũ appellatur diſtractio, cum numeri partes ſeponuntur locis diuerſis, ut aliqua poſtea inueniatur æquatio: ſicut in regula reductionis Italicæ. Multiplicatio exigit, ut ſingula unius numeri elementa ſigillatim per omnia alternis elementa ducantur. ſecus enim relinqueretur tanquam quadrangulum imperfectum. Namque duo numeri hic ita producunt tertium, ſicut duæ lineæ quadrangulum. Conuerſa ratio docuit partitionem. Nam quoties minor à maiore ſubtrahi poteſt, hoc eſt quod quærebamus. Æquamus autem numeros diuerſorum nominũ: ut radicem, uel partem radicis, uel fractionem, cum altero numero. Et maximè quidem requiritur doctrina reducendi, in particulis integrorum. His ergo capitibus continetur tota ars computandi: nec alijs tractantur regulæ, quas compendij cauſa multas excogitarunt arithmetici. Sed regula trium (quam meritò uocarunt auream) multiplicatione tantum conficitur, & diuiſione: reliquæ, ut regula falſi, alligationis, poſitionis, Italica, algebræ, & aliæ multæ omnibus capitibus aliquo modo utuntur. Sed exemplo omnia capita repetamus: & fingamus, manipulo ducentorum militum, quos cognatus quidam meus ducebat in Italia, centum quinquaginta additos à Marchione Piſcaræ præfecto generali Italiæ. Fiet numerus militum, 350. Si iam demantur decem ignaui, relinquentur 340. Debentur autem ſingulis ternæ drachmæ, & multiplicato numero 340 in 3: petijt cognatus ille à Marchione drachmas 1020. Interea diſtribuit per nouem ſtationes: inuenitq; in ſingulis poſſe collocari 37 milites, ſeptem reliquis.

Detractio.

Diſtractio.


Multiplicatio.



Numerorũ æquatio.



Poſtridie in aciem eduxit quadratam: factíq; ſunt ordines militum

18. & extra ordinem remanſerunt 16. Iam & progredi uoluit acie cuneata, quot fient ordines, ut poſt unũ duo, deinde tres, quatuor, ac deinceps ſequantur? per regulam Algebræ, & per progreſsiones
1.2.3.4.340 arithmeticas inueniet 28, relictis extra ordinem 14. Imperator interea miſit ex Flandria 200 florenos Rhenenſes, Philippus filius Angliæ rex ex Hiſpania 200 ducatos, regina Angliæ Philippi uxor 200 angelotos: redacti ad unum genus monetæ (quia ducatus ualet 12
320/$\frac{1}{2}$/300 Iulios, angelotus 18, florenus 8) reginæ fient 300 ducati, Imperato-
200/$\frac{2}{3}$/133.$\frac{1}{3}$ ris 133 cum 4 Iulijs. Collecti, fiunt 633 ducati: diuiſis'que in 340 milites, ceſsit unicuiq; aureus unus, cũ $\frac{313}{340}$, hoc eſt tribus Iulijs, & quinta parte Iulij. Scripſit autem Imperator, ut pro reſiduo darentur ſingulis militibus binæ ulnæ panni, rubri ſcilicet & crocei, quatenus precium æquari poterit. ſunt enim colores iſti regum Aragoniæ. Mercator uendebat rubrum 4 Iulijs, croceum uerò 12. ut duæ ulnæ

fiant precij unius aurei, octo Iuliorum cum $\frac{4}{5}$. Accipiemus regulam alligationis: ubi inuenies de rubro deberi unicuique ulnam cum dimidio, & $\frac{4}{5}$ unius octauæ: reliquum ſumetur de croceo, hoc eſt $\frac{4}{8}$ cum quinta parte octauæ. Differentiæ namq; ſunt $3\frac{1}{5}$ & $12\frac{4}{5}$, quę iunctæ faciunt 16, numeri multiplicãdi diuiſorem. nam per regulam trium ſic ratiocinamur: Si ſedecim milites ex crocei ulnis geminis accipiunt tantum $3\frac{1}{5}$, & rubri, $12\frac{4}{5}$: unus accipiet ſedecimam partem utriuſq;. Cum ita occuparetur dux in diſtribuendo panno, ecce nuncius refert inſidias poſitas eſſe ab hoſtibus. Petijt numerũ dux. reſpondit ille, ſe numerum ignorare: audiuiſſe tamen, cum eſſet in caſtris hoſtium, imperatum fuiſſe ut tertia pars eſſet ſcutatorum, quarta funditorum, reliqui haſtati: ſéq; numeraſſe haſtas quindecim. Hic poſitionibus utemur duorum numerorum per regulã falſi, quicunq; illi ſint temerè acceptorum. à quibus detractis differentijs & collatis inter ſe, ſi maiores numeros eſſe docent quos accepimus, uel minores propoſito, una ſubtraheť ab altera: ſin minus,

addetur. Deinde multiplicatis in cruce differentijs, quæ producentur, eodem modo addentur ſibi, uel ſubtrahentur: reliquum diuiditur per differentiarum reſiduum, & inuenies fuiſſe 36 in inſidijs. Idem inueſtigari poteſt per regulam Algebræ. Habet autem regula hæc (quemadmodũ Stifelius ex uarijs compilauit, magno certè iudicio) inuenturus numerum inueniendum abſconditum, ponat

Regula Algebræ.

loco illius unum Coſsicum, ut 1℞: & inuenta ęquatione aliqua, reducat eam, ſi reducenda ſit. Deinde per numerum ſigni coſsici maioris, diuidat reliquũ æquationis eidem diuiſori æquatũ, ſed denominato tamen. Et ſic ſemper proueniet numerus ille abſconditus, qui quærebatur, uel in quotiente, uel in aliqua eius radice. Radix

autem

autem ſi qua fuerit extrahenda, pulchrè hoc atq; ſufficienter ſignabit diuiſor ſuo coſsico ſigno. Hactenus regula illa admirabilis: per quam ſi idem quæramus, primò ponemus numerum coſsicum tanquam æqualem numero inueniendo. huius tertia pars & quarta ſignificentur hoc modo $\frac{1}{3}$ ℞ $\frac{1}{4}$ ℞, quæ collecta, faciunt $\frac{7}{12}$ ℞. reliqua $\frac{5}{12}$ ℞ æqualia ſunt militibus quindecim haſtatis. nam ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, ſunt ęqualia. Iam diuide 15 per $\frac{5}{12}$, fient 36, quem quærebamus ignotum. Eadem ratione inueniebātur partes hæreditatis antea. Quærebatur enim numerus per ęquationem, in quo reperiri poſſent partes datæ: idq;, multiplicatione denominatorum in ſe omnes, fiebat. Hunc poſtea ſimul collectum, per eaſdem ſigillatim diuidebat: ac demum collectis particulis, aſſem partiebatur: quem collectas portiones denique æquare oportebat. In hunc quidem modum, exempli cauſa, tractationes capitum arithmeticorum omnium fieri poſſe exiſtima. Si quid autem difficilius occurrerit, ne pudeat te, cum tu magnis negotijs reipublicæ hoc noreris, eos conſulere, & aliena opera non magno ſumptu frui, qui mediocritate fortunæ contenti, ad naturæ contemplationē ſe contulerunt. Illud ſilentio prætermittendum non eſt, numeros quoſdam eſſe diuiſionibus in primis idoneos, quos expedit ſemper habere in promptu, ut eum inueniamus qui habeat datas partes. Veluti ſenarium, conſtat enim ex ſuis partibus: octonarium, qui dupla procedit diuiſione: duodenarium, qui uaria. Sexagenarius tam ſubtractioni quàm additioni aptiſsimus, ab Aſtrologis delectus eſt. Quinquies denique mille quadraginta, ſectionem recipiunt ab uno uſque ad decem. Hunc numerum Plato in quinto de Legibus eſſe iubet agricolarū & agrorum ſuæ reipub. In commercijs duodenarius as dictus eſt, tum in ponderibus nominandis & moneta, tum in hæreditatibus herciſcundis, quanquam libram nonnulli populi dupla ratione magis diſtinguunt, ſedecim unciarum: unciam uerò octo drachmarum, ſed hanc tribus ſcrupulis pendunt: ſcrupulum triginta granis ordei.

Numeri diuiſionibus aptiores.

Communis qualitas, & amplificatio. Cap. 27.

PRO eadem re ſuprà accipiebamus communem qualitatem, & quęſtionem epilogicam: licet alijs modis qualitatem tam in perſona quàm in re multis modis accepimus alijs locis. Hic enim duas partes epilogicæ quæſtionis facimus: una eſt epilogus, altera amplificatio. quæ ideo communis qualitas dici potuit, quia maximè locis communibus ſubſiſtit, & ijs quæ communiter accidunt. Sed amplificatio ad impellendos animos, epilogus ad reficiendā memoriam comparatur: ambo autem perorationi ſeruiunt. Eſt autem epilogus, breuis repetitio, capita

Epilogicæ quæſtionis partes.

Epilogus quid.

probationum pręcipua colligens: non ut erant propoſita, aut adeò diligenter ut ſtudium appareat: ſed mutata forma, figuraq́ue tam ſententiarum quàm dictionis: ueluti per occupationẽ, proſopopœiã, ironiam, per metaphoras, epiſtrophas, antitheta, diuiſa ac propè

Exemplum epilogi. comminuta oratione: Quare conſeruate, Iudices, hominem pudore eo, quem amicorum ſtudijs uidetis comprobari, tum dignitate,
» tum etiam uenuſtate: ingenio autem tanto, quanto id conuenit exi-
» ſtimari, quod ſummorum hominum ingenijs expetitum eſſe uide-
» atis. Cauſa uerò huiuſmodi, quæ beneficio legis, autoritate munici-
» pij, teſtimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur. Ergo epilogus in primis referendus ad eas partes cauſæ eſt, quas in probationum partitionibus feciſti. Tranſitio autem ad epilogum quoq; pertinet: de qua in partibus orationis nonnihil.

Amplificationis uſus. Sed de amplificatione dicere iam aggrediamur: cuius uſum atq; utilitatem inde licet conijcere, quòd hac in una totius eloquentiæ, alteram uim poſitam eſſe, plerique ſenſerunt artium ſcriptores: quaſi ex incremento atq; enargia ſubſiſtat ſublimitas & idea, quam alij uocarunt δεινότητα, alij ὑψότητα, alij aliter. Quapropter & nos hoc loco diligẽtius eam perſcrutari oportet. Ac primùm quidem de quantitate agendum:

Amplificationis partes. quoniam amplificatio (quæ mea eſt ſententia) quatuor partes habet: nempe quantitatem, euentum, proſopopœiã, & communẽ locum. Quantitas, ut ſummatim dicamus, facti ſpeciem auget, aut minuit: locus uerò, genus facti. In euentu ea ponuntur conſideranda, quæ futura proſpiciuntur, bona aut mala: proſopopœia tum affectam, tum moratam orationem effingit. Omnis enim ſermo qui non modò perturbationem, ſed alium quemuis animi affectũ oſtendit, per-
» ſonam à me dicitur effingere. Quæ cum ita ſint (inquit in eadẽ per-
» oratione) petimus à uobis Iudices, ſi qua nõ modò humana, uerùm
» etiam diuina in tantis negotijs cõmendatio debeat eſſe, ut eum qui
» uos, qui ueſtros imperatores, qui populi Romani res geſtas ſemper
» ornauit, qui etiam his recentibus noſtris ueſtriſq; domeſticis peri-
» culis æternum ſe teſtimonium laudum daturum eſſe profitetur: &
» quæ ſequuntur.

Quantitas. Cap. 28.

Quantitas pragmatici generis. DE quantitate igitur primùm. nam & hanc frequẽter appellari contingit amplificationem. Eſt autem quãtitas, pragmatici generis extra ſcriptum quoq; potiſsima, & rei ad modũ propria conſideratio. nam ut alibi iuſtum & ęquũ & probabile, uel cõtrà, conantur efficere: ita hoc caput magnum & admirandum. Et cum multa ſint ex ſeſe magna & grauia, ut religio, imperium, parricidiũ, magnanimitas: tamen pleraq; à nobis oratione maiora efficiuntur: nonnulla etiam ſunt, quæ ſi ſola nu

daq;

daꝗ́ omni incremento oculis audientium oſtenderentur, nullam ſui admirationem excitarẽt: ornata uerbis, & ſublata altius, molem momentumꝗ́ accipiunt admirandum. Ita etiam contrà, adulteriū & parricidium non'ne magna ſunt? at ſi quis Iouis adulteria recitet, & in patrem Saturnum contumelias, non adeò grauia apparebunt, ab exemplo. Sit ergo quantitas, aperta ambitioſaꝗ́ rei cuiuſcunque tam amplificatio quàm extenuatio. Nimirū ſi res quæ alioqui bona eſt: aut mala, melior fieri, aut deteriòr oſtendatur per ea quæ adhibentur. Contraria enim amplificationi extenuatio, eandem planè rationem ſequitur: præterquam quòd extenuando, atque abijciendo ut minorem oſtendere rem ſtudet, ſic paucioribus ſæpe uerbis ijs tamen figuratis, eſt contenta. Volunt tamen quidam hanc eſſe indignationem: alij appellant exaggerationem, alij locum communem. Sed aliud nos locum communem ſumus oſtenſuri: & indignationem à proſopopœia non ſeparamus, ut paulo pòſt conſtabit. Primum ergo caput ſit quantitas ipſa, quod magnū aut paruum eſt: ſumpto ad id argumento ex re, utpote multum neceſſaria, utili, decora, quæ ad charitatem pertineat, & omnem honeſtatem: ex eius circūſtantijs, loco, tempore, cauſa, modo, materia, & ex perſonæ circunſtantijs. Sumitur inquam quantitas tam ex rei quàm ex perſonę circunſtantijs: quorū utrunꝗ́, & res & perſona, duobus accidentibus augeri poteſt: quantitatis inquam, & qualitatis. Duplex autem ab Ariſtotele tradita ſuperius eſt quātitatis ratio, continuæ atꝗ́ diſcretæ: quomodo perſonam licet declarare magnam, ut principem, ſummum pontificem, Imperatorem: & ad multas perſonas pertinere, multorumꝗ́ intereſſe. nec aliter res negotium'que non ſolum magnum, ut mons, parricidiū, triumphus: ſed multa etiam cōplecti alia: & factum magno tempore, magno loco, multis'que, magno impetu, magna ſęuitia. Qualitas autem augere poteſt: ut qualis perſona? priuatus, an magiſtratus? mulier, agricola? Qualis quoque res? utilis, honeſta, decora, credibilis: aut contrà, præter opinionem: quis unquam uidit? quando apud homines auditum? res flagitioſiſsima, iniquiſsima: per capita finalia diſcurendo, ut uidebitur, cum ſuperlatiuo gradu. Iam hæc enthymematib. excreſcere, à minori ad maius, à ſimilibus, diſsimilibus, contrarijs, nō eſt huius loci aut doctrinæ: quoniam in probationum præceptis illa docebimus ſeduló, & inter partes orationis (Deo propitio) methodum eius exponendæ rei (ſi qua eſt) inueſtigabimus. Enunciemus itaꝗ́ rem magnam, quia perſona magna, aut eius generis quæ rem magnam arguat. Sed & rei ipſius magnitudinem proponere licet, præter ea quæ dixi quæꝗ́ inſunt propria, ex contrarijs quoꝗ́. ut contra parricidium: Magna eſt uis humanitatis, multum ualet commu-

Quantitas quid.

Quantitas duplex.

Qualitatis amplificatio.

Amplificatio ex contrarijs.

communio ſanguinis. Illa autem ratio tractationis, qua longius petito initio frequenter ingrediuntur grauiſsimi quiq; oratores, longè mihi optima uidetur: qua deſcendimus à genere ad ſpeciem, & tanquam à communi loco ad proprium. ut laudaturus (uerbi cauſa) beneficium quod acceperis à diſcipulo, magnam laudem eſſe dicas primo loco gratitudinis: deinde, magnum id quod acceperis. Haud difficile autem eſt, non ad unam tantùm, ſed ad plures etiam generales quæſtiones reuocare eam, quæ ſit propoſita, & ex una quaſi diuerſas plures facere, ſi ad ea quæ ſunt in propoſito themate reſpicias: perſonam ſcilicet, negotium, & cauſam cum circunſtantijs. Atque hæc de primo capite. Secundum caput eſt ab imo ad ſummum, expoſitio euidens per circunſtantias. Poteſt tamen, & ſæpe fit, ut ea negotij expoſitio in finem rejjciatur, præſertim in communis loci tractatione. Eſt enim locus non diſsimilis quantitati, ut paulo pòſt apparebit. expoſitio autem hæc ſi fiat per diuiſionē negotij, uulgo iam ab omnibus dicitur incrementum: quoniam quaſi gradibus quibuſdam non modò ad ſummum peruenitur, ſed interim quodam modo ſupra ſummum. ut non ſolum hoc, ſed etiam hoc fecit. nec una tantùm pars eſt aut locus quantitatis, qui hac figura duci queat. nam definitiones ſunt illæ: Facinus eſt uincire ciuem Romanum, ſcelus uerberare, propè parricidium necare: quid dicam in crucē tollere? quæ quia plures ſunt, comparationi inſeruiēt. ſic & in alijs inueniri poteſt. Exponimus autem in narratione etiam præter alia, quæ uериſimile eſt dicta eſſe & facta, uel exiſtimata, tam à nobis, quàm ab alijs. Rei præſentis faciem inducemus, ut quaſi ponat̃ ob oculos. Dicemus (uerbi gratia) florere rempub. ciues pace nunc & rerum omnium copia affluere: Intuemini faciem ciuitatis: conſiderate fortunam ueſtram. Tertius locus detur finitioni. Hic deflexa paululum ſignificatione, aut translata nomina alia imponimus, aut rem ab alia ſeponimus: Non hoc eſt, ſed hoc. Sequitur continentia, qua factum nō eſſe ſimplex aut unum, ſed multa ſecum continere dicitur, & ad multos ſpectare: Conſiderate q̃ multi populi & nationes, participes noſtræ felicitatis, Deo gratias agunt. Ex continentia autem multa & præcipua manant epicheremata. Quinto loco fieri poteſt tacita comparatio uel expreſſa. Eſt autem expreſſa, cum aliud tanquā maius, aut minus, aut æquale opponitur.

(Incremētū.) (Cōparatio expreſſa.)

O felix longè ante alias Priameia uirgo
Hoſtilem ad tumulum Troiæ ſub mœnib. altis
Iuſſa mori: —*O terq; quaterq; beati, &c.*

Et illa: —*non tam turpes pecudum tamen ulla ſecuta eſt Concubitus.*—

Atq; hæc quidem aperta eſt comparatio, & cum ſimilitudine in du

cipo-

ci poteſt.ut hæc,

—Tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta ſolent inter uiburna cupreſſi. Et cum inductione multorum quibus rem præferamus:
Populus Alcidæ gratiſſima, uitis Iaccho,
Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo:
Phyllis amat corylos. illas dum Phyllis amabit,
Nec uitis uincet corylos, nec laurea Phœbi.

Non tam aperta eſt, quæ negotium diuidit per incrementum, ut illud per remotionem: Non enim furem, ſed ereptorem: non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ: non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum religionumq́; : nō ſicarium, ſed crudeliſs. carnificem ciuium ſociorumq́; in ueſtrum iudicium adduximus. Incrementi autem tota uis in eo ſita eſt, ut à minoribus ad maiora aſcendendo, paulatim per inductionem ſimilium aut diſsimilium ad ſummū aliquid perueniatur: unde Græcis dicta eſt ἐπίβασις. & quamuis uidetur negotij diuiſio, tamen magis ficta eſt argumentatio: quia id aſſumit quod in re non eſt, ueluti ſimile uel contrarium. Verùm ſi uno uerbo aliud aut plura intelligi uolumus, aut ſupra rei ueritatem: tunc erit omnino tacita. Cuius nomina ſunt, emphaſis & hyperbole. Sed figurę potius aut ſpecies elocutionis, quàm loci aut capita. Poſt hęc erit proſopopœia: Deos deasq́; omnes teſtor. Exhortationis, indignationes: ut, Factum ab eo à quo minimè oportuerit, præter omnium expectationem, indignum miſericordia. Imprecationes, diræ, & omnes orationis concitatæ formæ, quas Gręci dicunt προσφορικοὺς. nam moratæ illę, Exiſtimabam, uoluiſſem, dixiſſem, & id genus, paſsim, neq; hoc tantum loco adhibendæ erunt. Septima fiet coniectura uoluntatis: ut, qua mente, quo'ue cōſilio agere id decreuerit: tum diuinatio quędam eorum quæ facta eſſe, aut omiſſa ſit uериſimile, tam ante rem quàm poſtea. Octauo loco, τὰ ἐκ τῆς ἐκβάσεως: cum ea prædicimus, quæ futura imminent, niſi occurratur. Ornāda poſtremò omnia ſunt capitibus primis: hoc eſt, exemplis, ſimilitudinibus, comparationibus, teſtimonijsq́; uarijs. Cui admouebitur (ſi opus eſt) epilogus, cum exhortatione uehementiori: Vt ſuis rebus proſpiciant iudices: ut uim uirtute propulſent: cum figuris eloquentiæ omnibus, & modis, maximè uerò diſtributionibus & congerie: ut, Quicquid libidine, quicquid fraude, quicquid ſcelere peccatum eſt. Mutationibus temporum: ut, Perij. numerorum: ut, Ædes ſacras incēdiſti. perſonarū: ut, Fabij, Curtij, Coclites. cum plenitudine orationis: niſi dictionem atrocitate metiaris. quoniam hic languent omnino circunductus. Atq; hinc ſermo ſtatim abrumpet in communem locum. Exemplum mutuati ſumus ex T. Liuij

Exemplum ex Liuio.

libro 39. ab Vrbe, modicè tamen demonſtrandi artificij cauſa, ad
rectam & ſimplicem formam redactum. Quantitas eſt hæc: Equi-
» dem nec quid taceam, nec quatenus eloquar, inuenio: ſi quid igno-
» rabitis, ne locum negligentiæ dem: ſi omnia nudauero, ne nimium
» terroris offundam uobis, uereor. Quicquid dixero, minus eſt quàm
» pro atrocitate rei, & magnitudine dictum ſit exiſtimate. Ab imo
» ad ſummum: Bacchanalia tota iampridem Italia, & nūc per urbem
» etiam multis in locis eſſe, non fama modò accepiſſe uos, ſed cre-
» pitibus etiam, ululatibusq́ꝫ nocturnis, qui perſonāt in urbe, certum
» habeo. Definitio: Cæterùm quæ ea res ſit ignorare, alios deorum
» aliquem cultum, alios conceſſum ludum & laſciuiam eſſe credere, &
» qualecunqꝫ ſit, ad paucos pertinere. Sed ſi dixero multa milia homi
» num eſſe, ilico neceſſe eſt ut exterreamini: niſi adiunxero, qui qua-
» lesq́ꝫ ſint. Primùm igitur mulierum magna pars eſt: & is fons mali
» huiuſce fuit. Deinde ſimillimi fœminis mares, phanatici, uigiles, ui
» no, ſtrepitibus, clamoribusq́ꝫ nocturmis attoniti. Comparatio
» per incrementum: Minus tamen eſſet, ſi flagitijs tantum effœmina-
» ti forent (ipſorum id magna ex parte dedecus erat) à facinorib. ma-
» nus, mentem à fraudibus abſtinuiſſent. Continentia: Nunquam
» tantum malum in repub. fuit, nec ad plures, nec ad plura pertinens.
» quicquid his annis libidine, quicquid fraude, quicquid ſcelere pec-
» catum eſt, ex uno illo ſacrario ſcitote ortū eſſe. Proſopopœia: O
» nefandos cœtus. Si quibus ętatibus initientur mares ſciatis, nō per
» Iouem miſereat uos illorum ſolum, ſed pudeat. hoc ſacramento ini-
» tiatos iuuenes, milites faciendos cenſebitis Quirites? His ex obſcœ
» no ſacrario eductis arma committenda? hi cooperti ſtupris ſuis, a-
» lienisq́ꝫ, pro pudicitia cōiugum ac liberorum ueſtrorum ferro de-
» cernent? Non puto, Quirites. Coniectura: Quales enim primùm
» nocturnos illos cœtus, deinde promiſcuos mulierum ac uirorum
» eſſe creditis? Euentus: Nec dum omnia, in quę coniurarunt, edi-
» ta facinora habent. Adhuc priuatis noxijs (quia nondum ad remp.
» opprimendam ſatis uirium eſt) coniuratio ſe impia tenet: creſcit
» & ſerpit quotidie malum: iam maius eſt, quàm ut capere id priuata
» fortuna poſsit: & niſi præcauetis, ad ſummam reipub. ſpectat. Iam
» huic diuinæ, legitimè ab Conſule uocatæ, par nocturna concio eſſe
» poterit. Nunc illi uos ſinguli uniuerſos concionantes timent iam,
» ubi uos dilapſi domos & in ueſtra rura eritis, illi coierint, conſulta-
» bunt de ſua ſalute ſimul, ac ueſtra pernicie. Singulis uobis uniuerſi
» timendi erunt. Capita prima ex dictis ſapientum: Non ſine cau-
» ſa maiores noſtri prohibuerunt, ne uos quidem, niſi cum uexillo in
» arce poſito comitiorum cauſa exercitus editus eſſet, aut plebi conci
» lium tribuni edixiſſent, aut aliquis ex magiſtratibus ad concionem
uocaſſet,

uocaſſet fortè, temerè coire uoluerunt: & ubicunq; multitudo eſ- «
ſet, ibi & legitimum rectorem multitudinis cenſebant debere eſſe. «
Facile namq; diſſoluitur in petulantiam, niſi coherceatur, temeritas «
multitudinis. Epilogus: Optare igitur unuſquiſq; ueſtrûm de- «
bet, ut bona mens ſuis omnibus ſit: ſi quem libido, ſi furor in illum «
gurgitem corripuerit, illorum cum cum quibus in omne flagitium «
& facinus coniurauit, non ſuum iudicet. Ne quis etiam errore la- «
batur ueſtrûm quoque, non ſum ſecurus. Nihil enim in ſpeciem ſal «
lacius eſt, quàm praua religio. «
Hic iam egreditur Cato in cõmunem locum, de falſa religione, quem tractat quantitate & chria. Vtemur itaq; uerbis relatis, iteratis, duplicatis, frequentatis, gradationibus, commorationibus, interrogationibus, exclamationibus, ironijs: genere demum orationis uehementi & pleno. Sed ut paucis capita reſumamus: quãtitas ducitꝰ magnitudine, ab imo ad ſummũ, fine, comparatione, continentia, proſopopœia, cõiectura, euentu, capitib. primis, epilogo, & denique communi loco. Vires aũt maximas ſumit ex metaphoris, & enallagis (ut dixi) & proſopopœijs, & diuiſionib. negotij per incrementa. Cætera ſunt ei cum alijs communia. Atq; hæc quidem eſt amplificatio. Sed quia proſopopœia quæſtionem epilogicam mouet, & quantitati inſeruire dicta eſt: uidendum iam, quibus modis fiat allocutio. Hæc eſt enim maximè omnium pathetica. *Quantitas quibus poſſ. ducatur*

Tractatio morum, ſeu allocutionis per capita. Cap. 29.

DE moribus ſuprà cum loqueremur, tribus eam partem diſtinxi generibus: notatione, deſignatione, & allocutione. Deſignationis porrò duo officia inuenta ſunt: motus, & adiudicatio. Nam ſignificatio perturbati animi dicta eſt πάθος, id eſt motus: ſignificatio ſententiæ & opinionis, ἐπίκρισις. quę ſi dubiè fiat, dicitur ἢ δοιασμὸς: ſi certò, ἐπικύρωσις, id eſt approbatio. Vtraq; tamen confirmatio eſt alicuius dicti. Illius exemplũ eſto: Vt mihi uidetur, niſi fallor. Huius rurſum quædam eſt cauſa facti (Græcis dicitur λογισμὸς, id eſt conſideratio) ut, *Deſignationis officia.* *πάθος.* *ἐπίκρισις.* *ἐνδοιασμός.* *ἐπικύρωσις* *λογισμός.*

Nos abiiſſe rati, & uento petiiſſe Mycenas.

Alia, facti comprobatio: ut, Ita ſentiunt Epicurei, ita res habet, ita ferunt. Hanc impunè dixeris Græcè βεβαίωσιν, id eſt cõfirmationem, corroborationem, comprobationem. quoniam confeſſum ait, & exiſtimatum eſſe. Iunguntur βεβαίωσις & ἐπίκρισις in hac: uelut, Poetæ prædicant, & ego credo. *βεβαίωσις.* Intelligendum tamen eſt, quòd tribus iſtis generibus comprehenſos mores, hoc eſt ἦθος, Latini ferè omnes traduxerunt notationem. Quid autem ita, diſputare in præſentia non eſt animus. quoniam utcunq; appelles, modò conſtet de natura rei, laborandum non ſentio. Quod enim Quintilianus ſic *Notatio.* *Quintiliani locus.*

o diſtin-

diſtinguit,ut ſententia ſit uniuerſalis uox,ethologia autem perſonis contineatur:& quanquam trium(nempe ſententiæ,chriæ, & ethologiæ)ſimilis ſit ratio,ſed forma(inquit)diuerſa eſt : ſi clarius ſe expoſuiſſet Quintilianus,ſequendus fortaſſe ueniret.Sed nihil eo modo cum declaret, nos eam rationem ſequemur, quæ ſuperius data eſt. Cæterùm ut in exclamatione & elatione quaecunque uocis mores exprimantur(nihil enim magis animi occultam uim declarat,quàm cum expreſſa uòx ſubitò erumpit)quia non ſatis uidetur aptum nomen allocutionis notatio,præſtiterit ethologiam partem ſpeciemque definire τῶν ἠθῶν,quàm genus. Eſt autem hoc loco neceſſaria

Ethologia. diſputatio de moribus,quia ſermo omnis de re fit aliqua, & à perſona fit aliqua,aut ſine perſona.Sine perſona quidē theſis eſt,cum perſona hypotheſis. cum ergo de ſtatibus, & eorum capitibus, quibus rerum diſputationes continentur, abundè dictum ſit hactenus:de moribus quoque aliquid iam præcipiendū eſſe, quis inficiabitur? Et ſæpius quidem,& multis in locis ſeſe nobis offeret eadem quæſtio (ut in partibus orationis iudicialis,& in figuris, atque etiam generibus dicendi) non eodem tamen modo diſputāda. Nam ſuprà lib.1. morum genera ſeu partes, ut reliquorum capitum & locorum, ita enumerata ſunt,ut præter genera & ſpecies,nihil,aut certè minimū eſſet,quod per occaſionem inſertum in hoc aut aliud tempus reſeruari debuerit: hic autem cuiuſque formę capita & aggreſsiones quo modo inueniantur,operæprecium uiſum eſt tradere. Cum autem orationis figuras excutiemus,tum in proſopopœia de moribus etiam eatenus dicemus, quatenus ſententia poteſt ex moribus conformari, & à proprio naturalique habitu deflecti. Quoniam igitur

Morum tractatio unde potiſs. petenda mores partim ex notatione perſonæ diſcimus,partim ex deſignatione ſententiæque mentis,partim ex orationis figura ſeu elatione,partim etiam proditur actione & geſtu totius corporis : actionem uerò tanquam rem hiſtrionicam noſtra inſtitutio iam prætermiſit:ſupereſt,ut ex perſonæ qualitate eos inueſtigemus,aut mentis ſtudijque ſignificatione declaremus tam noſtri, quàm eorum de quibus agitur,& quorum mentio fit in noſtro ſermone. Et ſententię quidē declaratio mores habet:uel quia ex animi affectu talis ſubitò erumpit,uel quia talem eſſe animum pronunciat.Perſonæ uerò notatio,

Perſonæ notatio. quia pater, meretrix,leno, æger, & ſimilia, omnia affectus atque ſtudia ſubindicant: adeò ut tota ſæpe oratio quamuis à moribus remotiſsima,una tantum dictione afficiatur:

Tempus erat,quo prima quies mortalibus ægris Incipit.

Quæ quoniam perſona caret, & morum quoque minus aſſequuta eſt.In perſona autem certa definitaque,ſic ij quærendi ſunt,quemadmodum circunſtantiæ eius docebunt,fietque Achilles

Impiger,

Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget ſibi dicta, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, inuictaq́; flebilis Ino:
Perfidus Ixion, Io uaga, triſtis Oreſtes.

Sic deniq; agere aut pati quemq; enarrabimus, ut illi inditũ eſſe probabile eſt, uel à patria, uel à genere, uel ab ætate, uel à fortuna, uel à ſtudijs, uel à relatione, uel à uoluntate, uel etiam ab habitu corporis, quod facies tota indicabit. Habebit ergo patria ſuos mores: & gentis totius laudatio, notatio quædam eſt morum patriæ. Sic & maiorum imitatio, ætatis cuiuſq; ſtudia, etſi communia multis ſunt, propria tamen fieri uidentur. Pariter quæ in fortuna tam proſpera quàm aduerſa fieri ab alijs uidemus, eadem de propoſita perſona, expoſita notatio reponet. Atq; idem eſto iudicium de cæteris. Habitus uerò quidam corporis ſunt, qui expoſiti ſimul cum notatione miſcent chreſteriaſmos. ut, Ardebant oculi, furor in uultu cernebatur. ſic, *Alloquitur male ſana ſororem:* &, *Habitus corporis.*

Diſiectamq́; comas, auerſaq́; in ora iacentem
Inuenit, & lachrymis omnia plena meis.

Ergo uultus aut uocis & geſtus expreſſa mutatio, ut furere, clamare, geſtire, ridere, collachrymari cum ſimilibus, quæ manifeſtum habent cum geſtu corporis, animi motum, tam partes tractandæ notationis erunt, quàm chreſteriaſmi, & ſecundo loco addentur: *Chreſteriaſmi.*

— Hærent infixi pectore uultus
Verbaq́;, nec placidam membris dat cura quietem.

Hanc denique ſequetur allocutio. ut,

Anna ſoror, quæ me ſuſpenſam, &c. &,
Triſtis abis: oculis abeuntem proſequor udis:
Et dixit tenui murmure lingua, Vale.

Vtriuſq; autem deſignationis, tam paſsionis inquã quàm adiudicationis, ethologia comes eſt. ut,

Credo equidem, nec uana fides, genus eſſe Deorum.
Degeneres animos timor arguit.—

Itaq; notationem ſequitur deſignatio cum cauſa: hanc mutatio aliqua exterior, & motus implet allocutio.

— Subitò è ſyluis macie confecta ſuprema
Ignoti noua forma uiri, miſerandaq́; cultu
Procedit, ſupplexq́; manus ad littora tendit.
Reſpicimus: dira illuuies, immiſſaq́; barba,
Conſertum tegmen ſpinis: at cætera Graius,
Et quondam patrijs ad Troiam miſſus in armis. habes notationem.
Iſque ubi Dardanios habitus & Troia uidit

Arma procul, paulum aſpectu conterritus hæſit,
Continuitque gradum: mox ſeſe ad litora præceps
Cum fletu precibusque tulit. Hactenus deſignatio motus tam exterioris eſt, quàm interni, cum cauſa. mox additur allocutio:
Per ſuperos, atque hoc cœli ſpirabile lumen,
De allocutione. *Tollite me Teucri*, & quæ ſequuntur. Iam uerò tempus eſt, ut de allocutione agamus, & quo quæque eius formæ modo exponantur: modò illud primùm à te petam, ne ſingulorum capitum amplam & latè patentem expoſitionem exigas: quoniam hæc nec poſſet huius uolummis anguſtijs contineri, nec melius quàm paucis & facilimis iudicijs tradi poſſe, ipſe unquã exiſtimaui. Illud uerò quod præcipitur ab omnibus, circa mouendos affectus (in eo ſummã eſſe, ut prius moueamur ipſi) actionis præceptum eſt, non inuẽtionis, quã hic docemus: nec uolo tamen neglectum, quia magnam uim habet, ut rem agas non quaſi alienã, ſed tuam quaſi furore percitus: ut tanquam in tuo caſu doleas, & tanquam ſi oculis ea cerneres quæ fortaſſe non tam re quàm uerbo oſtendis. abſentium namque rerum imagines licet non minus concipere uirtute imaginandi, quàm ſi præſentes non ſolum cõtemplaremur, ſed re ipſa etiam ageremus. Porro qui audiunt, neceſſe eſt etiam affici ob ſympathian animorum: Simile quid experimur in duarum teſtudinum fidibus: quarum altera ſuper alteram poſita, ſi chordam percutias unius, contremiſcent in altera omnes illi conſonæ, cæteris quieſcentibus: ita mouentur noſtro dolore omnes, in quibus eſt morum aliqua ſimilitudo
Exclamatio. nobiſcum. Sed ad penſum noſtrum ueuertamur. Prima ergo ante alias ſeſe offert ἐκφώνησις, id eſt exclamatio: quippe quæ multis alijs allocutionibus inſeruiat, & tanquam materia omnis effutitij ſenſus cõſtituatur. Nam inuocationes, execrationes, uota, exultatio, admiratio, miſeratio, indignatio, & ferè omnes uoce aliqua incipiũt, cum impetu, ob ſubitam mentis commotionem elata. ita ſignũ exclamationis eſt ſemper uerbum aliquod effutitium, ut uocat Varro: hoc eſt, interiectio aliqua læta uel ſecus. Compellamus autem noſipſos & alios, obteſtando fidem, quæ inuocatio definitur: Dij immortales, Proh Iupiter, Iuno Lucina fer opem. Iurãdo: *O' uos æterni ignes, & non uiolabile ueſtrum Teſtor numen, ait.* miſerendo ſortem: *O' Troia, ô diuûm domus*, Ilium deteſtando: O facinus audax, ô portentũ in exteras regiones deportandum, ô calamitoſam meam ſenectútem. laudando:
Inuocatio. O' fortitudinem inauditam, Euge poeta. commonendo: Heus, caueſis. cõtemnendo: Ridiculum caput. imprecãdo: Vah qui deſtruis templum Dei. admirando: Papæ noua figura oris. exultando: Euax iurgio uxorem abegi. conquerendo: Ah Corydon Corydon. Exclamatur etiam abſque apoſtrophe ad perſonam: Hehe ipſe clypeus cecidit.

cecidit. Optando, hoc eſt ſignificando uotum animi: *O' utinam tunc cum Lacedæmona claſſe petebas.* Vtinam aliquando dolor populi Rom. pariat, quod iam diu parturit. Sed perſona tamen latet: ut, O' me miſeram, aut felicem, aut aliud quid ſimile. Hic lamentãdo duplex: Heu qua me cauſa fortuna infeſta premis. ſic,

Hei mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo

Hectore: datiuus eſt perſonæ, ad aliam perſonam, quoq;. ut auerſando: *Dij talem terris auertite peſtem.* Quoties igitur uox eo modo erumpit, animi motu uehementiori expreſſa, ſemper ad perſonatum aliquid cõuertitur, & propriè dicitur exclamatio: & figura eſt propria eius allocutionis quam interpretatur. Hanc deinde ſequi debet cauſa, cum quantitate: tanquam iuſta excuſatio eius impotẽtiæ, quæ uocem cum clamore edidit. ut in exultatione, Dij boni, exclamatio eſt: Boni quid porto? quantitas. inuocationis exclamatio: *Exultatio.* Proh Iupiter, Ante rates cauſam agimus, & mecum cõfertur Vlyſſes, quaſi indigniſsimum facinus. Exultatio apud Terentium, cum geſtu præ gaudio primùm & deſiderio ſimul prorumpit: Quem ego potiſsimum exoptem nunc mihi, cui hęc narrem, dari? ſequitur amplificatio: Ego uitam deorum propterea ſempiternam eſſe arbitror, quòd uoluptates eorum propriæ ſunt. Dubitationem ſequi tur cauſa duplex. ut apud eundẽ: Nec quid agam certum eſt, Pamphilum'ne adiutem, an auſcultem ſeni. Cauſa duplex: Si illum relin- *Dubitatio.* quo, eius uitæ timeo: ſin opitulor, huius minas. Admiramur autem noua, magna, incredibilia, honeſta, turpia, ridicula. Quare tribus *Admiratio* locis ducetur, exclamatione, quantitate, & finitione. Parrheſia autem quæ in dicendo licentia definitur, propoſitionem incipit, & in *Parrheſia.* aduerſatiuam terminatur: Et forſitan in ſuſcipienda cauſa temerè impulſus adoleſcentia fuerim. Qui quidem ſemel ſuſcepi, licet Hercules omnes terrores, minæ, periculaq; impendant omnia, ſuccurram, &c. item, Suſcepto bello Cæſar, geſto iam ex parte magna, nulla ui coactus, conſilio ac uolũtate mea, ad eą arma profectus eſt, quæ erant ſumpta contra te. Item pro Domo ſua: Diſrumpatur licet iſta furia, atq; audiat hæc ex me, quoniam laceſsiuit. Pro Ligar. Quantum potero, uoce contendã, ut hoc pop. Rom. exaudiat. Pro Agrar. Ego autem non ſolum in hoc loco dicam uti eſt dictu facilimum, ſed in ipſo ſenatu, in quo etiam locus huic uoci nõ uidebaẽ, &c. Vehementiſsimæ ſunt querelæ, & uarias recipiunt exclama *Querela.* tiones, maximè ſub finẽ. nam in ingreſſu cum doloris ſignificatione comparamus præterita cum præſentibus: ut, priſtinam felicitatem cum præſenti miſeria, aut aliorum fortunam cum noſtra. illius exemplũ Euripidis eſt in Hecuba, ἄγετ᾽ ἐρβοῦσαι τὴν ὁμόδουλον νῦν προπόλοις, ὑμῖν, πρόσθεν δ᾽ ἄνασσαν. alterius uerò, Senecæ in Hercule:

Soror Tonantis. Sed in comparatione diutius commoramur, ſingula deplorãtes ab imo ad ſummũ, quæ uel olim iucunda, uel nunc calamitoſa acerbáq; uideantur. Huius rei argumentum præbet nomen Græcum. nam μεμψιμοιρία reprehenſio accuſatióq; eſt ſortis

Expoſtulatio. & fati. Sed conqueſtionis erit alter locus expoſtulatio, quòd non potuimus officium noſtrum pręſtare: Non adfui, ultimum ſpiritum non excepi: aut, Non adfuit, inclamantem ſe non reſpexit ſceleratus: *His etiam ſtruxi manibus, patrioſ que uocaui*
Voce deos, ſic te ut poſita crudelis abeſſem. Efficiendũ autem eſt, ut hæc uideantur magna, quòd præter dignitatẽ & merita acciderint: ut, Per undas auſa ſequi. aut præter ſpem: ut, Infelix quæ memet in omnia uerti. ea namq; quæ iamdudũ præuiſa ſunt, non tam ſolent offendere: quanquam uexatio eſt aliquando diuturnus timor. Et, Vana uates ante Caſſandram fui. augenda igitur rei indignitas comparationibus: ut, *Mars perdere gentem Immanem Lapithûm potuit: Aſt ego magna Iouis, &c.* Per hyperbolen etiam, non autem per aliam ironiam: quia indignatio, non querela uideretur. ut illa: *Credo mea numina tandẽ Feſſa*

Hypotypoſis. *iacent.* Tertia hypotypoſis. ſic deſcribatur calamitas, ut quaſi oculis cernatur: accommodato etiam ſermone, ſi uidetur, rebus mutis.

Conceſsio. Quarta Syngnone, id eſt conceſsio. ut, *Non dabitur regnis, eſto, prohibere Latinis: At trahere, atq; moras tantis licet addere rebus.* Ea fit, cum uoluntati aduerſarij nos ſubmittimus: Agat iam quod iubet. Aut poſtulamus ueniam & miſericordiam, aut commendamus aliquid iudicibus. ut, Sepelite corpus hoc meum, miſeremini ſenectutis afflictæ, ne ſaltẽ meos fame interire liberos patiamini. Vota, preces, inuocationes, dubitationes paſsim.

Correctio. Vltima ſit ἐπίστασις, ſeu correctio iam pacatior, cum deſignatione aliqua: Non meam ego ſortem & calamitatem lugeo, aduerſam ſæpe fortunam expertus in alijs, quam forti & conſtanti animo ferre me oportuit: ſed liberorũ meorum lachrymas, paupertatem, exilium, &c. Atq; his quidem argumentis tractatur. & augetur cõqueſtio: cuius exemplis omnes tam Latini quàm Græci dramatum ſcriptores nõ ſolum tragœdias, ſed

Indignatio. & comœdias quoq; plerunq; auſpicati ſunt. Vnde & illud factum eſt, ut querimonia ſola cum indignatione poſita ſit quibuſdã in affectibus. Differt autem ab indignatione, quòd lamentationem ca habet potius q̃ odium, & humilioris animi motum: ἀγανάκτησις uerò, id eſt indignatio ab ira proſiliens, potius odiũ quàm lachrymas, & potius minas quàm deprecationem. Et pronunciatione in primis cernitur: ut, *Cantando tu illum? aut unquam tibi fiſtula cera Iuncta fuit?* Quamobrem ſimilis eſt planè methodus utriq;: niſi quòd commotior hæc in principio. & cum omnis elatio abrupta ſit, & breuibus ſententijs uarijſq; expreſſa: indignatio tamen multis alijs concitatior

tior

tior eſt,& ſtatim indignum, nefarium, deteſtandum exclamat, ab utilitate rei aut honeſtate ſumpto argumēto, Heu ſtirpem inuiſam. Et pro deprecatione utitur poſtulatione ſeueritatis: aut comminatur ultionem, pro dolore autem fingit odium atq; iram. Cæterùm minæ ſemper fiunt per breuē hypotheſin: Si uerbū addideris, comminuam tibi caput. Exprobrationis ductū multo reperi pleniorem, & magis compoſitum, utpote uicinum expoſtulationi quam zelus parit. Nam primo loco expoſtulationē habet ingratitudinis, cum prædictione euentus nonnunquam. Atq; hoc differt ab indignatione. nam ut indignatio pœnam exigit, ſic exprobratio monet humanius. Et quia caput hoc proſopopœiæ tractatum à Cicerone eſt uberrimè, in epiſtola grauiſsima ad Octauium, ſiue alio quocunque nomine Ciceronis: ut eius rei ſemitas teneamus, ſcito primo loco ponendam eſſe theſin, deinde expoſtulationem: tertio τὰ ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους, quarto coniecturam, quinto proſopopœiā aliam, ſexto quantitatem, poſtea comparationem: hinc uota quoq;, conceſsionem, ac deniq; euentum. Sed ordine nonnihil immutato, à conceſsione incœpit hic Tullius: Cedam tibi in præſentia foro, cedam curia, & ſanctiſsimis deorum inmortalium templis. Theſis: Quis tam expers humanitatis, ut iſta diſsimulare poſsit? Ab imo ad ſummum: Nam ut ordiar ab initio, & perducam ad extremum, & nouiſsima conferam cum primis, quæ non poſterior dies acerbior priore? Marcus Antonius, uir animi maximi. Expoſtulatio: Quæ tibi non antequā poſtulares maiora quàm uelles, plura quàm ſperares, detulit ſenatus. Sciendum tamen illud, beneficij commemorationem non uno tantum loco fieri debere, ſed paſsim. Coniectura: Cur immemor beneficij, ſcelerate, circunſcribis ſenatum? quò te miſimus? Exclamatio: O' me nunquam ſapientem. Quantitas: Quis'nam tali futurus ingenio eſt, qui poſsit hæc ita mandare literis, ut facta, non ficta uideantur eſſe? Comparatio: Vtinam te potius Antoni dominum nō expuliſſemus, quàm hunc reciperemus. Ille ea tum exorabat quæ uolebat auferre, tu extorques. Euentus, cum exaggeratione omniū: Si qui dabat prouinciam Caſsio & Brutis, & illis cuſtodibus nominis noſtri, regnabat, quid faciet qui uitam adimit? Itaq; ſi quid illæ maiorum reliquiæ ſapiunt, quid illis interrogantibus reſpondeat unuſquiſq; noſtrûm? &c. Quoniam uerò non diſsimilis admodū eſt exprobratio querelæ, ideo multas inſerit exclamationes & conqueſtiones: quatenus autem ab obiurgatione non multum diſsidet, tota aſpera eſt, & grauis. Gratiarū actio non fit abſq; proſopopœia. Habet autem locos plurimū quatuor: Quantitatem, gratias, uota, & deniq; pollicitationem animi non ingrati. Huius generis eſt Æneæ oratio in primo, cuius quan-

Minæ.

Exprobratio.

Gratiarum actio.

cum ex calamitate ſumatur, primùm exclamat, deinde auget caſum,
tertiò petit ueniam, quartò quaſi incerta quid futurum poſtea ſit,
interrogat: O miſerum adoleſcentem, quanta paſſus eſt. date ueniā
adflicto: quid enim reſtat hæc & hæc paſſo? Cohortamur ſtatim *Cohortatio*
aduerbijs: *Eia age, quid ſtatis?* ſumpta ratione & à re & à perſona, ut
in alijs: ſed perſonę tribuitur (ut noſtrę) quòd ſumus beneuoli: quo
rum ſemper conſilia fuerint cum utilitate ipſorum coniūcta, nec un
quam nocuerint, aut à laudationibus: *Euge poeta.* Reliqua ſumētur à
theſi. Per enſtaſin: Non eſt nouum id, quoniam Scipio idem, &c.
Per antiperaſtaſin: Etſi nouum eſt, tamē glorioſum fuerit primùm
rem tam inſignem tentaſſe, &c. Vltima erit eadem aduerbiorum
exhortatio, cum obteſtatione: Agite quæſo per ſacra quæ celebra-
mus, per eam uoluntatem quam in uos oſtendi, &c. *Non eſt horta-
mine longo Nunc, ait, utendum: uires effundite ueſtras.* Theſis: *Sic opus eſt, a-
perite domos.* Dehortatio ijſdem planè ueſtigijs ingreditur. Con- *Dehorta-tio.*
ſolamur autem multo tranquilliori oratione, ac prudētiori. Cuius *Cōſolatio.*
partes fiunt, commiſeratio primùm, maximè ſi dolor eſt adhuc ue-
hementior. Nec probatur mihi ſententia Plutarchi, qui poetarum,
non philoſophorum eſſe tradit, ut in conſolando à lachrymis &
commiſeratione incipiamus: quòd philoſophi ſtatim uerbis & ra-
tionibus mentem erigunt, nihil dolori cōcedentes. Nam ſi mollius
agunt poetæ, non aliud tamen quàm philoſophi, ſi quando ad ami-
cum acceſſerint. nam ſi generaliter & pragmaticè de conſolatione
diſputent, ubi nulla eſt perſonæ charitas, quis emittat lachrymas?
Hoc ergo ſit primum caput, commiſeratiò, qua petitur beneuolen-
tia. Deinde ſequetur quantitas ſeu extenuatio incōmodi: ſed id qui-
dem obliquè magis ſignificari debet, quàm dici. Tertiò, ſpes euen-
tus. Poſtea adhortationes aut monitiones ad conſtantiā: ut, Quòd
non poſt uitari neceſsitas, ꝙ malum idem multis eſt cōmune, quòd
iam præterijt: aut quòd omnino malum non eſt, ut mors. Vbi, ſi ip-
ſe ſui mali cauſa fuerit, omiſſa neceſsitatis commemoratione, dices
iucundum eſſe, neminem poſſe niſi ſeipſum accuſare. Sed obiurga *Obiurgatio*
tionis ratio contraria eſt, ut quòd abſq; neceſsitate, ſed ſponte: ſine
exemplo, ſed ſolus: ꝙ adhuc uerſetur in miſerijs: cum turpitudinis
amplificatione aliqua. Hinc quoque ſumitur congratulatio. exem *Congratulatio.*
plum conſolationis apud Maronem in primo: *O ſocij, neq; enim igna
ri ſumus antè malorum.* Vbi per comparationem aliorum caſuum, ex-
tenuat naufragij miſeriā: reliqua ſunt facilia. Imprecatio quidem *Imprecatio*
uotum quoddā eſt, & cum cauſa effertur. Sed non ſimplex ferè, quo
niam multa ſimul mala imprecamur:

Dij tibi dent nulloſq; lares, inopem'que ſenectam,
Et longas hyemes, perpetuam'que ſitim.

Vltima

Sciſcitatio. Vltima omnium exponatur ſciſcitatio, ſed ea lege, ut eius formas alio loco enumerandas eſſe ſcias: nempe cum de figuris ſententiarũ aut interpretationis ſententiæ agemus. nunc ergo paucis in interrogatione tria inueniri tenendum eſt: petionem ſermonis, petitionẽ rei, & cauſam dubitandi, ſiue id quod nobis uidetur. *Dic mihi Damœta:* Petitio eſt ſermonis. *Cuiũ pecus:* Petitio rei. *An Melibœi:* Opinio noſtra. Atq; hæc quidem ſufficient, quæ dicta ſunt, ad tractandum ſuis quamq; partibus allocutionem. nec plura inueniri genera exiſtima, quàm quæ enumerauimus: ut primo libro demõſtratum eſt. quin ſi qua alia ſpecies ab his fortè occurrat, in his ſcito eam contineri, aut ab his planè componi. Atq; hæc quidem ratio mihi uiſa eſt ſufficere ad propoſiti demonſtrationẽ: ubi finem impono τῷ ἤθει, cuius hoc loco tres partes fecimus: unam in denunciatione eius motus ac ſententiæ quæ uel in nobis eſt, uel in alijs. Atque huius rurſum duæ ſunt: τὸ πάθος, id eſt affectus: & ἐπίκρισις, id eſt adiudicatio. Alteram in notatione, ac ueluti deſcriptione qualitatum perſonæ, qua mores ingeniũq; declares illius. Nos hãc cum alijs notationem & ἠθολογίαν appellamus: non quidem notationem, ut Cicero ἐτυμολογίαν, nam ſæpe uerborũ ſignificationibus ille abutitur, ſed morum quandam ſubindicationem & uelut inſinuationem. Tertiã alloquutionem uocaui, quæ ſemper cum exclamatione aliqua fit, & uoce elata, atq; dictione effutitia, expreſſa uel tacita. Quæ cum eſſet huius loci præcipua, non ſolum eſt à nobis per locos expoſita: ſed etiam per formas diſtincta, atq; definita. Reliquum autem erat unum genus proſopopœiæ, quod ferè ſolum proſopopœia dici ſolet: ea eſt, quæ res mutas non ſolum habitu, ſed ſermone etiam hominis donat. quod genus cum ſit omnino fictum, non inter capita controuerſiarum, ſed inter figuras ſententiarum ponendum duxi, maximè ſi non admodum longa ſit deſcriptio.

Exitus & euentus. Cap. 30.

Exitus diuerſa ratio à proſopopœia. SED quoniam ἔκβασις ad impellendos ac cohibendos animos audientium ualet, quanquam non eâdem ratione qua proſopopœia (nam ſi timorem aut ſpem inijcit, id conſulentis more agit, prædicens, & quodam modo uaticinans quæ futura ſunt) non mouetur ipſa. Idcirco nos ad rei amplificationem eam retulimus. quia ſicut ex præcedentib. & coniunctis, ſic etiam ex ſequentibus maius eſſe aut minus crimen uideri poteſt. Cæterùm cum in reliquis adiuncta ars ingenio multum efficiat, hic certè rerum uſus & experientia omnia propemodum ſibi uendicant: ut poſsis præcipere cogitatione futura, & alta quadam coniectura ex rebus ſimilibus quæ uideris, aliquanto antè conſtituere quid accidere poſsit in utramq; partem, & quid agendum ſit,

cum quid euenerit. Veluti quid facturus ſit aduerſarius, niſi cohibeatur: quæ ſequentur ex facto: manere poſt ſacrilegium inornata ſacrificia, deorum iram concitari. ex euentu iudicij malos pleroſq; iam pendere: quippe qui exemplum ſumpturi ſint audaciæ: Iudices uenturos in reprehenſionem, in periculum rerum ſuarum: ut ſibi rebuſq; ſuis proſpiciāt, liberiſq; ac uxoribus, ne eadem ipſi poſtea patiantur: ne poſtea, etiamſi uelint, mederi nequeant. Atq; hoc differre etiam locum ab alijs capitibus putarunt, quòd in loco perſona ſint iudices, in alijs actor uel reus. Sed nimis hæc ſubtilis eſt cōſideratio. Duobus autem modis induci caput hoc, ab euentu, poteſt. uno quidem, ut tantum id prædicimus, quod futurum eſt bonum aut malum: & generalius nomen ſortietur ἐκβάσεως. alio, ut uiolenter obijcit non tantum bonum aut malum quoduis ex re uenturum, ſed illud ipſum quod fini contrarium eſt propoſitę, & cuius euitandi cauſa aut aſſequendi actio ſuſcepta ſit. hæc dicitur περιπέτεια, caſus rei inexpectatæ. *Euentus ratio duplex.* Diſtinguunt autem Græci inter ἔκβασιν & ἐκβησόμενον: quòd hoc non finem conſiderat ſolum, ſed ea quæ ex fine ſequuntur. itaq; illa dicetur euentus, hoc conſequens uel exitus, ſeu euenturū. Exemplum afferunt ex prima Olynthiaca. Argumentum eſt, Expedit auxilia mittere Olynthijs. ἔκβασις: Namq; hoc modo agentes, bellum reijciemus in Macedoniā: quod ſi non ferimus opem Olynthijs, ueniet Philippus in Helladē, & oppugnabit Atticam. Ἐκβησόμενον: Si uerò bellum Philippo ſit gerendum in Macedonia, nobis magno erit commodo: ſi uerò nobis in Attica, hęc & hæc incōmoda ſequentur. Ita debent rerum euentus & conſequentia prænoſci. Hac ſpem adimes earum rerum, quæ ex diuerſa ſententia ſperantur. Speratis autem per hęc pacem cum Philippo retinere? longè aberratis. Tam uerò ἔκβασις, quàm περιπέτεια, utrumq; debent adferre, & bona & mala, præſentia & impendētia, (ſicut mox in conſultatione declarabimus) hoc eſt, bona quæ adſunt, amitti poterunt: & quæ abſunt, non accerſentur. aut mala quę adſunt, non expellentur: ſed quæ imminent, arceſſentur. *Exitus & euentus quid differant.*

Locus communis. Cap. 31.

SVPEREST ergo locus: q quidē ſimplicius cōſideratus, ſeparari poteſt à theſi & proſopopœia & euētu: ſed plenior, & quo ſolet modo induci, hæc etiam ipſa continet. Eſt autem locus, oratio rem ipſam amplificans, de cuius laude uitióue conſtat. ut contra tyrannidem, contra proditionem, contra luxum. nec aliud eſt ea quæ uerbis extollit fortitudinem, pietatem, eloquētiam. Dicitur autem cōmunis locus, propterea quòd generalis eſt & uulgo probata oratio, qua ceu ex quadam ſtatione, facultas ſuppetit quaſi erumpendi, atque in multas quæſtiones excur- *Locus communis quid.* *Cur dicatur communis.*

excurrendi,ſi uideatur prodeſſe.ut cõtra Midiam dicentes,aut contra Philippum,poſſumus inuehi in tyrãnidem,in audaciam,in libidinem,&id genus alia,tanquam in patentiſsimum campũ:uel quando pauca in negotio inueniri poſſunt, ut multa & uaria dicamus, quaſi anguſtijs excluſi rei familiaris,in genus aliquod &ſententiam excurrimus: ubi tanquam in communi & quaſi ſecluſo urbis loco, diutius commoramur atq; ſpaciamur:ut ſolent quibus anguſtiores ædes contingunt,in platea urbis,foro,porticu, aut baſilica. Quare nunc uſuuenit,ut in declamationibus ſcholaſticis,ut promotionib. doctorum,petitionibus dignitatum,& diſputationibus,nullum niſi à loco communi ducatur exordium. aliter enim auditores nõ delectantur, niſi uel nouitate aliqua argumẽti, uel tractatione doctrinæ.in cauſis forenſibus &iudicijs alia eſt ratio:quoniam neq; iudicibus tantum ocij datum eſt, &cauſæ ipſæ uix unquam ſimiles conueniunt(eſt enim cõcluſio quędam elatior eorum quę dicta ſunt.)Atque eam ob cauſam,niſi perorata aut demõſtrata rationib.argumẽtorum cauſa,locus non adhibetur. at laudatio & uituperatio, propriæ ſunt perſonarum, rerumq; ſingularium:ut Helenæ, Athenarum, ignis. Quantitatem quoq; (ſi rectè teneo) unius rei & facti incrementum eſſe docuimus:quæ etiam maior fit, ſi in locum deducatur communem, hoc eſt facti genus cõmune. Loci autem pro

Loci proprij. teſtibus & contra teſtes,pro tormentis &contra,etſi communes dicũtur loci,ut ſui ſunt in unaquaq; diſciplina:tamẽ relati ad hos,proprij magis dicentur,quàm communes:ueritatemq; inquirunt,non latè ac pleno(ut dicitur)alueo,ſed ſuis quiq; ac proprijs ueſtigijs:acritèr quidem &ſubtiliter,ſed non adeò ut magnum efficiant quod propoſitum eſt, q̃ ut uerum. At uerò locus in hac noſtra acceptione,non tam ut uerum, quàm ut magnum, grauiter, ornatè, cùm ex uerbis,tum ex ſententijs excellentibus. Quæ tamen (ne quis poſtea præceptiones noſtras fruſtra incuſet) nemo poterit pro dignitate rei adaptare,niſi qui iamdudum & uerborum & ſententiarum magnam ſupellectilem multa doctrina atque exercitatione compararit.

Quomodo digreſsione clamores excitandi. Itaq; ut digreſsio tua clamores excitet,omne genus autorum tibi antè erit euoluendum,& ex illis tuorum τῶν ὑπομνημάτων loci communes abſq; faſtidio reſarciendi:ut quandocunq; res exegerit, poſsis in ijſdem, quaſi in quibuſdam nidulis, non ſolum rerum & ſententiarum atq; autorum, ſed etiam uerborum omnem facultatẽ inuenire. Nec uerò te pœniteat id à me iterũ ac tertiò audiuiſſe:quãdoquidem ſi aliter putas ſummos illos eruditionis antiſtites ad tantam gloriam perueniſſe, quàm iſta quam tibi præcipio diligentia, maximè falleris.

Loci diuiſio Sed loci diuiſio(ut ad rem accedam)mihi quidẽ uidetur octo ſummum capitibus contineri: Quantitate, finitione, continen-

continentia,comparatione,coniectura,exitu,chria,&exemplo:dia typoſi denique eorum quæ ſunt ab imo ad ſummum.Epilogum & exordium addunt philoſophi, & eccleſiaſtici autores in ſuis homilijs,quæ aliud non ſunt quàm loci communes:non cõmuniter quidem tractati,ſed propriè,cum multis ſimilitudinibus & cõparationibus,exemplis & dictis ſacræ ſcripturæ. Sed locus,uti dixi,in oratione politica abruptus eſſe debet,& concluſio elatior. Quantitatis igitur argumenta (ut ſuprà dictum quoque eſt) à materia ſumentur, circa quam exiſtit. ut cõtra furem,quòd pecuniæ, quæ maximè neceſſaria uitæ eſt, & propter quam tam multi labores pericula'que ſubeuntur, inſidietur. à perſona, quæ non deberet agere uel pati. à modo,ut quòd ui,fraude: à loco, à tempore, à cauſa. nam licet locus, generis ſit, & theſi quàm ſimilimus, tamen non caret omnino circunſtantia. quæ ſi multæ ſint, & rem poſſunt augere, ſeparandæ erunt, ne diligentia appareat in inquirendo: ſin minus, id accipiendum ſolum quod futurum ſit uſui. Porrò (quod ſæpe monuimus) hæc quæ dixi,non ſolum in re quam augere uolumus,ſed in contrarijs etiam aut repugnantibus ſunt conſideranda. ut contra parricidium: Magna eſt uis humanitatis,multum ualet communio ſanguinis. Idque eo magis obſeruandum eſt,quo maior eſt orationis dignitas,cum à recta ſimplicique amplificatione magis receditur. friget enim, Magnum eſt crimen parricidij. atque eam ob rem celeri opus erit cogitatione,ut per omnia diſcurras,ſigna,& adiacentia & contraria. ut pro ſacerdotio & ſacrificio, ponantur infulæ uittæque deûm: pro uiro forti, arma,ſudor,ſanguis, puluis. Pari proportione uultus atrox,minaces oculi,ueſtis diſcincta. Sectatores & comites: ut adulteræ amatores, magiſtro diſcipuli, duci milites adhærent. Finitio erit in exponendo quid ſit id de quo quæritur. uel in imponendo nomine,atque epitheto,ut ab alijs quoque ſeparetur: ut, Tetrũ facinus,crudele,inſolens:quod neque à feris hominibus,neque à barbaris nationibus,neque ab immanibus beluis ſoleat perpetrari:hoſtibus etiam ipſis execrandum. Cicero in locum communem de lege naturæ egreditur,per definitionem,quæ quid eſt rei declaret,in Miloniana: Non eſt enim hæc Iudices ſcripta, ſed nata lex. Definitioni addit tantum exitum: Silent enim leges inter arma. Nec pluribus tractauit hunc locum. Per epitheta Demoſthenes pro Corona, paulo ante finem, contra proditores patriæ: οὗτοι πάντες εἰσὶν, &c. ἄνθρωποι μιαροὶ, καὶ κόλακες, καὶ ἀλάστορες, ἠκρωτηριασμένοι τὰς ἑαυτῶν ἕκαστοι πατρίδας, τὴν ἐλευθερίαν προπεπωκότες, πρότερον μὲν Φιλίππῳ, νῦν δὲ Ἀλεξάνδρῳ, τῇ γαστρὶ μετροῦντες καὶ τοῖς αἰσχίστοις τὴν εὐδαιμονίαν, &c. Et contra Ariſtogitonẽ, cum legem dicit eſſe donum inuentũ quidem deorum, decretum autem uirorum ſapientũ, &c.

Quantitas.

Finitio.

p Rurſum

Rurſum Cicero finitionē cum cōparatione iunxit, pro Roſcio: Por
» tentum atq; monſtrum certiſsimum eſt, eſſe aliquem humana ſpe-
» cie & figura, qui tantū immanitate beſtias uicerit, ut propter quos
» hanc ſuauiſsimam lucem aſpexerit, eos indigniſsimè luce priuarit.
» cum etiam feras inter ſeſe partus atq; educatio & natura ipſa conci
Cōtinentia. liet. Continentia autem ut unum uerbo ſit, tamen re ipſa multa complectitur, ut adulterium uim continet, & furtum, & contumeliam. Idem, ſceleſtum Dij immortales, ac nefarium facinus, atq; huiuſmodi, quo uno maleficio ſcelera omnia complexa eſſe uideātur.
Cōparatio. Comparatio quantitatum: Maius eſt furtum homicidio, ęquale eſt ſacrilegio: nam una ambo cupiditate in furando concitantur: neq; fur, ſi occaſio ſe offerat, ſacra rapere, neq; ſacrilegus furari uereatur: etenim ſi, id quod præclarè à ſapientibus dicitur, uultu ſæpe læditur pietas, quod ſupplicium ſatis acre reperietur in eum, qui mortē obtulit parenti, pro quo mori ipſum ſi res poſtularet, iura diuina
Cōiectura. atq; humana cogebant. Coniectura uoluntatis, cum criminatione eorum quæ tam in ipſa re quàm ante rem fieri eſt probabile. Hæc magnitudo maleficij facit, ut niſi penè manifeſtum parricidiū proferatur, credibile non ſit: niſi turpis adoleſcentia, niſi omnibus flagitijs uita inquinata, niſi ſumptuš effuſi cum probro atq; dedecore, niſi prorupta audacia, niſi tanta temeritas, ut non procul abhorreat ab inſania. accedat huc oportet odium parentis, animaduerſionis paternæ metus, amici improbi, ſerui conſcij, tempus idoneū, locus opportunè captus ad eam rem: penè dicā reſperſas manus ſanguine paterno iudices uideant oportet, ſi tantum facinus, tam imma-
Exitus. ne, tam acerbum credituri ſunt. Exitus, tum eorum quæ ſequuntur effecta: *Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames?* Atque hæc quidem aut ex re, aut ex eius contrario, ex autore, ex nobis, ex iudicibus, ex alijs. tum quod incurabile ſit: ut, poſt ſacrilegia inornata ſacra remanere, deorum iram accerſi. Eodem loco. Sic ſe res habet, iudices, magnam uim, magnam neceſsitatem, magnam poſsidet religionem paternus maternusq; ſanguis. Ex quo ſi qua macula concepta eſt, non modò elui non poteſt, uerùm eò uſq; permanat ad animum, ut ſummus furor atque amentia conſequatur. Tum eorum quæ contraria fini putantur, quæ eſt Peripetia. ut in largitionē Cicero: Ita cum beneuolentiæ comparandæ cauſa benefici eſſe uelint,
» non tanta ſtudia aſſequuntur eorum quibus dederunt, quanta odia
Chria. eorum quibus ademerunt. Chriæ & exempla, continent iudicia
Exemplū. eorum quibus id curæ fuit, aut quibus dignum uiſum eſt ultione: deorum, hominum ſapientum, ciuitatum, populorū, quorumcunque debet autoritas eſſe maxima. ut uerò ideam perfectiſsimam habeas huius loci qui fit ex chria, qui & frequentiſsimus eſt: locum Ciceronis

ceronis excutiendum duco,in quo non amplius quantitatem, non
finem,non continentiam,non comparationem, non coniecturam,
non exitum: ſed tãtum iudicia eorum quibus hoc ipſum curæ fuit,
perſequitur. nam etſi idem alijs partibus antè tractauerit, non ta-
men neceſſe ſemper eſt omnes & ubiq; inculcari:ſatis una aliquan-
do,aliquando multis eſt opus. Sed uideamus iam Ciceronem. Itaq; *Ciceronis*
(inquit) cùm multis ex rebus intelligi poteſt, maiores noſtros non *locus.*
modò armis pluſquam cæteras nationes, uerùm etiam conſilio ſa- «
pientiaq; potuiſſe:tum ex hac re uel maximè,quòd in impios ſingu «
lare ſupplicium inuenerunt. Qua in re quantum prudentia præſti- «
terint,ijs qui apud cæteros ſapientiſsimi fuiſſe dicuntur,conſidera- «
te. Prudentiſsima ciuitas Athenienſium, dum rerum potita eſt,fu- «
iſſe traditur. eius porrò ciuitatis ſapientiſsimum Solonem dicunt «
fuiſſe,eum qui leges quibus hodie quoq; utuntur ſcripſerit,is cum «
interrogaretur,cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eum qui pa- «
rentem necaſſet:reſpondit,ſe id neminem facturum putaſſe. Sapiẽ- «
ter feciſſe dicitur,cum de eo nihil ſanxerit, quod antea commiſſum «
non erat:ne non tam prohibere,quàm admonere uideretur. Quan «
to maiores noſtri ſapientius? qui cum intelligerent, nihil eſſe tam «
ſanctum,quod non aliquando uiolaret audacia:ſupplicium in par «
ricidas ſingulare excogitarunt, ut quos natura ipſa retinere in offi- «
cio non potuiſſet,ij magnitudine pœnæ maleficio ſummouerẽtur. «
Inſui uoluerunt in culleum uiuos, atque ita in flumen deijci. O' ſin- «
gularem ſapientiã, Iudices. (hic enim Cicero ſubijcit expolitionem «
chriæ,& αἰτιολογίαν) Non'ne uidentur hunc hominuem ex rerum «
natura ſuſtuliſſe,& eripuiſſe? cui repentè cœlum,ſolem,aquam,ter- «
ramq; ademerunt? ut qui eum necaſſet unde ipſe natus eſſet,careret «
ijs rebus omnibus,ex quibus omnia nata eſſe dicuntur. Noluerunt «
feris corpus obijcere,ne beſtijs quoq;,quæ tãtum ſcelus attigiſſent, «
immanioribus uteremur. Nõ ſic nudos in flumen deijcere, ne cum «
delati eſſent in mare,ipſum polluerent,quo cætera quę uiolata ſunt «
expiari putantur. Deniq; nihil tam uile, neque tam uulgare eſt, cu- «
ius partem ullam reliquerint. Etenim quid tam eſt cõmune, quàm «
ſpiritus uiuis,terra mortuis, mare fluctuãtibus, littus eiectis? ita ui «
uunt dum poſſunt,ut ducere animam de cœlo non queant: ita mo- «
riuntur,ut eorum oſſa terra non tangat: ita iactantur fluctibus, ut «
nunquam abluantur: ita poſtremò erjciuntur,ut ne ad ſaxa quidem «
mortui conquieſcant. Hactenus Cicero. Vides ergo,quàm oſten «
dat hoc ſcelus tum ex ſententia Solonis,tum ex ſuis maioribus: quo
rum alter nullam pœnam, Romani admirandam conſtituerunt.
Tractat uerò chriam laudatione primùm ampliſsima,deinde expo
ſitione breui, deniq; cauſa atque ratione: in qua commoratur per

uenuſtiſsimã expolitionem, & hypotypoſin. Quapropter ne quis
diuiſionibus noſtris minus tribuat quàm oportet: aut ſurſum ita
putet religioſe adhærendum, ut nullam partem exiſtimet poſſe prę
termitti, ſed ſingulis quæſtionibus omnia debere ſeruire: ex hoc u-
no exemplo diſcet, quãtum caput unum bene tractatum, uel etiam
relictis alijs, poſsit habere cùm ſplendoris, tum etiam uiriũ. Quan-
quam ſanè non ſunt à Tullio in propoſito exemplo neglectæ om-
nes partes, quibus augetur communis hæc oratio. nam theſis eſt
quam ſibi propoſuerat orator: Non eſſe ueriſimile, neque omnino
credendum, tantum facinus, quantũ eſt parricidium, niſi demon-
ſtrationibus euidentiſsimis doceretur. Hanc ſequitur magnitudo,
per locum communem: ſed non continuè. Abſoluamus ergo nos
Diatypoſis inſtitutionem, quam cœpimus. Supererat diatypóſis, hoc eſt, om
nium quæ fieri ſolent euidens & quaſi animata narratio, ab imo ad
ſummum: ut quaſi ob oculos ponat acris & crimínoſa expoſitio, nõ
» ſolum factum, ſed etiam effecta eius & cauſas: Penè dicas reſperſas
» manus ſanguine paterno Iudices uideant oportet, ſi tãtum facinus,
» tam immane, tam acerbũ crediturí ſint. Chryſoſtomus de ieiunio:
Ieiunantis color reuerendus eſt, non ad impudentem ruborem ef-
floreſcens, ſed temperato pallore ornatus oculus manſuetus, greſ-
ſus ſubmiſſus, facies meditabunda, quæ proteruo riſu non dedeco-
ratur: moderatus ſermo, cum puritate cordis. Epilogus per tran
ſitionem fit, à loco ad propoſitam quæſtionem. In homilijs tamen
uoto fit ſimile, aut exhortationi: Quocirca hæc uelim tecum animo
diebus ſingulis reputes, forſitan hoc pacto auaritię in te morbus ſe-
dabitur. Habes itaq; loci cõmunis capita, & capitum eius exem-
pla, quę ſequi poteris pro argumento rei: quantitatem, finem, conti
nentiam, comparationẽ, cõiecturam, exitum, chrias & diatypoſin,
quæ ſingula frequẽtius tractata inuenies quàm cum alijs cõiuncta:
quia locus (uti dixi) abrupta eſt oratio, & quaſi excurſus. Genus au
tem orationis erit pro ipſo affectu. nam in miſericordia debet coag
mentatio eſſe haud hiulca, ſed numeroſa: in alijs contraria ratio,
tum pauci ambitus, plura membra & inciſa, nullus numerus.

De partibus orationis deliberatiuæ, ac theſis. *Cap.* 32.

Theſis appellatio alia. PRIMO libro theſin inter quæſtiones definientes poſue-
ram, quòd ea de genere quodam, aut de ſpecie aliqua ge
neraliter ſtatuat, ac definiat: hic uno uerbo, omnẽ prag-
Cõſultatio. maticam diſputationem uelim ſcias appellari eodem no
mine, quia ponitur & defenditur, ne loco, ubi quæſtio ſita eſt, mo-
ueatur à contradictore. Sed ferè iam nuncupant conſultationem,
cùm quòd generaliter proponatur: tum quòd ad ciuilem cõtentio-
nem omnes qui de arte dicendi ſcripſere, omnia propemodum refe
rant.

rant.Eſt tamen alia quidem ſcientiæ,alia actionis.Sed quoties in di
uidendis probationibus antea nomen id poſitũ uidiſti,quia exem-
pla ferè iuxta eorum mentem data ſunt, qui omnem hanc facultatẽ
ad forũ referebant,ideo non tam de theorica intelligebamus quàm
de practica,in capitibus cõtrouerſiarum,quam nonnulli etiam ali-
ter appellant ciuilem:nos deliberationẽ,& ſępe conſultationẽ,non
rarò ſententiã appellauimus. à ſententia, enim quid differat theſis, Sententia.
præter tractationem,ego quidem non uideo. Sed ad cõſilia quam-
uis propriè ſpectent hypotheſes(ſiquidem theſis tanquam à legisla
tore ponitur atq; aſſeritur, hoc bonum eſt, illud malum: nec prius
deliberatur, quàm ad hypotheſin uentum ſit) tamen quia ante hy-
potheſin tractatur theſis,& Græci thetica dixerunt illa aduerbia in
τίον,quæ agendum aliquid demonſtrant (ut γαμητίον,πλευτίον) i-
deo tanquam eorum aduerbiorum conſideratio, quæ deliberatio
dicitur,hic theſis uocari poteſt.Cuius quanta ſit dignitas, quàmq;
neceſſaria eius exercitatio uitæ humanæ, nemo quidem nouit, niſi
qui in conſilijs & ſenatu diſtinctè poſſunt ac dilucidè in utranque
partem id quod poſitum eſt in controuerſia, referre: qui propter
prudentiam & artis huius cognitionem ſæpenumero uaticinari ab
hominibus exiſtimati ſunt. nam qui bene conijcit: (ut Græci di-
cunt)uates eſt. Sed ſi methodum tradamus tam breuiſsimam q̃;
facilimam, ecquid erit præmij? Age igitur in conſilium adhibe ea
quæ in capitibus finalibus erant,uerum, bonum, poſsibile, & pro-
babile.quanquam certè huic ſecundas tribuimus: quod non admo
dum per ſe inquiratur probabile,etſi tamen nonnũquam.ut, Non
eſt credibile tantum ſcelus ab ullo homine perpetratum eſſe,niſi de
monſtrationibus euidentiſsimis probetur. Quæritur itaq;, an bo-
num ſit quod propoſitum eſt:id eſt,honeſtum, utile,iucundum,fa-
cile'ue:an cõtrà turpe,inutile, moleſtum,difficile:rurſus,utrum ma
gis utile quàm honeſtum, magis honeſtum quàm facile, nouum an
ſolitum, multis'que exemplis monſtratum:utrum eo ſit aliud quid
uel honeſtius,uel utilius ac facilius.Atq; in hunc modũ inter ſe mu-
tuò, & cum rebus alijs omnibus quæ propoſitæ ſunt collatis, qui-
bus plura inſunt, aut potiora, ea ſunt optanda ſapienti. Inde uiſum
eſt Quintiliano, omnem deliberationem comparatione conſtare,
ſed non ſola:quanquam ea potiſsimum locum tenet.De compara-
tione autem multa Ariſtoteles in Topicis.Nam quę pluribus pro-
ſunt,diuturniora,ſolidiora,faciliora, quæ ſapientioribus proban-
tur,quæ melioribus artibus quæruntur, id quod ſibi ſufficit, quod
maioris boni cauſa eſt,& ſimilia,omnia contrarijs pręferuntur.V- Vtilia.
tilia appellamus (ut iam ſuperius dictum eſt) non ſolum quæ pro-
ſunt,ſed quæcunq; dicunt neceſſaria:hoc eſt,ſine quibus res nequit

 fieri.

fieri. ut in bello non ſolum utiles ſunt amicitię, ſed etiam neceſſarię. Sic perſuadentes, antè docebimus utiles eſſe, & poſtea neceſſarias: idq; uiolento quodam argumento. *Commodi & incōmodi quadruplex ratio.* Commodum autem quadrupliciter oſtenditur: nec paucioribus incommodum: ſiue rem aggrediamur, ſiue non aggrediamur. Cum ſit enim conſultatio, cogitatio conſideratioq; earum rerum quæ prodeſſe poſſunt, & obeſſe, ad aſſequendum aliquid, uel retinendum quod amemus, uel contrà depellendum quod timeamus, ut electio ex ĳs ſequatur eorum quæ maximè uidentur iuuare: ideo quadruplex erit in hac materia obiectum. ut, Perſuadentes conſideramus cōmoda quæ nobis abſunt, & aduocari poſſunt: tum quæ adſunt, & conſeruari poſſunt: deinde mala quæ abſunt, & caueri poſſunt: tum quæ adſunt, & amoueri poſſunt. Diſſuadentes contrà: bona primùm quæ adſunt, & amitti poſſunt: tum quæ abſunt, nec accerſi poſſunt: deinde quę mala præſentia, amoueri non queunt: & impendentia, quæ neceſſe ſit accerſi. Itaq; tam commodorum quàm incommodorum quadruplex erit ratio: ut in hac forma. Si arcem hoſtibus dediti, commoditate portus carebitis, nec propterea pacem diuturnam conſequemini: quinimo qui nunc præſidĳs freti, nullo bello terremini, ĳs proditis miſeram ſeruitutem ſubire oportebit. Si renuitis, ueſtram conſtantiam uerebuntur hoſtes: uos autem habituri eſtis, quibus ab aliorū iniuria ueſtram ciuitatem perpetuò defendatis. Vides hic bona proponi, & mala præſentia & impendentia, mutua quatuor membrorum & decuſſata quadam coniugatione. Idem quoq; iudicium de nominis gloria, atq; infamia. Atq; hoc quidem modo id quod pręcipuum eſt, taciti intra nos primùm diuidemus: id inquam, quõ præcipuè dubitantem animum cohortatione aut dehortatione moueri poſſe putabimus. Quod ſi utile ſuademus, in eo diutius inſiſtē dum erit: ſed nihilominus confirmato utili, honeſtū ex honeſti partibus demonſtrandum, & contrà. hoc eſt, ſi honeſtum monſtratum eſt initiò, deinde etiam utile doceatur. *Propoſiti duo capita.* Diuiditur autem propoſitum ipſum per ſe primùm duobus capitibus, probatione, ac refutatione. probatione quidem, ex capitibus finalibus, ut dictum eſt: refutationè autem quatuor locis deducta, ἐνστάσει ſcilicet, ἀντιπαραστάσει, βιαίῳ, τῷ ἐκβιασομένῳ. ut, Ducenda eſt uxor, ſi nō ob aliud, ſaltē propter caſtitatem. Oppoſitionis ſolutio per inſtantiam: Nec eſt moleſtiæ quicquam in nuptĳs, ut quidam putant. ἀντιπαράστασις: Etſi eſſet, tamen ferēdum id eſſet propter alia commoda. βίαιον: Imò uoluptatis plurimum eſt in coniugio. ἐκβιασόμενον: Nec in cœlibatu moleſtia carebis. Sic habet propria atque integra tractatio theſis. *Theſeos plenior tractatio qualiter inſtituēda.* Verùm ſi plenius eam deduci uolumus, principio erit opus: atque hoc aut ex aliqua generali ſententia confirmante propoſitum, aut prouer-

prouerbio, aut chria, aut laude eius rei quæ proponitur, aut reprehenſione ſtatim oppoſitæ ſententiæ. Sed ubi ad propoſitum deuentum fuerit, hoc tu paucis expones (quãquam nec eſt ſemper ea expoſitione opus) deinde per quinq; gradus, qui conſultationis opus compleant, deduces totam actionem. Hi ſunt, theſis, hypotheſis ſiue negotium, circunſtantia, cauſa, euentus. Emporius eadem appellat generalem, proprium, perſonalem, cauſalem, & coniecturalem. Eſt autem generalis, in quo de genere uniuerſo, ueluti ſummatim delibatis partibus quas cauſa complectitur, ſine ipſarum manifeſta commemoratione diſſerimus. Proprius, tractatur ex facto. Perſonalis, ex deliberantis, aut eius de quo deliberatur, fortuna & moribus. Cauſalis, in quo idipſum ad quod noſtra ſententia tẽdit, quale ſit explicatur. Coniecturalis, quo euentus hanc aut illam ſententiam ſequi oſtenditur.

Deliberandi quinque gradus.
Generalis.
Proprius.
Perſonalis.
Cauſalis.
Coniecturalis.

Cæterùm ut noſtra, aut uerius, deliberandi propria diuiſio, magis pateat: eiuſdem Emporij exemplo, & quo alij ferè utuntur, eadem nos quoq; τύπῳ & quodam modo ſimpliciter deſcribamus. Deliberat Lucretia, an debeat propter illatum ſibi ſtuprum ſemet occidere. Poſt eas præfationes quas dixi pro loco generali, & quem ego theſin nomino, ex reliquis capitibus generalem ſententiam elicio, ſepoſitis ijs quę propria cuiq; eſſe uidebuntur. ut ex negotio, omiſſa interim facti ſpecie, genus arripio. eſt autem facti ſpecies, ſtuprum, & uis illata pudicitiæ: generalia autem, iniuria, contumelia, uis. Deinde ex perſona, id quoq; quod perſonæ proprium eſt, amoueo, ſumpto generali. eſtq; proprium in noſtro themate, Lucretia, regis filia: commune autem, mulier nobilis & pudica. Ex cauſa (hoc eſt, re ipſa quam conſulimus) ſemoueo nomen mortis: pro quo aliud ſubſtituo, nempe atrox & arduum conſilium. Demùm ex omnibus generalis hæc fiet quæſtiõ: An ob illatam ſibi contumeliã, fœmina nobilis & pudica, graue etiam quoduis conſilium debeat capere? Quoniam autem generales ſunt & infinitæ omnes theſes, & infinitè propoſitæ: ut, Iuſtè uiuere ſit, necne, utile: An deceat nobilem fœminam pudorem tueri: quomodo gloria quęrenda ſit: an flumina loquantur: ideo & hac forma plurimùm aſtruuntur, quæ ſententioſa dicitur, & Græcè γνώμαι uel ἀξιώματα dicũtur ipſæ ſententię. Expedit iuſtè uiuere: Vna & compendiaria ad gloriam uia, ut talis ſis, qualis haberi uelis: Non decet nobilem fœminã, illatam pudicitiæ ſuę uim contemnere: Suæ quenq; decet naturę principia conſiderare, ut in uita nunquam decipiatur. Facile eſt mendacium deprehendere: uerisimile non eſt ut flumina loquantur. Omnes iſtæ ſententiæ appellantur & γνώμαι, quarum quædam cum cauſa proferuntur, ut ſuæ quenquam decet naturæ principia conſiderare, ne unquam decipiatur: quædam, qualis ſit

Gnome.
Axiomata.

res.ut,Quis pauper? auarus: uerisimile non eſt ut flumina loquantur. Quædam,qualis eſſe debet.ut,Ne quid nimis: Vna eſt ad gloriam uia, ut talis ſis, qualis haberi uelis. Generaliter enim quæſtio fieri poteſt uel coniecturalis,id eſt,de conſiſtentia. ut, Ius'ne ullum natura ſit, an omne opinione ſolum & moribus conſiſtat. Vel de fine:ut,Quid ius eſt, an quod potētiori utile eſt, ut Thraſymachus apud Platonem.uel qualitas:ut(quod dixi)An expediat iuſtè uiuere.uel quantitas: ut, Quàm latè pateat ius, an ei ſubijciantur pecudes.Modus:Quomodo quærendę diuitiæ,aut gloria, aut iuſticia. Ac pariter de cæteris circūſtantijs poteſt infinitè quæri,& generaliter pronunciari,Quem ad modum dictum eſt, & hic omittendum non fuit.Igitur explicata paucis generali quæſtione, ſtatim eſt ad hypotheſin deſcendendum:id eſt,ad negotium,ſine circūſtantia tamen.ut,An uerò ferendus dolor uiolatæ pudicitiæ? Poſt hæc tertio loco circunſtantia ſequetur perſonæ,aut alia: Deceat'ne Lucretiam Tricipitini filiam,cuius uirilis animus caſtitate atq; fortitudine uiros plurimos,nedum fœminas ſuperarit?hæc autem per incrementum paulatim deduci debent ad cauſam. Iam cauſa ipſa,quæ conſilij noſtri habet ſpeciem,ſicut & generales aliæ præcedentes,imò & alijs explicatius tractari debet, quas initiò proprias eſſe dixi theſeos.ut, An aliud perfugium, aut ſolatium quæri debet in uitio tam graui,tantæ fœminæ illato,quàm mors? Hæc eſt antilepſis,hactenus in propoſito tractata,quæ cum habeat oppoſitionem,tanq; factæ oppoſitioni reſpondentes, per partes metalepſeos excipiemus:primoq; ἐνστάσει generaliter diſſeremus de morte: Non eſt de genere malorum mors. hanc ſequetur ἀντιπαράστασις: Etſi bona non ſit mors,& in malis habenda:tamen non eſt uiro forti ducenda uita,quæ cum honeſtate & gloria non coniungatur. Aut quis tandem eſt qui perpetuā ſibi uitam poſsit polliceri? Poſt hæc, τὸ βίαιον: Quin bona expetendaq; eſt mors, quæ malorum omniū requiem ſola afferat.ultimo loco, τὸ ἐκβησόμενον: Si tibi nunc uitam non adimis tua ſponte,cum licet:uiuere protinus te pœnitebit,ubi non fuerit tam glorioſum mori. Atq; hæc in hunc modum diuiſa, ſuiſq; locis probata atque amplificata, planè quàm maximam uim impetumq; inijcient indignationi.Poſſunt enim priores duæ illæ partes uirorum illuſtrium,mulierum, & omnis ætatis hominū exemplis, qui uitam contempſerint atq; effuderint pro gloria,proq; nominis immortalitate,demonſtrari. Amplectenda quoq; mors uidebitur, ſi ab imo ad ſummū ea narres,quæ in ipſo Lucretiæ interitu factum dictum'ue iri eſt uerisimile:ut admirationem populi Romani, cum uulnus quaſi non fœminea manu factum contemplabitur. Sed hi loci quantitatis erunt.Locus autem communis,ut de animi magni

tudine,

tudine, de pudicitia, aut alia re, inſeri quoque poterit. Vltimo loco (ut in quantitate) ſubijcietur coniectura euentus: id eſt, prædictio eorum quæ hanc aut illam ſententiam ſequutura ſunt. ut, Si ſe tanta tamque nobilis matrona occiderit, futurũ ut populus Romanus, à Tarquinio tanti ſceleris pœnas exigat: reges tyrannosque urbe omnes expellat, Lucretia gloriæ ac famæ immortalitatem conſequatur: ſin ſecus egerit, Tarquinum tandem ipſum (ut ſunt adulteri) reuelaturum crimen: ipſam ſibi ſuæque familiæ magno probro futurã. *Coniectura euentus.*

Hic autem locus eſt, in quo bonorum & malorum illa decuſſata cõiugatio, de qua diximus, plurimum ualet. Nec puto iterum ac ſæpius repetendum (quod initio artis diximus) omnia probãdæ quæſtionis epicheremata ex circunſtantia aliqua deſumi: ex locis inquã qui ſunt in re, & extra rem: ut genere, ſpecie, partibus, coniugatis, loco, tempore, & quę ſunt eiuſdẽ generis. Per quę ſi duxeris unumquodque ex his, creſcet profectò diſputatio in immenſum. Prudentis tamen eſt & boni iudicis, ſuperuacua ocioſaque reſcindere. Vt igitur ad principia reuertamur, habere ſemper aliquam ex illis proſopopœiæ partibus deprehenditur deliberatio: ut hortationẽ, dehortationem, petitionẽ, aut ſimilem. Quare & ea quæ de ferenda lege aut abroganda diximus, huc referenda ſunt, & omnia quæ ſunt generis pragmatici. Nitatur autem neceſſe eſt in primis deliberatio dignitate dicentis. Quare is qui dicturus eſt, ſuam principiò exiſtimationem conſiderato: tum præterea locum, tempus, rem: ingenij deinde oſtentationem uitato: finem ponito ob oculos audientium, aut utilitatem, aut honeſtatem: uel contrà incommodum, pudorẽ, dolorem: metum denique & ſpem uelut ſcopum petat. Se ſic componat, aut effingat, ut ad eorum mores apud quos dicit, non parũ accedere uideatur: quia non facile ijs auſcultamus, à quorum ſtudijs abhorremus. Quocirca etiamſi nefandum aliquid cogitent ij, ſine conuicio tamen, ſineque ulla irritatione ſunt reprimendi: quoniã nemo eſt, qui ſibi uere ac benignè ſuadere eum putet, cuius beneuolentiã quaſi conſulentem ſibi ipſe nõ ducat. Et opus quidem eſt non ſolũ opinione beneuolentiæ, ſed non minus etiam ſapientiæ. Sed quia uerecundior eſt ea pars, conſultantibus ipſam feres acceptam, uel cum ijs operam te dediſſe doctrinæ atque illis ſtudijs dices. Cauendũ autem, ne quid præcipias hominibus de ſe multum ſibi perſuaſis: ſed monere licet, tanquam in rebus alijs occupatos: quæ eſt hominum arrogantia. Ac poſtremò illud præceptum eſto, ut exẽpla, ſi quæ adhibeantur, ea ſint hominum ſimilium. nam neque plebecula ſenatorum, neque tyranni regum, neque latrones patrum exemplo moueri ſolent. Ac de theſi quidem actionis hactenus. cuius duę partes, probatio & occupatio: illa quidem generaliter, propriè, perſonaliter,

Superuacua reſcindenda.

Dicturo quæ potiſſimum expendenda.

liter,cauſaliter & coniecturaliter exponetur: hæc antiſiaſi, antipaſtaſi,uiolatione,& euentu ſeu peripetia. Theſis autem quam dixi ſcientiæ,uel theoricã,primùm dubiè proponitur: Vtrum homines creati ſint ad Dei ſimilitudinem,utrum ſint tantum quatuor uirtutes cardinales.hic ſtatim argumenta in utranq; partem,ut magis dubia conſiſtat quæſtio,adhibentur:& plura ferè contra eam partem, quam tueri uolumus. Deinde ſequitur demonſtratio huius partis, ſeu cõcluſionis,per propoſitiones aliquot per ſe notas,uel tunc primùm declaratas abductione. Poſt hęc ſoluuntur argumenta prius obiecta. Denique etiam oppoſita argumenta, ſi quid erroris habere contigerit, eodem pacto declarantur. Hanc methodum Theologi tenuere qui uocantur Quæſtionarij: quia per quæſtiones ſeparatim procedũt. Et ſanè methodus eſt omnium maximè didactica, atque euidẽs. Omniumq; doctiſsimè explicatiſsimeq; ſcripſit Diuus Thomas,maximè uerò in Summa theologica. Ac hoc igitur exempla pete.

De partibus orationis encomiaſticæ. *Cap. 33.*

Quæſtionũ genera. HIS ergo locis aggredienda erit omnis quæſtio. Diximus autem ſuprà, quæſtionum eſſe duo diſtincta genera, ciuilium & naturalium: has quidem priuatis idoneas diſputationibus,ut quibus philoſophi & præceptores docendo uel diſputando uel narrando ueritatem tractant: illas uerò ciuiles,in quibus tria genera cauſarum poni mos eſt,uel(ut Porphyrius appellat)ſpecies rhetoricæ,Demonſtratiuum,uel panegyricũ, (Cauſarum tria genera.) (hoc eſt,laus & uituperatio)Deliberatiuum(hoc eſt, ſuaſio & diſſuaſio)tum Iudiciale,in quo accuſatio reperitur,& defenſio,petitio & depulſio,& omnino contradictio. Laudationum itaque hoc genus (Encomiaſticum ſiue panegyricum genus.) quod uulgò ἐγκωμιαστικὸν dicitur, Porphyrius panegyricum appellat,propterea quòd ſine ſtatu aliquo ſit,& ſolam rerum amplificationem contineat, quæ alicui inſunt tam bonæ quàm malæ: quæ nec in controuerſiam ueniunt,cum ſtatus omnis controuerſiam habeat. Atq; eadem cauſa nos laudationis capita nulla fecimus: nec ipſam ut ſingularem & diſtinctum ſtatum à quantitate diuidendam putamus. Inueſtigari autem potuiſſent alia ratione hæc genera, ſi uerum eſt quod ſit orationis aliquis ſenſus atq; facultas naturalis, ubi fiat & recipiatur. Nam ſenſus omnis ſentit,id eſt cognoſcit primùm: deinde appetit & fugit,tum delectatur & offenditur. Sic affatus quem ille poſuit, actione docetur, exornatione delectatur, ſuaſione mouetur: quæ tria genera ſunt cauſarum, uel ſpecies rhetoricæ. His ſi addas hiſtoricum,id eſt narratiuum,quatuor certè erunt, non minus diſtinctæ ſpecies natura,quàm tres aliæ. Cæterùm ut altius hæc ipſa repetantur: quanquam ſuperius abundè locutos de ſenten-

ſententiarum omnium fontibus, nihil hic neceſſe eſt plura inculcare (cum maiorem explanationem exercitationemq́ꝫ à præceptore aſsiduo peti oporteat) à nobis ſatis ſit, modò nihil prætermittatur: tamen hæc eſt quaſi uoluntas atqꝫ ius ſingulorum ſtatuum, ut iudiciales primùm controuerſiæ per omnia ducantur. Deliberationes in pragmatico genere poſuimus. Encomij uerò ratio & recta methodus cum ſit Platoni hæc, ut declaretur primùm qualis ea res ſit quam laudamus, deinde qualia eius opera quorum cauſa eſſe dicitur, atqꝫ effectrix: idcirco duobus tantum capitibus tractari debet, quantitate & comparatione: hoc eſt, amplificationibus earum rerum, quæ in ipſa re, & rei operibus inueniuntur. Atque amorem eo pacto laudauerunt omnes illi conuiuæ: licet non eandem uideantur formam ſermonis tenuiſſe.

Encomij methodus.

Porrò autem quod laudatur, perſonæ locum obtinet: & encomia primùm & ab initio perſonarum fuere. Perſonarum uerò loci duo illi Platonis in tres reſoluuntur, qui ſunt, genus, educatio, res geſtæ. In genere inueniunt̃ hęc: natio, patria, maiores, parentes: in educatione, profeſsio, ars, lex: in rebus geſtis, quæcunqꝫ ingenio, uiribus, aut fortunę ſucceſſu fecerit. Solentq́ꝫ hic inueſtigari bona animi, corporis, & fortunæ. Sunt bona animi, ſapientia, fortitudo, temperantia, & omnis uirtus: corporis, pulchritudo, uelocitas, robur: fortunæ, magiſtratus, diuitiæ, amicitiæ, clientelæ. Atqꝫ hæc quidem ſunt omnia capita inſigniaq́ꝫ locorum, unde eruas dictionem.

Bonorũ diuiſio.

Neqꝫ uerò illud prætermittendum, tria genera fieri laudationum à rhetoribus: hymnos, qui deorũ laudes continent, aut uituperia: nam apud Platonem ὑμνεῖν conuiciari quoqꝫ ſignificat. Epitaphia defunctorum ſepulchris inſcribebãtur: ante humatum corpus carmen dicebatur ἐπικήδιον, quę & funebres orationes dicuntur Latinè, & næniæ (nam ſicut Prodicus ſophiſta ſoluta oratione Deos laudare cœpit: ita & mortuorum laudes tam inſcribi ſepulchris quàm apud plebem haberi conſueuerũt) & prętерea encomia rerum aliarum.

Laudationum genera.

Quod nomen inter initia commune fuit, cum in compotationibus, id eſt conuiuijs, id genus maximè orationis eſſet in uſu: neqꝫ id quidem in comeſſationibus hilariorib. tantum, ſed in cœna etiam polinctura mortui coram coronatis conuiuis, in triclinio, ubi nefas erat anentiri. Sed poſtea Solonis lege (cum ſublata eſſent ſumptuoſa funera) nec de mortui laude niſi in ſepulturis, nec ab alio niſi ab eo qui publicè ad eam rem cõſtitutus eſſet, dici perorariq́ꝫ licuit. Atqꝫ hæc traditur à Græcis origo Encomij: quorũ ego authoritatẽ hac in re & ſimilibus non magni facio.

Encomij nomen unde.

Sed ne iuuentuti optimæ pręcipuũ inter exercitamenta ſcholaſtica inuidere uideamur, & quod in primis excolendum uenit, in declamationibus puerilibus contemnere: prius aliquid de laudatione

præci-

præcipiendum fuerit, quàm ad partes orationis illius forenſis atq; actionis ingrediamur, de qua pluribus agendum erit. hoc enim genere exercitamenti, non ingenia ſolum adoleſcentum excoluntur, ſed etiam & mores: dum ea quæ laude digna ſunt, ab ijs quæ cum uitio coniunguntur, diſcunt in prima ætate ſecernere atque ſeparare: & tam turpibus damnandis quàm laudandis probandiſq; honeſtis aſſueſcunt à pueritia.

Laudationis ratio. Laudantes igitur, non perſonas modò ipſas oſtendimus, ſed & mutas, ſenſuq; uacuas res: per analogiam tamen ad illas. nam ut Achillis parentes laudatio eius continet: ſic Athenarum cõditores, tanquam progenitores quoſdam, laudamus: Et quod in illo egit Chiron, hoc Soloni & Draconi & alijs legislatoribus acceptum referre æquum eſt urbem Athenarum. Ac de alijs pari proportione. Bona autem tam fortunæ & corporis, quàm animi, ornamento erunt, ſi adfuerint: ſed ſi abſint, non ideo deſtituetur materia encomiaſtes. nam & ex infirmi corporis commemoratione admiratio ſequitur: & in ſumma rerum inopia, laboris & diligẽtiæ magnitudinem poteris commendare. Licet uerò tam ſequi ordinem temporum, quàm uirtutum.

Exordium. Exordium nullum eſt peculiare. Sæpe fit, ut protinus ab inſigni aliqua laude incipiamus: ſæpius quoq; longè petito principio: nihilq; magis uarium atq; incertum inuenio, quàm eſt laudationis initium. *Iſocratis encomiũ Helenæ.* Quid enim ad rem, quod Iſocrates dicturus de laudibus Helenæ, à ſophiſtarum & philoſophorum reprehenſione orditur ſuæ ætatis? nam cum ſit omnis huius generis oratio ad auditorum delectationem comparata, non tam cauſę neceſſaria deſiderat, quàm auribus putidis iucũda, & faſtidioſis. Quapropter & in communes locos frequẽter egreditur, in quibus egreſſa commoratur: relictaq; ea perſona quam ſibi propoſuerat, in alterius laude hæret, uel uitio, quæ in collationem adhibuit. adeò ut nullus iam propè amplior ſit, aut magis diues locus, quàm demonſtrationum. Nam ſi laudes aliquem ob fortitudinem, uerbi gratia, aut pulchritudinem: in laudes harum uirtutum egredieris. Veluti quod pulchritudo donum Deorum eſt præſtantiſsimum: habenti iucundum, cognitu facile. cumq; alia bona ob inuidiam, inimicitias & odia inueniant, hæc amicitiam & beneuolentiam conciliat apud omnes.

Epilogus. In epilogo autem hæc ratio tenenda, ut breuis ipſe ſit, & uoto ſimilis: ante quem inſignis aliqua fiat comparatio eius rei quam laudamus cum alia, inferens maiorem eſſe. quod factu erit facile, ſi unam aut alteram circunſtantiam cõſideres: alioqui enim omnia ſunt paſsim comparationibus amplificanda. Nam ſiue ad ſimilia, ſiue ad diſsimilia cõuertas dictionem, ſemper maius eſſe demõſtrabitur, quod laudas. ſiquidem ſimilia ſic adaptantur, quemadmodum purpura purpuræ, atque aurum auro, & gemma

gemmæ:

gemmæ: quæ collatione mutua ſeſe probant atque oſtendunt. Diſsimilium rerum ſola differentia alterutram amplificat. Ergo omnia paſsim apertis tacitiſq; comparationibus abundent. Huius generis demonſtratiui quia paſsim extant & inueniũtur exempla, nunc prætermittam. In funebri oratione Plato iubet defunctorum laudes primùm afferri, deinde moneri uiuentes officij: deinde filios & coniunctos ad uirtutis æmulationem excitari: tandem conſolationem adhiberi parentum, uxorum, & eorum quos dolore affectos uiderimus. Alicarnaſei quoq; pręcepta quædam extant huius generis demonſtratiui, ad ſingulas materias accommodata: ut orationis panegyricę, nuptialis, natalitiæ, epithalamij: quæ huic noſtræ demonſtrationi inſerere non pigebit, ut in hiſce paradigmatis rationem & uim orationis penitus ſcrutemur laudum. Nam ſi teſtimonio opus ſit, Dion Chryſoſtomus certè docet quàm non licuerit olim aliter concionari, quàm iuxta hæc præſcripta. Præcipit autem is, ut in panegyrica initium ſumatur à laude eius dei, qui ludo atq; panegyri præeſt. Ea namq; Dei laus in ſermonis initio poſita (modò breuis ſit, & dilucida) ueluti uultum quendã & faciem ſplendidiſsimam apponit orationi. Laudes uerò deorum pręcipuè ab ijs ſumuntur, quæ inuenerunt, aut hominibus tradiderunt, aut quomodocunq; hominibus commodare ſolent. Vnde & ſanctorũ encomia multa occurrere poſſunt. Deinceps urbis ſua laus ſequetur: ut à ſitu, origine, conditore: ſi quid uel bello uel pace geſtũ pręclarè eſt: ut funda Balearibus ornamento eſt, & oliua Athenienſibus, literæ Lutetianis. Hinc à magnitudine, pulchritudine, ędificijs publicis & priuatis: ut templis, & eorum donarijs atq; ornamentis, & celebritatibus: ex agro, fluminibus, & ſi qua de his fabula aut hiſtoria prædicatur. Tertio loco dicendum de certamine: ut de origine, de autore, ſi quid ex uetuſtate habeatur. Cõparabis autem cum alijs, occaſione ſumpta tum ex his, tum ex parte anni, ex loco, ex genere certaminis, alijſq; circunſtantijs & partibus. ut coronam laudare poteris, quæ eſt dicata Palladi: ex lauro, quę Apollini: ex pino, quæ Cybelæ: ex quercu non elingui, quæq; cibum quondam hominibus præſtiterit. Quartum & ultimum locum tenebunt laudes magiſtri certaminis aut principis pleniſsimæ: deinde eorum qui ludo præfecti fuerint. Hactenus de panegyrica: cuius dictio eſſe debet uaria & pulchra, & ad uoluptatem ſolum comparata. In nuptiali, primùm de Iunone & Ioue præcipit, ut aliquid proloquamur, tanquam autoribus & monſtratoribus nuptiarum. Huius loco nos de Adami & Heuæ coniugio aliquid dicemus. Deinde, de natura ipſa, quæ omnia animalia ad ferendum partum & educandum inſtituit: quin etiam & plantas. Tertiò, de hominum certo &

Funebris oratio.

Dionyſij Alicarnaſei præcepta.

Panegyricæ orationis ratio.

Nuptialis oratio.

legitimo congreſſu,per comparationem ad cæterorum animalium uagos temerariosq́ꝫ cõcubitus. Ex hoc generis immortalitatẽ & familiæ,tanquam ex lumine alio accepto lumine,propagari. Quarto loco,omnia coniugij commoda oſtendentur:ut, bona exiſtimatio temperantiæ. nam quicunqꝫ ad nuptias ſe contulere, ab illegitimo omni coitu, ad ſolam uxorem propriam reſpicere uidentur. Hinc fiunt homines honoratiores,fideliores,beneuolentioresq́ꝫ erga patriam exiſtimantur. nam liberos eorum ut obſides quoſdam fidei atqꝫ beneuolentiæ habet patria. Quid enim ſibi uult,ut in cõcilium commune nemo antè adhibeatur,quàm nuptias celebrarit? Moleſtijs deniqꝫ uitæ humanæ uix quicquam aliud æquè mederi ſolet, quàm ſedulæ coniugis officium. fiunt omnium participes inter ſe, tam rerum aduerſarum quàm ſecundarum: res namque iucundæ ſuauiores fiunt,ſi communicentur. Vxor,liberi,affines,omnes unà nobiſcum & gaudent & lætantur: quæ lætitiæ quædam eſt ueluti ex pluribus adaucta lux. Quid aliud tam lætos efficit dies feſtos, & celebritates,niſi quòd multi ſimul gaudent? Hinc domus,urbes,ciuitatésq́ꝫ ædificatæ ſunt. Iam his addes exempla celebrium nuptiarum,ut Helenæ & Menelai,Pelei & Thetidis, Admeti & Alceſtis: aut ſanctorum uirorum, Abrahami & Saræ, Iſaachi & Rebeccæ, Annæ & Ioachimi,Virginis deniqꝫ beatiſsimæ cum ſanctiſsimo Ioſeph. Poſt hæc ſequentur quinto loco, uota: quibus fauſta omnia precabimur ſponſo & ſponſæ. Sexto, καθ' ὑποτύπωσιν fingentur liberi ludentes coram parentibus, & cantantes, officijsq́ꝫ omnibus eos proſequentes, & amicos ipſorum. Septimo, conferetur fictio hæc puerorum cum ipſius ſponſi pueritia: quoniam ſuauis eſt omnis rècordatio noſtræ adoleſcentiæ. Addi poterit hæc ſimilitudinis comparatio: Si iucundum eſt ſuam ipſius imaginẽ intueri, quanto magis uiuas & ſpirantes cernere, non unam, ſed plures? Exempla quoqꝫ afferentur eòrum,qui propter ſuos liberos fortunati habeantur. Ipſæ perſonæ,(coniuges inquam) ſi clari fuerint, ſtatim in orationis initio erunt exornandi: ſin minus, in fine. Locos dedimus in circunſtantijs perſonarum. Conſiderabis autem, an ſimiles ſint genere,facultatibus, ætate, patria: nam & hæc ad coniugij laudes faciunt. Quod ſi idem ſponſus dicturus eſt, exordium ſumere poterit ab hac ſententia: Si amantes,amores ſuos & delicias laudant, multo magis ego laudare matrimonium debeo, & de liberorum ſucceſſu uaticinari. Atqꝫ hæc quidem ſunt præcepta nuptialis orationis: cuius dictio erit magis humilis,quàm elata, pro auditorum ratione: qui non tam uocum percipiunt quàm rerum uoluptatem. Epithalamium appellamus orationem eam, quæ habetur apud thalamum. Differt autem à nuptiali: quòd perfectis nuptijs recitatur,

Epithalamium.

citatur, locoq́ꝫ Hymenæi. Differt quoque ab Hymenæo, ut à poemate oratio ſoluta. quanquã & carmine extant facta ab Statio ſub eo nomine:ſed Græci aliter. Ideo erit initiò occupãdum, quòd pro Hymenæo non tibijs, citharis'ue, aut alio cantu orationem habes, ſed laudibus & hymnis eorum qui copulantur. Inde ea proſequêris quæ in nuptiali tradita ſunt:neceſsitatem coniugij, encomia ipſorũ coniugum,& eorum qui nuptijs præfuerunt. Comparabisq́ꝫ matrimonium celebri cuidam mulierum uirorumq́ꝫ conuentui,& Calendarũ celebrationi. Hinc & illud conſiderandũ,quàm ueniant inter ſe æquales genere,ętate, facultatibus. Poſt hæc ſequetur cohortatio ad mutuam beneuolentiã:uelut ex qua bona omnia procedant. Optabis poſtremò,ut proles quamprimum in lucem prodeat, ut Hymenæum canere, & in ijſdem laudibus commorari poſsimus. Dictio erit poetica. In natiuitatibus quoque puerorum de die primùm aliquid exponemus:ut ſi calendæ, ſi idus, ſi nonæ, ſi feſtum,ſi dies Martis, Veneris:atq́ꝫ etiam pari modo de tempore, & menſe. Hinc & de loco dicendum, communi quidem primò, ut Aſia, Europa:deinde de proprio, ut ciuitate, regione: præterea'que de familia & genere. tandem nati ipſius laudes ponentur,qualis futurus eſt,qui talem ſe iam gerat: uel qualis fuerit, qui nunc talis eſt. Peroratio,ut in cæteris, fauſtam imprecationem inducet. Atq́ꝫ hęc quidem in natalitijs obſeruanda erunt, cum uarietate & amplificatione dictionis. Nec uidetur quidem præcipiendum, id quod tamen pleriſque cauendum pluribus uiſum eſt, ne dum laudamus uirtutes, uitia oppoſita, quæ in auditore ſint, reprehendere uideamur, niſi finem huiuſce orationis eſſe ignoret, auditoris uoluptatem. Quiuis enim, modò compos animi ſit, ex communi ſenſu poteſt cognoſcere, ingrata eſſe omnia quæ mordent & perſtringunt. Sed hoc loco non quidem præcepta officiorum,& inſtituta prudentię, ſed ſemitas eloquentiæ leuiter iudicamus. neque id quiſquam non facillimè effugiet, modò ad fidem & beneuolentiam dicentis plurimum referre putauerit, ſi auditorum laudes, cum propoſitis ſibi laudandæ rei coniungantur. Itaque incipiet, ſi commodè id poſsit, ab eorum ornamentis apud quos dicit: eo'que ſemper ſpectabit, ut expectationem, admirationem, uoluptatẽ moueat. Porrò quantũ attinet ad formã orationis, hoc in uniuerſum præceptũ ſit, quoniã ad uoluptatem genus hoc comparatum eſt, ideo floſculos omnes, uelut inſtitor quidam eloquẽtiæ captabit: & in primis pulchritudini atque ſplendori oratio ſtudebit, deinde uoluptati. & quia non uera, ſed quæ ad laudem faciunt, allaturus eſt, teſte Platone: ideo uerborum deflexionibus crebris abundabit: ut pro auaro parcum, pro luxurioſo hilarem, pro forti audacẽ dicat. is enim fucus, ſi qua

Natalicia.

rei ineſt ex ſeſe turpitudo, minima immutatione formæ diſsimulabit. Gaudet quoque hoc genus epiphonematum ui, diuiſionibusque eorum quæ ab imo ad ſummum rem augent: tum uerò maximè ſuauitate dictionis, & diligentia: ut paribus paria referas, nempe bina binis, terna ternis, membra membris, periodi ducantur aut *ἰσόκωλοι*, aut *ἰσοσκελεῖς*, aut *χιαζόμενοι*. Maximè uerò ſi laudes afferas: alioqui in uituperio contraria eſt prorſus ratio. Nam ut in laudibus hilaritatem, ſic in uituperio tædium præſeferre non ſolum dicentem oportet, ſed etiam in alijs efficere. Vbi & conuicijs locus eſt: *Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus autor, Perfide*: Si quis illam peſtem, &c. nec unquam inuectiua, aut uituperium indignatione uacet, aut contemptu. Habes itaque de genere Demonſtratiuo tam generalia quàm ſpecialia quædam præcepta: non ut artis huius, id quod perfectiſsimum eſt, hoc loco traderemus (nam generalibus id uerbis ſatis eſt ſuprà demonſtratum) ſed ut rudibus adhuc iuuenibus propoſitis ab autoribus grauiſs. preceptionibus, tanquam exemplis præiremus. nouimus enim, quàm id ad inſtitutionis facultatem conferat. Themata ſi quis plura deſideret, maximè præceptores ut diſcipulis argumenta dictent declamationum in omni genere cauſę, plurima & uaria inueniet apud Senecam. Atque ita partes & loca habes, quæ obſeruauimus in duobus generibus cauſarum: quæ ſequentur iam, ad conſtitutionem atque integritatem corporis pertinebunt orationis Iudicialis.

DE ORATIONE LIBER TERTIVS.

De partibus orationis forenſis.

PROOEMIVM.

EXPOSITIS quæſtionũ partibus, morumque locis omnibus, unde uitam & quaſi ſpiritum concipit oratio: ſupereſt, ut totius corporis particulas, & tanque membra eius orationis quoque demonſtremus, quam in iudicijs & foro regnare compertum eſt. Duorum enim aliorum generum (deliberatiui, inquam, & panegyrici) partes non alia cauſa iam expendimus. Hoc genus actionem dixerunt, quòd accuſatione & defenſione contineat, & finem habet ius dicere: Græci
Actio. ἀγών. etiã *ἀγῶνα*, id eſt certamẽ, ob eius partẽ pręcipuã, in quã incidũt aliquando altercationes. Res profectò tam ſcitu iucũda, quàm inuẽtu neceſſaria, & oratoris in primis propria. Nã ſiue quatuor ponãtur opera oratoris (noſſe, inuenire, diſponere, pronunciare) ſiue quin-

quę (inuenire, diſponere, eloqui, meminiſſe, & pronunciare) ſanè abſq; partium orationis ille cognitione nihil magni efficiet. Vt eius rei fidem facerent quidam oratores, hiſtoriam referunt ſatis prolixam: in qua tradunt, Coracem, mortuo Hierone Syracuſanorũ rege, populum Syracuſanum orationi obtemperantẽ reddidiſſe: cum exordio primùm excitaſſet ad audiendum, & ſibi conciliaſſet, ac deinceps omnia perſequutus fuiſſet apud populum planè rudem: qui multo tẽpore abſtinuiſſet ab oratione, nutibus & ſignis totius corporis ea ſignificans, propter quæ eſt inuenta oratio. Itaq; hunc primùm opinio eſt partes orationis non ſolum feciſſe, ſed nominaſſe, atq; etiam publicè mercede docuiſſe. Vocauit autẽ hæc, προοίμιον, διήγησιν, ἀγῶνα, παρέκβασιν, & ἐπίλογον. Et exordium quidem προοίμιον, quaſi ingreſſum: & inde puto præludium cantilenæ dictum quoq; προοίμιον, quanquam uidetur dictũ alijs ab οἴμη, quod eſt cantus. nam οἶμος ὁδὸς, & οἴμη ᾠδὴ interpretãtur Græci. Narrationem porrò διήγησιν ideo appellauit, quòd ea exponantur omnia quæ ſunt in cauſa. Probationes autem, certamina: quòd hic contenditur, uera eſſe quæ aſſeruntur. Egreſsionem, quia res extra negotium tractat: epilogo in breuem tanquam ſummam omnia colligente. Cæterùm quia egreſsio nõ eſt propria iudicialis formæ, ſed potius encomiaſticæ, ſufficient nobis hoc tempore quatuor: nec tamen ſuo loco omittemus de egreſsione pręcepta. Sint ergo partes orationis forenſis, exordium, narratio, probatio, & cõcluſio: quæ alij elementa controuerſiæ dixerũt, nos poſthac membra orationis iudicialis. Eſt enim oratio quoddam ueluti corpus integrum: non ἀκέφαλον, neq; ἄπουν: ſed in quo uidere eſt caput, collum, thoracem, brachia, uentrem, tibias, & pedes: & ſuis quæq; cùm articulis prædita, tum quoq; ſitu, figura, & quantitate, materiaq; debita. De quibus equidem in præſentia dicturo, non aliunde reor mihi commendationẽ ambiendam eſſe, quàm quòd multi ſuam de eloquentia diſputationem ſola huius generis tractatione definierunt. Et quicunque orationi ſtudent, hoc in primis ſcire cupiunt, quomodo exordiendum, quomodo concludendum, & qua arte narrandum ſit. Nec iniuria laudandus labor priſcorum eſt, & diligentia, quam ad eius rei inueſtigationem acutiſsimi homines impenderunt. Nam ſi quis narrationis (exempli gratia) non omnes uirtutes teneat, aut non omnes argumentandi formas: unica profectò ſolum ritè obſeruata, uſuq; dicendi probè confirmata efficiet, ut illius ſermo atq; iudicium ſupra uulgi ſermonem efferatur, prudentiaq; ſingularis exiſtimetur: quoniã neq; eloquentes haberi uulgò ſolent, niſi qui maturitate quadã cogitationis actiones proponũt diſtinctis partibus, exordiendo, probando, cõcludendo, abſq; omni perturbatione. Ergo ſi ijs quę

Oratoris opera.

Corax.

Orationis partes.

præceſſerunt, operam inſumpſiſſe nõ pœnituit: multo maiorem ijs quæ iam dicemus adhibere æquum eſt, ſine quibus alia frigent, & inſtar exercitus hominum ſtrenuorum, abſq; ordine progredientium in certamen, uirium atq; roboris magnam partem amittunt.

De exordio, & primò de eius fine. Cap. 1.

ET quoniam uia & arte ingredi conſtituimus: omniſq́; inſtitutio quæ à ratione ſuſcipitur, definitionem aut diuiſionem, aut certè utrumq; præmittere debet: ſumatur quoque nobis initium ab diuiſione aliqua, poſtquã hęc à nobis tradi, & à quocunq; capi poteſt facilimè. Ea ſit huiuſmodi. In oratione (ut in re perfecta) principium inuenitur, & finis, & medium. Appello autem principium, ingreſſum, & præparationẽ ad reliquum ſermonem: Corpus autem, totius cauſæ expoſitionẽ, demonſtrationemq́;. Finis porrò additur, ut orationis mens atq; ſententia appareat, utq; effeciſſe aliquid orator ſuſcepto ſermone uideatur. Præparationem autem ſola inuocatione faciebant olim oratores, ſicut & poetæ. ſic erat enim in orationib. Catonis & Gracchi. ſed præceptum generale principij nunc tribus modis fieri inuenio: Beneuolentia, attentione, & docilitate. Hæc quidem uulgaria, dices: & ſanè ſunt. Cur uerò hæc, nec plura poſuerint ſemper profeſſores, ex partibus principiorũ demonſtrari poteſt. Nam ſtatim initio, & in primo ueſtigio orationis, exordium ponitur, ad conciliandam gratiam auditorũ. In altero, eorum quæ dicenda ſunt capita & ſummam præmittimus, ut eorundem auditorum animi adaudiẽdum ſperandumq́; aliquid erigantur. In tertio diuidimus ipſam diſputationem, & in ſuas partes diſtinguimus: id quidem, ut aliqua poſsit uel admodũ exigua totius negotij ſpecies in ipſo ſtatim ueſtibulo ingreſſuq́; haberi. Suſpenſos enim diu, nihilq́; de cauſa prorſus edoctos, neceſſe eſt tandem reuocari ab attentione, & animo uagari atq; abeſſe. Exordientibus itaque proponendi ſemper tres illi fines: ſed maximè in iudicijs. nam fides amorem facilè ſequitur. Iudex autem nihil probare poteſt, quod non nouerit. nec cognoſcimus, niſi attendamus. nec ſatis profectò eſt attendere, niſi id quod percipiendum eſt, dilucidè, palamq́; proponatur. Quapropter ut hanc quam dixi diluciditatem conſequamur, partitione erit opus. Sed non erunt paſsim & ubiq; omnia adhibenda: quoniam alia magis beneuolum iudicem requirunt, quàm attentum: alia contrà magis intentione indigent, quàm fauore. genus enim cauſæ quod Gręcis dicitur ἄδοξον, id eſt humile, propterea quòd facilè negligitur, attentos cupit habere auditores: obſcurũ, quod ijdem δυσπαρακόλουθον, dociles: reliqua illa tria, quæ ἔνδοξον, ἀμφίδοξον & παράδοξον, id eſt honeſtum, anceps & admirabile, omnia beneuolos maximè: alia uerò

Principiũ. *Corpus.* *Finis.* *Exordij partes.* *Non omnia paſsim & ubiq; adhibenda.*

uerò non item. Sed admirabile quidem,quod præter opinionẽ eſt,
obliquè & quaſi per inſidias in iudicum animos cupit irrepere,&
clanculum inſinuari:in reliquis aperta etiam aliquãdo petitione be
neuolentię licet uti. Attende igitur quæſo.nam doctrinã ego hanc
quàm licet paucisſimis uolo perſtringere. In primis autem cõmen-
danda memoriæ illa duplex Exordij partitio, quã pleriq; fecerũt,
in procemium & inſinuationem.Principium,hoc eſt ἀρχὴ,ſæpe in- *Exordij duplex partitio.*
tegrum eſt: aliquando προβολὴ, quæ quaſi ex abrupto facit uiam ſe-
quenti orationi.Inſinuationem Græci dixerunt ἔφοδον, à ſimilitudi *Inſinuatio.*
ne clandeſtini ingreſſus,qua ciuitates capi contingit.hoc enim Græ
cis ſignat ephodus:ideóq; extra rem ſumitur inſinuatio, ſed procœ-
mium ab ipſa re incipit. Spectare autem oportet ſtatim, quid ip-
ſe uelis efficere,quid dicere,apud quos,quo tẽpore, quo loco, qua
de cauſa,qua opinione hominum. hæc namq; omnia aut ſingula di
cendi anſam aliquam præbebunt, in conſilium adhibita. Itaq; ſi fa-
uor demerendus,animum aduerte ilico ad rem ipſam, & perſonas
omnes,quas negotium attingit:ut noſtram,rei,accuſatoris,iudicis,
& aliorum. Si res honeſta ſit, grataq; iudicibus: congratulabimur
quidem,& noſtram cum auditorum uoluptate cõiungemus.Si tur
pis, aut atrox, indignatio præfertur: ſi triſtis, eodem modo triſti-
tia:ſi admirabilis,admirationis cauſæ.In formidoloſa Cicero formi
dinem ſignificauit: Etſi uereor Iudices, ne turpe ſit pro fortiſsimo «
uiro dicere incipientem timere: tamen hæc noua forma iudicij ter- «
ret oculos. Occupabimus itaq; in principio orationis duo:uel re «
prehenſionem auditorũ (ut, Si quis ueſtrùm fortè miratur me nec
ſatis eloquentem de tanto negotio uelle dicere)uel ea quæ aduerſa
rius maximè obiecturus eſt:hæc enim præmõſtrata à nobis ſic de-
bilitantur,ut quantumuis conetur poſtea augere aduerſarius,pror
ſus tamen frigent. Sed hoc non ſemper in exordio quæritur: eſt ei
locus etiam in refutatione.

De beneuolentia. Cap. 2.

A Noſtra autem perſona fauorem inueniemus, ſi uiri bo- *Beneuolentia, à perſona noſtra.*
ni & æqui uideamur.quod fiet,ſi ad agendum ex officio
ueniſſe nos doceamus: ut pro eo qui neceſsitate nobis
coniunctus eſt, pro bene merito de nobis: tum ſi ex pie-
tate,ſi uoluntate gratificandi, ſtudio in rempub.miſericordia in ca-
lamitoſos.Gratiam quoq; meretur noſtra dignitas,& eorum quos
defendimus bona exiſtimatio, infirmitas,ſexus ætatis, ualetudinis,
morum innocentia:quod litium fugitantes,iniuriarum perferẽtes:
commemoratio facinoris præclari, aut caſus grauioris, præſertim
pro rep.accepti.Sic in eadem Cicero: Quid enim nobis duobus la-
borioſius, Iudices? quid magis ſolicitum dici aut fingi poteſt? qui

ſpe ampliſsimorum præmiorum in rempub. adducti, metu crudeliſsimorum, &c. Hæc autem de alijs liberius, quàm de nobis ipſis, prædicare licet: modò abſit inuidioſa comparatio. Quod ſi autoritatem noſtram tueri uolumus, id quidem agemus cum pudoris aliqua ſignificatione, & diſsimulatione eloquentiæ: uirtutes proprias extenuantes, eaſdemq́ꝫ tribuentes uel ipſis ijſdem auditoribus, uel Deo: quòd in aliorum magis utilitatem quàm noſtram, nobis collatæ ſint: qui ſi quid unquam uel dicendo, uel cogitando agendóue effecimus, plus quidem in his ſemper uoluiſſe, quàm præſtitiſſe: laudem, honores, commoda, ſi qua ſumus adepti, ipſis iudicibus, ipſorumq́ꝫ gratiæ atqꝫ auxilio tribuentes. Tota autem oratione ſic pudorem præferemus, ut non ſponte noſtra, ſed inuitos loqui ea de re appareat: aut certè orationem in aduerſarium ſic conuertemus per apoſtrophen, ut indignatio magis quàm diſputatio uideatur: Quæ nos aliquando deorum immortalium beneficio & ope optimorum hominum effecimus, ſi cum tuis adulterijs cõferantur, &c. aut hoc pacto: Quoties in hunc locum uenio Iudices, de meipſo loqui contra uoluntatem meam compellor. Necꝫ enim aliter (ut ſemel dicã) ſe ipſum laudare orator poteſt, quàm uel coactus, uel conuerſus in aduerſarium. quanquam ſermone generali idem efficit Iſocrates in principio Parænefeos: ſed non adeò pudenter. Nec poetarũ exemplo quis moueatur. Hi enim furore acti omnia effutiũt, quibus hic ipſe furor laudi eſt. Quare nemo orator perorabit, ut Ouidius in Metamorphoſi: *Iamq́ opus exegi: quòd nec Iouis ira, nec ignes, Nec poterit ferrum, nec edax abolere uetuſtas.* Et Horatius: *uſq́ ego poſtera Creſcam laude recens dum Capitolium Scandet cum tacita uirgine pontifex.* In iudice cõijciendum ſtatim eſt, quam ſententiam atqꝫ opinionem de negotio tulerit, ne protinus uoluntati eius refragari uideare. nam ſi alienum à nobis putemus, opus quidem fuerit inſinuatione, non recto principio. id autem cognitu facile eſt, ſi cauſę inſit turpitudo: aut perſuaſum ſit ab ijs qui antè dixerũt: aut quia feſſus audiendo iudex ſit, aliáue cauſa alienatus, nihil quicquam amplius audire uelit. Quibus incommodis omnibus medebimur (ut ſcribitur ad Herennium) ſi cauſa turpitudinem habet, dicentes hominem, non rem, aut contrà rem, non hominem ſpectari debere: non placere nobis ipſis quę facta eſſe dicantur: eſſe quidem indigna & nefaria. & ubi rem uerbis auxerimus, nihil ſimile à nobis factum eſſe oſtendemus. aut aliquorum iudicium de eadem re proferemus: deinde pedetentim accedemus ad cauſam. aut certè negabimus uel de aduerſarijs, uel eorum rebus nos ullo pacto dicturos: ſed occultè nihilominus dicemus, uerborum aliqua cõformatione. Si perſuaſus auditor fuerit, hoc eſt, ſi aduerſariorum ſermo fidem iudicibus fecerit: primùm id quo

A' perſona iudicis.

maxime

maximè fidem factã putabimus, poſt pauca declaraturos nos pro-
mittemus: interea refutabimus alia. Hęc enim promiſsio multũ de-
trahit fidei argumentis aduerſariorum, uel etiamſi nũquam id fiat.
Licet quoq; admirationem, dubitationem'q; aliquam præferre, un-
de potiſsimum ſit incipiendum, aut quid primo loco refutandum.
Hoc modo egit contra Saluſtium. Poſſumus etiam totam accuſa
tionem diligẽtiſsimè diuidere, ne quid reticere uelle uideamur. Sic
idem pro Cluentio fecit. Si autem defeſsi audiendo fuerint, aptiſ-
ſimus quidem iocus eſt, qui riſum moueat, ut fabulæ, apologi: aut
qui imitationis deprauatione & ſimilibus exhilaret. atrocitas quo-
que noua. Iam ſi promittamus, nos aliter quàm parati eramus dice-
re, & aliter quàm alij ſolent: diſplicere non poſſumus. Sed illud pręci-
puum eſt, ut iudicum laudes, quæ ad cauſæ utilitatem facere poſ-
ſunt, admiſceantur paſsim. Qui ſi amici aut inimici fuerint, plus a-
pud eos dicemus poſſe cauſæ æquitatem, quàm odium aut gratiã:
ineptos iudices, & iniuſtos, ſæpe amicis obeſſe, iniuſte'que agere,
ne iniuſtè amice'ue agere uideantur: ſtulta quidem uerecundia, &
iniqua audacia. Aduerſarium trahemus in inuidiam, odium, aut *Ab aduerſa*
contemptum: id'q; ex amentia, furore, libidine, barbarie, nequitia, *rio.*
petulantia, deiectione animi, conſiliorum præcipitatione, uolunta
te debacchãdi in alios, ab exiſtimatione bona aut mala, ab opibus,
à gratia, ab eloquentia, ab ipſa actione proterua (ſi dixerit prior)
aut molli & præfracta. Expedit non rarò, ut occupatione utamur,
ne odio aut inuidia agere uideamur. Sed odium aliquando pro-
ferimus: ut contra hominem crudelem, qui'que inhumanitatis o-
pinione iam alioqui laboret: contra uirum autem grauitate aut di-
gnitate præſtantem colore eſt opus, ad inſinnationem, ut quòd
beneuolentia potius quàm odio ad contradicendum acceſsimus.
Circa mediocres, qui in mala ſunt exiſtimatione, eam augebimus:
ut contra Vatinium Cicero, & Demoſthenes contra Midiam. Si
in bona, eam diluemus: in omnibus uerò modeſtiam præferen-
tes, & humanitatem, tum uerò maximè charitatem ſummam erga
omnes. Illud'q; memineris, ab exordio abeſſe debere potius conui-
cium, quàm à probatione. quin etiam in probatione niſi cõuicium
ex moribus fidem faciat, uel ex re, uituperabitur. Errant ergo, qui *Ab alijs.*
ubiq; in exordijs conuiciantur. Præter has etiam, ab alijs perſo-
nis, rebus'q; alijs beneuolentiam captare licet. nam cauſæ noſtræ fa
uebitur, ſi iudices audiunt noſtra incommoda, uoluptatem ipſorũ
inimicis attuliſſe. Atq; hæc quidem de prima exordij parte, in qua
beneuolentiam quærimus, dicta ſufficiant. Quare uerecundè inci-
pientibus fugiendum ab elatis & intenſis uerbis: ſed acutis ſenten
tijs aduerſarium feriemus, aut nos ipſos cõmendabimus: quod uno
uerbo dictum uolui. Sequitur attentio. De

De attentione. Cap. 3.

Propoſitio.

ALTERAM partem exordij pertinere traditum eſt ad attentionem. Eſt autem hæc(ut paucis dicatur)commendatio rei, & propoſitio:non quidem probandæ quæſtionis (illa enim propriè à Græcis προβολὴ nuncupatur) ſed totius ſermonis noſtri aut exitus quædam quaſi ambitioſa uenditatio:ut enim in beneuolentia caput eſt perſonæ commendatio: ſic in attẽtione,rei:ut talis eſſe res uideatur, quam libenter audituri ſint. Promittimus ſiquidẽ ſermonẽ de rebus magnis,nouis,iucundis,neceſſarijs, utilibus, decẽtibus, quæ futura ſint exẽplo alijs. Licet quoq; ſpem excitare,expectationem,admirationem,ſæpe etiam metum:non raro iudices,ut uelint attendere,rogãtur: ſed in media quidem oratione, ubi quid dicendum eſt, ſimpliciter: in principio (ubi diximus)ambitioſe,ut pro Milone : Quamobrem adeſte animis Iudices, & timorem ſi quem habetis depellite. nam ſi unquam de bonis & fortibus uiris, ſi unq; de bene meritis ciuibus poteſtas uobis iudicandi fuit, ſi denicq; unquam,&c. Ergo tenendi mores auditorum.necq; enim tantum magnis & nouis mouẽtur aliqui,ſed etiam uulgaribus. Atque ea quidem ratione fit, ut non recta, ſed planè deflexa ſit propoſitionis in fronte orationis promiſsio.ea nãque qua ſimpliciter dicturos aliqua de re nos eſſe teſtamur, ſæpe reprehenditur tanquam immodeſta. ut magno Virgilio datum à quibuſdam uitio eſt(etſi iniquè)Arma uirum' que cano.neque minori, quòd Saluſtius propoſuit in Iugurthino : Bellum ſcripturus ſum, quod populus Rom. cum Iugurtha rege Numidarum geſsit. Turpiſsimè uerò Iſocrates:Suaſurus tibi ſum,ut concordiam inter Græcos conſtituas,& arma contra Barbaros ſuſcipias.Lucanum, ea ætate tantum opus deſcripſiſſe, qua fuit, mortuus anno 24, excuſare poteſt. Sed quanto ſcitius, quàm hic, Homerus: μῆνιν ἄειδε θεὰ: & ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα.& Muſæus, εἶπε θεὰ κρυφίων.In quibus poetæ ſolent plerunq; alijs perſonis ſermonem proprium tribuere: cuius rei tamen decorum non neglexit Virgilius . nam etſi ſeorſum quidem de ſe loquitur, Ille ego qui quondam : tamen diuinum opus illic auſpicatus eſt, ubi Muſam inuocat, Muſa mihi cauſas memora:non ubi Arma uirumq; cano. Reliqui dicent (ſi lubet)alium eſſe Græcorum atq; Latinorum morem. Itaque propoſitio hæc de qua loquimur,non recta,ſed flexa nonnihil erit,figura aliqua dicendi. Nec prætermittendum illud præceptum eſt:Breuem in initio moram, ſilentiumq; dicentis, parare attentionem. ea uſus Vlyſſes apud Ouidium ſcribitur:

— Atq; oculos paulum tellure moratos
Extulit ad proceres,expectataq; reſoluit
Ora ſono. —

De

De docilitate. Cap. 4.

TERTIA complectitur cauſæ totius generalem partitio- Partitio.
nem. declarat enim atq; aperit capita cauſarum, nõ qui-
dem ut ea exponat ac probet: ſed tantum ut conſtituat,
& quaſi deſignet. Vnde appellari ſolet hęc pars σύστασις
κεφαλαίων, id eſt capitum conſtitutio. Vti uerò propoſitionum
quædam fiunt nõ ſolum in ſingulis exordijs & ſtatibus, ſed etiam in
ſingulis argumentis: ſic & diuiſionum quædam eſt generalis totius
orationis, aliæ particulares ſingularum quæſtionum: quæ & plerũ-
que, in renouatione maximè, poſt narrationem proponuntur. Sed
ea de qua nunc agimus paucis, ſub aliqua figura actionẽ diſtinguit
in ſuas partes, in'que propoſitionis morem adhibetur. Dixi autem,
Sub figura: nam rectè, & ἁπλῶς nunquam adferri debet: quanquam
ſæpius quidem per incertitudinem, & ut Græci dicunt διστακτικῶς,
id eſt dubitatiuè. neq; hæc generalis modò, ſed illa etiam quæſtio-
num. Tres ſunt res (inquit) de quibus me dicere arbitror, Iudices. «
Rurſum: Sed quoniam nonnũquam ſubſidium hoc neceſſariũ eſt, «
quemadmodum ſit utendum eo dicemus, ſi prius ijs de rebus quæ «
uirtuti propiores ſunt dixerimus. Itẽ: De quibus dicere aggrediar, «
ſi pauca prius de inſtituto ac iudicio meo dixero. Item: Tres ſunt «
res, quantũ ego exiſtimo, quæ obſtent hoc tempore. In noſtra Mi- «
loniana: Quãquam in hac cauſa Iudices, T. Annij tribunatu, rebus «
omnibus pro ſalute reipub. geſtis, ad huius criminis defenſionem «
non abutemur, niſi oculis uideritis inſidias Miloni à Clodio factas: «
nec deprecaturi ſumus, ut crimen hoc nobis multa propter præcla «
rà in rempub. merita condonetis: nec poſtulaturi, ut ſi mors Pub. «
Clodij ſalus ueſtra fuerit, idcirco eam uirtuti Milonis potius quàm po «
puli Rom. felicitati aſsignetis. Sed ſi illius inſidiæ clariores hac luce «
fuerint, tum deniq; obſecrabo, obteſtabor'q; uos Iudices, ſi cæteras «
amiſimus, hoc ſaltem nobis ut relinquatúr, ab inimicorum audacia «
telis'q; uirum ut impunè liceat defendere. Hæc ſunt in elegantiſ- «
ſima illa diuiſione, quam fecit ex abundanti per incertitudinẽ. Dicit
enim, Etſi poſſum Miloni ueniã petere, propter eius multa in rem-
pub. merita: & quanquam poſſum æquitatem oſtendere propter
utilitatem quam ex morte Clodij accepiſtis: tamen inſidias apertè
demonſtrabimus. ubi defenſionis tamen tria capita proponuntur,
& promittũtur: relatio, comparatio, & deprecatio. id eſt, quod Grę
cis ἀντέγκλημα, ἀντίστασις, συγγνώμη. Atq; hæc de tri-
bus exordij finibus.

Exordij œconomia ac diſpoſitio. Cap. 5.

QVANTVM uerò ad ſtructuram ſpectat atq; œconomiã
(quæ & elocutionis eius ars quædam uidetur) duæ po
ſteriores partes, ſingulis periodis proponi debent, abſ-
Exordij beneuolentiæ tria mẽbra. que redditionibus atq; approbationibus. Sed tamen e-
xordium quod ad beneuolentiã fauorem'q; comparatur, id tribus
partibus membris'q; moueri ſolet, atq; ingredi. Primã appellamus
protaſin: alteram huic diuerſam, axioſin, quia dignitatem habet au
toritatem'q; exordij: tertia, baſis & fundamentum dicitur. hac autẽ
iunguntur ſimul, & in ſe mutuò componuntur propoſitio atq; red
ditio. Singulis additur ratio una, uel plures: maximè autem propo-
ſitioni, & redditioni. Quanquam & in Roſciana baſin multis ratio
nibus confirmauit. Baſin ſequitur concluſio. Exemplum ſumatur
» ex eadem Miloniana: Non poſſum Iudices non timere, uiſa hac no-
» ua forma iudicij. hæc protaſis eſt, additur ratio: Non enim corona
» cinctus eſt cõſeſſus ueſter, ut ſolebat. Axioſis: Sed me recreat Pom-
» peij conſilium, cuius ſapientiæ non fuerit, quem ſententijs iudicum
» tradidit, telis militum dedere. Baſis: Quamobrem neq; arma illa no
» bis periculum denunciant, neque multitudo reliqua ciuium contra
» nos eſt, neq; magnifacere debetis Clodianorũ illud genus audax.
Hic enim per enumerationem probat, an timere debeant Iudices,
nec'ne. colligit autem, non eſſe timendum. Concluſio: Quamob-
» rem adeſte animis Iudices, & timorem, ſi quem habetis, depellite.
Atq; in hunc quidem modum orator exordium inſtituit: quod nos
ſuo habitu exuimus, ut nudam ſine'q; ornamentis formam rei pul-
cherrimę contemplareris. alioqui enim ſi dictionem eius obſerues,
nihil profectò eſt nec plenius, nec magis circumductũ. Et quidem
talia eſſe debent exordia multis reſpirationibus, multisq; ſenſibus
referta. Initiò quidem oratio prodit tranquillè, pedetentim, ac mo-
deratè, abſq; affectatione aliqua diligentiæ: tanquam acies in præ-
Exordij figura. lium tibijs cantantibus ὀρθιατ' ἐνόπλιον. Nam quid per Deum tam
leue eſt, tam'q; ineruditum, quàm ſtatim in principio, cum incertus
adhuc de uoluntate iudicum timere debeas, ludere tamen conſonã
tijs, & laſciuire numeris, aut obſoleta uerba inſolentia'q;, tanquam
bellica tormenta, incaſſum iactare? Suum eſt cuiq; tempus: quod
exordium reſpuit, id narratio amplectetur: aut ſi narratio non exci-
pit, excipiet epilogus: feret'q; occaſio locum exclamandi, cauſam e-
tiam relaxandi animum. non ubiq; naſcitur aurum: nec ideo non ef
Protaſis. foditur, aut negligitur plumbum, ubi reperitur. Habeat ergo pro-
taſis longa, continuata'q; membra, cum immoratione. Cæterùm et-
ſi huius figurę demonſtratio in eum locum reiecta eſt, ubi de cæte-
ris ſententiarum figuris agemus: tamen ne dilatio efficiat, cum res
facilè

faciliè poſsit cōmodeq; tractari in præſentia: nolo diſtracta in aliud
tempus cura efficiat, ut exordiū careat ſua forma, qua maximè de-
lectetur. Volo igitur primùm intelligas, in ingreſſu ſermonis eam
expolitionem ſufficere, in qua primùm nomina duplicantur, uel ut-
cunque multiplicantur: deinde uerba: tertiò rationis confirmatio-
nes. Fietq;, ut ex primo cæſa multiplicentur, ex ſecundo membra,
ex tertio periodi. Exēplis de more doceamus. Multa nomina ſunt
in hoc principio: Si quis antea Iudices mirabatur, quid eſſet quòd "
pro tantis opibus reipub. tantaq; dignitate Imperij Romani nequa "
quam ſatis multi ciues forti & magno animo inuenirentur, &c. Ver "
ba & membra hic: Etſi uereor Iudices, ne turpe ſit pro fortiſsimo "
uiro dicere incipientem timere: minimeq; deceat, cum T. Annius, "
&c. Sunt enim uerba, Turpe ſit, & minime deceat, quæ idem effi- "
ciunt. Ibidem approbationum multitudo: Tamen hæc noui iudi "
cij noua forma terret oculos. Ætiologia ponitur in eadem conti "
nuatione: Qui quocunq; inciderint, ueterem conſuetudinem fori "
& priſtinum morem iudiciorum requirunt. Probatio, quam elo "
cutus eſt forma ætiologiæ: Non enim corona conſeſſus ueſter cin- "
ctus eſt, ut ſolebat, non uſitata frequentia ſtipati ſumus. Alia con- "
firmatio: Nam illa præſidia, quæ pro templis omnibus cernitis: & "
quę ſequuntur. Habes (ut reor) quibus modis & impleri & pro-
duci poſsit exordij prima pars. Nō quaſi id in omnibus, aut eodem
modo agendum ſit. Varietas enim cauſarum mutandam docet for
mam principij. Verùm in iudicijs, quod obſeruatum ſæpe eſt, ferè
aliter nō cōtingit præclaros illos, & omnē laudē meritos oratores
incœpiſſe. In encomijs enim, ac deliberationibus, cōtraria eſt ratio:
prudensq; orator cum tempore deliberabit. Pro Marcello nullam
fecit protaſin: pro C. Rabirio totus ferè eſt in prima ſentētia: ad Au
guſtū, omittit baſin: pro Cluentio, incipit à partitione. Quòd ſi pro
pterea ridenda eſt diuiſio exordiorū in quatuor ſenſus, (ut Quinti-
liano uidetur) nec de ea pręcipere quicq; oportebat: nec erat profe-
ctò quicquā de exordio tradendū. eſt enim par ubiq; ratio (exordij
inquam ad orationē, & partium exordij ad ipſum exordium) cum
quibuſdam cauſis ab eodem Quintiliano exordiū detrahatur: nec
in omnibus tres illi fines proponantur, quos nullus in pręcipiendo
omiſit. Cæterùm nihil moror, quid hic ſentiat Quintilianus: qui ſi
rem uel minimum iudicaſſet, potuiſſet lectori iudicium relinquere:
nunc uerò cum nihil ipſe præceperit, malo communem ego uiam,
& tritam oſtēdere, ut ſuo quiſq; iudicio uti poſsit: quàm relicta uia
regia, anguſtos calles ſemitasq; obſcuriores, quas nunquam poſsis
aut inuenire, aut ingredi, demonſtrare. Et quemadmodum in ora-
tione ponimus proprias partes, exordiū, narrationē, probationē,

refutationem,& denique concluſionem (etſi non ſemper omnia hæc inueniantur) ſic pari ratione, in exordio protaſin, axioſin, & baſin plerunque reperiri dicimus: rectamque eſſe principiorum hanc formam, niſi quis aut pro nutu, aut pro rei neceſsitate ea immutarit. Quantum uerò utilitatis ea cognitio afferat, mecum ſentient ij, qui in inueſtigando hactenus dicendi initio ſæpe laborarunt.

Loci inueniendi exordij. Cap. 6.

SED pergamus ad pauca quædam quæ ſuperſunt de exordij inuentione, nō minus quidem grata: ſi quis ingenuè ſecum reputet, quàm hæſitabat olim in inueſtiganda prima uoce antequā hæc didiciſſet. Neque enim ſatis eſt noſſe fines exordij, tenereque omnes partes: nec ſatis eſt formam cuiusque partis probè cōſideraſſe: niſi rationē magis coniunctā propriamque eius rei exponamus, quibus uerbis, quibusque rebus cōſtet hæc propoſitio: denique quid ſit dicendum primò, atque ante omnia enarrandum eſt. Ad inueſtigandum quidem principiū hęc omnia conſiderabuntur. Nam licet nobis uel ex re ipſa & quæſtione, quam tractaturi ſumus, exordium eruere, uel extra rem quodam modo ſua ſponte oblatam arripere. Hoc appellāt extemporaneum, quia per occaſionem inuentum eſt: & talia ſunt ferè principia omnia Platonis. Quæ igitur ex re ipſa eruuntur, quædam mores habent dicentis:
Protaſis. ut, Gratiſsimæ fuerunt mihi tuæ literæ. Quædam rei diuiſionē: ut, Duæ res ſunt, de quibus dicendum eſt. Quædam amplificationem: ut, Nouum crimen & inauditum afferam. quædam dicuntur ex abundanti: ut, Non dicam de furtis huius quod poteram, ſed de proditione. Et poſſunt omnia in unum exordium concurrere, ut certè ſolent plura ſæpiſsimè. Erunt itaque protaſeos quinque genera: unum moratum, alterum per diuiſionem, tertium per amplificationem, quartum ex abundanti, quintū ex tempore. Sed id quod amplificationem continet, poſt eum qui mores habet, facillimum exiſtimo: exercitationem autem maiorem diuiſio deſiderat: at uerò exuberantia, niſi hanc res ipſa præbeat, non fuerit penes rhetorem, quamuis arte multum poſsit. Sed facilius, rudiorique Minerua idem
Amplificatio. rurſum dicamus. Amplificatio, ut ſuprà docuimus, tribus modis fieri conſueuit: quantitate, proſopopœia, & euentu. Quantitatis principium eſt hic: Nouum crimen, Cæſar, & ante hunc diem inauditum, &c. pro Domo ſua ad pontifices: Cum multa diuinitùs, &c. Proſopopœia, pro Domo ſua ad pop. & pro Cteſiphonte Demoſthenes: πρῶτον μὲν ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι τοῖς θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις εὔχομαι. Hunc quoque imitatur Cicero pro Murena. Sed omnia hæc ad moratum genus referenda ſunt. Per euentum fiet, quoties in axioſi reddimus rei exitum quæ proponitur, ut pro Cluentio, pro

Cecilio,

Cecilio. Per diuiſionem autem duobus modis efficitur: oppoſitione & collatione. Collatio ex rebus eiuſdem rationis, uel proportionis, ut criminibus, meritis, locis, temporibus, perſonis, cauſis. Si quantum in agro locisq; deſertis, & deinceps. Oppoſitio fit ex rebus contrarijs per coniunctiones aduerſatiuas, uti altera, per conditionales, quanq;, etſi: ut, Quamuis iuſtum eſt Alexandrum honore afficere, ſed non diuino. Tam uerò multis arriſit eius formæ dicendi initium, quę per aduerſatiuas incipit cum moribus, ut pleriq; ab occupatione ſemper incipiant contrariorũ: quaſi aliter incipere aut agere fas non ſit, niſi ab oppoſito. Sed etſi hęc eſt pulcherrima, non tamen in omnibus quęrenda. Exuberantiæ deniq; exordium magnum uibrat telum, magnũ terrorem incutit aduerſario. ut, Poſſem in præſentia tibi ſacrilegij crimen intentare: ſed nolo ego tam durus eſſe accuſator, quàm tu inhumanus miles extitiſti. Cum in maximis periculis (inquit Cicero) huius urbis ſócio conſiliorum L. Flacco cædem ab urbe depellebam, ſperabam honoris eius potius me adiutorem futurum, quàm miſeriarum deprecatorẽ. Extemporalia uel ex muſca quidem uolante captari poſſunt. ita ex tempore anni, ex umbra arboris ubi ſedeatur, ex amici aduentu, ex lætitia populi, atq; alijs ſexcentis rebus & occaſionibus. Iam itaque facile eſt apodoſin his aliquam adiungere, in qua autoritas & fundamentum totius exordij contineatur. idq; frequentiſsimè ſolet per antiparaſtaſin: non rarò per id quod ſuprà dicebamus Ad aliquid: ſæpe etiam cõuerſionem reperimus ad aliud. Exemplis illuſtrentur. Eſt hoc in more poſitum Quirites, ut qui beneficio ueſtro imagines familiæ, &c. Mihi quidem apud uos de meis maioribus dicendi facultas non datur. Viden' antiparaſtaſin? In eadem pro Leg. agraria contra Rullum, non ſolum hanc quam modò præcipio, ſed reliquas exordij partes uel digito diſtingues. Eadem quoque forma eſt in Miloniana: Sed me recreat & reficit Cn. Pompeij cõſilium. Ab augmento quantitatis (quod modò appellamus Ad aliquid) ingreditur pro Domo ſua ad pontifices: Cum multa diuinitùs à maioribus noſtris inuenta ſint, &c. Quod ſi aliquo tempore, &c. Idem & pro Seſtio. Sed per apoſtrophẽ ad aliud poſita eſt dignitas pro Murena, quaſiq; aliud principiũ: Et quoniam in hoc officio ſtudium meę defenſionis, &c. Extẽporalia porrò exordia autoritatis ac momenti plurimum addere ſolent redditioni, maximè in iudicijs, & exornationibus: propterea quòd in his factum id eſſe quodammodo dicimus, quod eſt in propoſitione: ut ſi petens attentionem, dicas, ex auditorum frequentia uultusq; alacritate certam te audiendi uoluntatem agnoſcere. Cum perſuadere uellet, ut exules reciperentur: dixit, iam quodam modo in ciuitatem receptos, cum eorum opem

Apodoſis.

petierimus. Tale eſt exordium pro lege Manilia: Nunc cum autori
» tas, &c. Pro Cn. Plancio: Cum propter fidem ſingularem Cn. Plan-
» cij multos uiros bonos honori futuros uiderem, capiebam animo
» uoluptatem. cum autem audirem meos inimicos accuſationi huic
» fauturos, dolebam: nunc autem ueſter, Iudices, cōſpectus & conſeſ-
» ſus iſte reficit & recreat mentem meam, &c. Id generis exordium
dixerunt quidam ἀπὸ καιροῦ, alij ab affectione, ideo quòd facta iam
ſit ipſa principij dignitas: alij ἀγχίστροφον ἐπιχείρημα, quod habet in
promptu conuerſionem in oppoſitum. Vtcunq; appelletur ipſum
exordium, certè orator ipſe σχεδιάζειν, id eſt, ex tempore loqui, & ſi-
Baſis. ne magna præmeditatione ſe ſimulat. Reliqua igitur eſt baſis, &
fundamentū. Duæ enim partes illæ cum ex mutua pugna nequeant
omnino conſiſtere, ſed prorſus nutent, niſi ſententia alia confirmen
tur, tertium iam ſenſum expoſcunt, in quo protaſis cum apodoſi cō
ponatur. eſtq; Baſis, quædam, ut ita dicam, reſolutio eius quæſtio-
nis, quæ per cōtentionem diſputata eſt à propoſitione & redditio-
ne. Præter autē id quod ex Miloniana paulo antè accepimus, aper-
» tiſsimum habemus exemplū pro Lege agraria contra Rullū: Qua-
» re adhibebitur (inquit) à me certa ratio, moderatio'que dicendi, ut
» quid à uobis acceperim commemorem, quare dignus ueſtro hono
» re fuerim, dicam. Atq; hæc quidem mihi dicenda uidebantur de
partibus exordij: propoſitione, redditione, & fundamento. Quo-
rum tamen peculiaris cuiuſq; forma idea'q; ſermonis obſeruāda eſt,
Singulorū ut negotio inſeruiat. Nam (ut à prima incipiam) propoſitio in iudi
generum e- cijs lenta eſſe debet, & grauis, omni'q; ex parte plenitudinem refe-
xordij figu rens: in demonſtratione autem contrà, celerior, membris diſtincta,
ra. expreſſa'q;, cum quadam diligentia: in deliberationibus breuis, di-
lucida, ſimplex, cum grauitate. Redditionis autem contraria eſt
ratio. In iudiciali namq; genere cùm breuis tum elaborata erit, abſ-
que ullis rationibus aut acclamationibus. Generi demonſtratiuo
conueniunt acclamationes, diuiſiones, ſeu (ut melius dicam) fictio-
nes ex circunſtantijs deſumptæ. Iam in conſilijs, niſi partitionem
aliquam negotij obſcuritas requirat, apodoſin ferè exponit tota ip
ſa ſequens oratio: cumq; poſsint in alijs non unum tantū, ſed duo
& tria exordia præmitti, in genere deliberatiuo nonnunquam uel
unum eſt plus ſatis.

Vitia exordij. Iam multis uiſum eſt, non aliā quàm quæ de uitijs admoneat, tra
dendam eſſe artem dicendi: adeò ut, quem ad modum in communi
uita, ſic in ſermone, prima uirtus ſit, uitio caruiſſe. Cæterùm quàm
uerè hi ſentiant, nihil attinet in præſentia diſputare. Vitia quidem
uel antè quàm ſeras enecanda ſunt, uel poſt herbationem runcāda.
quæ ſi ignores: nec ante ſementem perdere, nec poſt inuenire pro-
fectò

ſectò queas. tantoq́ꝫ magis hîc nobis demonſtranda erant omnia, quanto maior in facie ac fronte, quæ partes maximè cōſpicuę ſunt, maiorem turpitudinem oſtendat oratio, ſi fœdetur. Itaqꝫ cauendum primùm eſt à uulgari exordio, hoc eſt quod in plures cauſas, *Vulgare.* tanquam gladius Delphicus, accommodatur: deinde à communi, *Commune.* quod nihilo minus in hanc quàm in contrariam partem cauſæ poteſt conuenire. Huic ſimile eſt commutabile. paucis enim cōmutatis, poteſt à diuerſa parte ſtatim corripi. *Commutabile.* Longum, tollit corporis ſymmetriam: ſatiusq́ꝫ interdum eſt nullum eſſe, quàm longum. *Longum.* Separatum dicitur, quod cauſæ non cohæret: quodq́ꝫ ab oratione diſtinctum, ut caput à ceruice: aut nihil ad rem pertinens, ut humano *Separatū.* capiti ceruicem pictor equinā ſi iungat. ideo finis exordiꝗ cum uinculo facienda eſt aliquo: quippe quo reliquæ orationi cōnectatur, & nos ad cauſam introducat, neqꝫ abruptè neqꝫ obſcurè: neqꝫ, qui mos eſt tibicinibus, ante cantilenam fiat alterius rei præludium. Translatum porrò, cum id quod oportebat non efficit, tum dicentis quoqꝫ imprudentiam palàm arguit. *Translatū.* huius generis fiet, ſi cum opus fuerit attentione, ipſe cōmoreris in beneuolētia. Quæ demum *Cōtra præcepta.* contra præcepta appellant, ea erunt, quæcunqꝫ nec docilem, nec attentum faciunt, nec omnino beneuolum. Addo, & nimis magnificum. *Nimis magnificum.* an non ſtatim illud reſpondebitur: *Quid tanto dignum feret hic promiſſor hiatu?* Neqꝫ ob aliud propoſitiones illæ reprehendi debēt, quæ abſolutè rem proponunt, niſi quòd arroganter proponunt. non ergo recipietur illud principium Siliꝗ,

Ordior arma quibus cœlo ſe gloria tollit Aeneadum.

eſt namqꝫ arrogās, & nimis abſoluta propoſitio eſt. Atqꝫ hæc hactenus de principio, primoq́ꝫ gradu orationis. Sequiẗ nunc corpus totius cauſæ, cuius partes erunt principes Narratio & probatio.

Poſt exordium ſequi narrationem & probationem.

Cap. 7.

DEMONSTRATO principio & tanquā capite orationis, ſequitur ut de altera parte dicendū ſit: ea quidem, in qua eſſe pondus omne, & ſpes, ſi qua eſſe poteſt, cauſæ cernitur. nam ſi exordientes gratiam obtinuimus, & ſi ad ea quæ dicenda erant excitauimus iudicem: ſi leui deniqꝫ tanquam indicio ſignificauimus quò conatus noſter proſpiceret: omnia tamen fruſtra aſſumpſeris, niſi ea perfectè conſequaris, quorum cauſa agere inceperas: fidem dico, & motum, quorū fides, cum natura prior ſit: de ea prius dicere certum eſt. Credunt itaqꝫ homines, quæcunqꝫ ueriſimiliter narrata, probationibus etiam ſi opus ſit corroborata, ſenſui communi uidentur eſſe conſentanea. Quamobrem dicendū iam nobis eſt hoc loco de duabus illis partibus orationis, narra-

Probatio, πίστωσις, ἀγών. tione & probatione. Hanc Græci appellãt πίστωσιν, & ἀγῶνα (quaſi certamen) illam διήγησιν: etſi eius multa genera etiam fecerint. Narratio, διήγησις. nec magnopere nos debet mouere, quòd Plato primo loco proœmium & primam partem orationis tradit, ſecundo loco narrationem & teſtimonia, tertio ſigna ſeu coniecturas, hoc eſt τεκμήρια: quarto εἰκότα, hoc eſt uериſimilia argumenta: quia tunc fortaſſe ſeruabatur in foro & certaminibus ea diſtributio actionis. Nũc aliam ex natura uim probationis & refutationis tradемus, quæ magis propria eſt: illa inuẽtionem locorum, quibus fidem facimus, oſtendit. Quid uerò inter confirmationem interſit, ac refutationem, procliue eſt uel ad nominis ſolam uim reſpicientibus intelligere. Quæ licet natura differant, nos tamen uno uerbo hic utramq; probationem nuncupabimus cum Ariſtotele: quia non aliter refutatio inuenitur, nec ex alijs locis petitur quàm probatio. Vbi & illud quoque ſignificandum: licet narrationem frequenter ſequatur confirmatio, non ſemper tamen hæc præponitur refutationi: nec narratio omnis ante probationem ſuſcipitur. Accuſator enim prius confirmabit, poſtea refutabit: reus contrà, prius occupatis ijs quæ ab aduerſario probata uidebuntur, tum ſua ipſius argumẽta corroborabit. Itaq; hoc ſemel conſtituendum eſt, duo hæc, narrationem & probationẽ, primas potiſsimasq; partes eſſe totius actionis: quas qui retè tenuerit, illi cętera abunde ſuppetẽt. ob eamq; cauſam diutius nos oportet in exponendis his commorari. De quibus tamen non antè præcipiam, quàm de ijs quæ præcurrere his ipſis ſolita ſunt, pauca demonſtrauero: προέκθεσιν dico, & προπαρασκευὴν, tum ὑποφορὰν.

De proecthesi & proparasceue, tum de quæſtionibus neceſſarijs atq; antecedentibus. *Cap. 8.*

ET quoniam nuda rei propoſitæ species horridior fortaſſe, aut minus honeſta uideri poſſet: ueriti ne ſententiã noſtram ilico reijciat conſeſſus, aut non probet, multa ante cauſam ſæpe quaſi ſpargemus probationis noſtræ ſemina: quæ ſi non plenam poſſunt fidem obtinere, ſuſpicionem aliquam ſaltem inijciant æquitatis: ut non temerè, nec ſine cauſa ad agendum dicendumq; acceſsiſſe uideamur. Non rarò etiam occurrimus in principio ijs quæ obeſſe arbitramur noſtrę cauſæ. Quinetiam ut facilius totam actionem capiant Iudices, non contenti plerumq; illa diuiſione (quam paulo antè diximus propter docilitatẽ in principijs poni ſolere) aliam enumerationem, & tanquam epilogum omnium capitum atque argumentorum præmittimus: idque paucis, ac ſi rurſum exordiremur. Gręci huiuſcemodi præludium, προέκθεσιν. ut iam dixi, uocant προέκθεσιν, quaſi præcedentem expoſitionem.

illud

illud προπαρασκευὴν,id eſt præparationẽ.Erit ergo προέκθεσις, cum *προπαρασκευή.*
docilitatis cauſa aliquid afferimus ante narrationem. Cuius exem-
plum pro Roſcio Amerino poſuit orator in hunc modum: Forſitã «
quæratis,qui iſte terror ſit,& quæ tanta formido, quæ tot ac tales «
uiros impediat, quo minus pro capite & fortunis alterius, quẽad- «
modum conſueuerũt,cauſam uelint dicere.Quod adhuc uos igno- «
rare non mirum eſt, propterea quòd cõſultò ab accuſatoribus eius «
rei,quæ conflauit hoc iudiciũ, mentio facta non eſt.Quę res ea eſt? «
Bona patris huiuſce ſexti Roſcij,quæ ſunt Sexagies:& quæ ſequun «
tur uſq; ad illud,Atq; ut facilius intelligere poſsitis Iudices ea quæ «
facta ſunt indigniora eſſe quàm hæc quæ diximus ab initio,res quẽ «
admodum geſta ſit,uobis exponemus. Hic Cicero narrationem «
orditur poſt capitum illam ſummã quam dixi προέκθεσιν:nec tamen
niſi rariſsimè utendum huiuſmodi occupatione. facile enim gene-
rant tædium, eadem ſæpius iterata. Sed proparaſceuen ante narra *Proparaſceuen duplici ratione ante narrationem poni.*
tionem poni,uidemus duplici ratione.aut enim quę nobis obſunt,
neceſſe eſt in primis occupare:aut cauſæ conditio poſtulat,ut non-
nulla aſpergamus, quæ per totam actionem nobis profutura ſint:
aut certè utrumq; accidit.Proſunt autem omnia,quæ & aduerſario
fidem detrahunt,& nobis autoritatem pariunt gratiamq; : ueluti ſi
ἠθικῶς exponamus quæ geſſerint, quæ uoluerint, quæ opinati ſint,
tam aduerſarij quàm iudices,ac nos ipſi. Hac uſus pręparatione eſt
apud Cęſarem pro Deiotaro:Sed antequam(inquit)de accuſatio- «
ne ipſa dico, de accuſatorum ſpe pauca dicam:ac deinceps. Atq; «
hæc quidem προπαρασκευὴ propriè dicitur Præmunitio. Sed priuſ- *Præmunitio.*
quam de altera quicquam præcipiatur,neceſſe eſt declarari quæſti
onum duo genera,quæ nos mouere poterunt utram debeamus aſ-
ſumere præparationem,& quid inter eas ſit diſcriminis.Nam inter
pręmunitiones atq; occupationes hoc uidetur intereſſe,quòd cum
hæ neceſſariò fieri debeant:illę tamen omitti poſſunt.Quare etiam
erunt quęſtionum,uel(ut alij uolunt)ductuum,duo genera:unum
Græcis dicitur ἀναγκαῖον,id eſt neceſſarium: alterum προηγούμενον, *Neceſſariũ.*
Latinè dixeris antecedens. Illud ideo neceſſarium dixerunt, quia *Antecedẽs.*
cùm uel propoſitum ſit à diuerſa parte,uel proponendũ fuerit, ne-
ceſſe nobis ſemper eſt ei occurrere.Id uſitato more omnes appellãt
obiectionis occupationem: illud prorſus à nobis excogitatur tan-
quam firmamentum probationis,& quod in ſuperiorib. libris ap-
pellauimus ſυνέχον. Exemplum utriuſq; eſt apertiſsimum & lucu-
lentiſsimum in Miloniana. Quod ut fiat apertius,intelligendũ eſt, *Precipuus Milonianæ orationis ſyllogiſmus*
totam illam actionem Ciceronis hoc ſyllogiſmo contineri: Vim ui
licet depellere:Clodius uim intulit Miloni:Licuit ergo Miloni illa-
tam à Clodio uim ui etiam depellere. Quoniam uerò ſtatus in rela

tione ponitur, hoc eſt, aſſumptæ qualitatis ea ſpecie, quam Græci
nominant ἀντίγκλημα)&per cauſam coniecturalē probatur, nem-
pe Clodium uim intuliſſe: ut firmius fortiusq́ꝫ conſiſtat ea conclu-
ſio, hac de cauſa quæſtionem præmiſit orator προηγούμενον. Quæ
nam ea eſt? hæc, Vim ui licet depellere. Hanc multis exemplis & ra
tionibus corroborat. quanquam certè non primam arripit, ſed al-
tius abſqꝫ circunſtantia, repetitam tractat commorationis & fidei
cauſa: tantaq́ꝫ utitur rationum connexione & arte, ut quæ prius na-
turaq́ꝫ ſua fuerat προηγούμενος ac uoluntaria, iam formam gerat, nō
Iudiciorū palæſtra. uoluntariæ, ſed neceſſariæ quæſtionis: qui ductus eſt figuratus, &
propriè dicitur palæſtra iudiciorum. Quærit enim per hypopho-
ram, liceat'ne hominem aliquando occidere. Quo deinde probato
atqꝫ demonſtrato, ad maiorē ſyllogiſmi deſcendit: eam ſcilicet pro-
poſitionem, quam modò quæſtionem antecedentem nuncupaui-
» mus. Atqui (inquit) ſi tempus eſt ullum iure hominis necandi (quæ
» multa ſunt) certè illud eſt non modò iuſtum, uerùm etiam neceſſa-
» rium, cum ui uis illata defenditur. Itaqꝫ ex theſi deſcendit ad hy-
potheſin. nam ſyllogiſmi maior propoſitio, ſi ad illam alteram refe-
ratur, non theſis, ſed controuerſia dicetur, & ſtatus ἀντίληψις: quã-
quam eſt negotialis, & ius in poſterum. Præmittitur itaqꝫ in Milo-
niana hac quæſtione ἡ προκατασκευὴ προηγουμένη: qua pleniſsimè
diſputata, ad quæſtionum neceſſariarum occupationem accedit. ea
rum primam ſtatim & potiſsimam arripit. hęc eſt, qua decretum ſe-
natus Miloni obijciebatur: & à nobis ſuprà, cum ſingulis ſtatibus
» nomina inderētur, dicta eſt à partibus iuſti. Sequitur (inquit) illud
» quod à Milonis inimicis ſæpiſsimè dicitur, cædem qua P. Clodius
» occiſus eſt, ſenatum iudicaſſe contra rempub. eſſe factam. Altera
obiectio fiebat per exaggerationem criminis, quæ dicitur quanti-
» tas: quam non tam occupat, quàm eludit ſubtiliſsimè. At eo mors
» atrocior erat P. Clodij, quòd is in monumētis maiorum ſuorum ſit
» interfectus. Tertia, unde inuidiā Clodiani faciebant Tullio: Ne-
» que uerò quod nonnulli dictitant, ſecreuit in iudicijs amicos meos.
Tandem quæ cauſæ uidebantur prodeſſe, ea ſpargit, cum conuer-
» ſus ad Quæſitorem, uoluntatem eius confirmat: Quòd uerò te L.
» Domiti huic quæſtioni præeſſe uoluit. Atqꝫ hęc quidē ſufficient
ad intelligendū quid ſit πρόληψις, quotuplex προκατασκευή: quidq́ꝫ
differat præmunitio ab occupatione. Sed quoniam hæc quæ narra
tionem præcedunt, omnia ferè formam ſeruant hypophorę, & ἀνθ-
υποφοραὶ proponuntur: locus poſtulat, ut de forma & partibus hy
pophoræ dicam quæ ſcitu digna ſunt: reliqua abſo-
luturus in diſtributione epiche-
rematum.

De

De hypophora. Cap. 9.

ETSI autem hypophoræ, ut reliquarum figurarũ, mul-
tiplex uariáq; eſt tractatio, multæ præterea & cauſæ, ex
quibus inducuntur: nam (ut antè dicebamus) interdum
diſputatur τὸ προηγούμενον, interdum ex re obſcurè dicta
elicitur, ſæpe cõtra id quod augendi cauſa dictum ab altero eſt: nec
rarò, ut aduerſarij propoſitionem in noſtrã partem conuertamus:
frequenter etiam fit, ut hoc modo noſtræ quæſtionis gradum facia
mus, tum alijs multis modis: tamen utcunq; id accidat, eius partes
inueniuntur eſſe quatuor: quas niſi in unum corpus, tanquam mem
bra Penthei, diſtractas & diſsipatas redigere didiceris, neceſſe fue-
rit elegantiſsimæ uehementiſsimæq; orationis ui, fructuq; ſuauiſ-
ſimo tanti artificij carere. nam ſiue id conſideres quod aduerſarium
uexat, ſiue quod tibi animos præbet: utrinq; reperias maximam eſ-
ſe uim huius occupationis. Quid enim tam coquit aduerſarium, q̃
cum uidet tela ſua irrita? Quid uerò maiorem nobis audaciam tri-
buit, quàm cum illatum uulnus uidemus aut nõ ſentiri, aut nõ poſ-
ſe ligari? Sed ad partes eius accedamus. Incedit hypophora his mẽ- *Hypophoræ mẽbra.*
bris: Protaſi, hypophora, antiprotaſi, & anthypophora. Eſtq; aut *Protaſis.*
protaſis, id eſt propoſitio, denunciatio hypophoræ, & capitum uel
quæſtionum propoſitio. ut, Dicent protinus aduerſarij. Et nos re-
deamus ad Milonianam noſtram. Proponit Cicero his uerbis: Sed «
antequam ad eam orationem ueniam quæ eſt propria noſtræ quæ- «
ſtionis, uidentur ea eſſe refutanda quæ in ſenatu ſæpe ab inimicis, «
ab improbis ſæpe iactata ſunt, & in concione etiam paulo antè ab «
accuſatoribus, ut omni errore ſublato, rem planè quæ uenit in iudi «
cium uidere poſsitis. Hactenus quidem protaſis & plena & dilu «
cida. nec opus tamen ſemper eſt ſic proponere: ſatis aliquando eſt
uno uerbo, Dicunt, ut ipſi aiunt, dicent, opponent, &c. Sequitur
hypophora, quæ ſententta eſt aduerſariorum: Nõ eſſe fas ei lucem *Hypophora.*
intueri, qui hominem à ſe occiſum eſſe fateretur. Antiprotaſis, id
eſt ſolutio propoſitionis: Non eſt autem difficile iſtorum refellere *Antiprotaſis.*
ſermonem hoc in loco. hanc uerò antiprotaſin fecit Cicero κατα-
περίστασιν. addit enim confirmationem ab exemplo Horatij: Ple-
runque tamen omittit hanc reſponſionem. Quæ tamen ubicun-
que adhibetur, ea ſumitur uel à loco, uel à tempore, uel à perſona,
uel à re. eſtq; aliud nihil ἀντιπρότασις, quàm παραγραφὴ ex aliqua cir
cunſtantia deſumpta, uel reprehenſione erroris aduerſarij: & ratio
dicitur ἐντρεπτικὸς, quia confundere ſtatim uidetur, & pudore affi-
cere aduerſarium. Sed Anthypophora ſolutio eſt hypophoræ, & *Anthypophora.*
argumentatio πραγματώδης. Hæc argumenta poſtulat omnibus
ex locis, ut obiectio refellatur, & contradictione primùm efficitur:

(ut,

(ut,Non eſt turpe.)deinde argumentis: ut, Lege enim ita cautum
eſt.aut ſimili modo.Exemplum in eadem:An eſt quiſquam qui hoc
ignoret, quum de homine occiſo quęratur, &c. Omnino autem
Hypophoræ ordinem uariari interdum. uariatur hypophoræ ordo:ut antè reſpondeatur,quàm obijciatur.
Sic in Diuinatione Verrinarum. Interdum argumēta proponūtur
ante quęſtionem.id autem agimus,cum aſpera nimis eſt res,aut in-
uidioſa. Protaſis autem ſępe inſeritur hypophorę per parentheſin,
ſæpe ſequitur per ętiologiam:nec ſolum obiectionem,ſed etiam re-
» ſponſionē.ut,At eo mors atrocior erit P. Clodij,quòd is in monu-
» mentis maiorum ſuorum ſit interfectus. Hoc enim ſæpe ab iſtis di-
citur.Hic propoſitio ſequitur hypophoram.hic uerò inſeritur inſi-
» ciationi:Neq; uerò,quod nonnulli dictitant, ſecreuit in iudicijs le-
» gendis amicos meos. Nemo igitur non facilè uariauerit ductum
hypophoræ, ſi hæc aduertat quæ dixi. Quare illud quoq; intelligē
Protaſeos tres formæ. dum eſt, primùm protaſeos eſſe tres formas: unam per ſcientiam
appellant,alteram per opinionem,tertiam per auditum. per ſcien-
tiam eſt hæc: Noui locum, uideo ubi ſe iactaturus eſt Hortenſius:
Scio quid ad hæc ſunt dicturi,&c. Per opinionem:Dicent fortaſſe,
&c. Per auditum:Audiui eos ita dicere.atq; huius formæ eſt quam
primo loco ex Miloniana propoſui. nam omnium eſt ualidiſsima,
maximéq; uidetur dicta aduerſariorum contemnere. Sic cōtra de-
biliſsima per ſcientiam: mediocris uerò per opinionem. Ad ſo-
lutionem autem illud obſeruādum,in ſingulis certaminibus inqui-
ri debere omnia capita,nec minus etiam ſolutiones, per omnes cir-
cunſtantias: quas quidem defenſor eò excutiet, ut in paragra-
phe ſtatim dicat omnia argumenta, quibus poterat res contro-
uerſa demonſtrari, adferri debuiſſe, multis'que rationibus ex di-
uerſis circunſtantijs docebit, potuiſſe aliter fieri, quàm credit ad-
uerſarius. Accuſator capita omnia, quæ ab altero proponun-
tur, ſoluet: & in paragraphe atq; in antiprotaſi omnia contendet
non oportere, nec debere afferri. Porrò autem in deliberationi-
bus tota diſputatio eſt hypophoræ:ubi ſuaſor id factum oportuiſ-
Obiectio quatenus plenè proponenda. ſe olim dicet:diſſuaſor contrà, nihil innouandum,aut mouendum.
Cauendum autem, ne plenè copioſéq; proponas obiectionē.quan
quam fieri id aliquando licet,ſed raro:ut duabus de cauſis. una, ir-
ridendi aduerſarij:ut ſi id de quo nulla quęſtio eſt adaugeas, quod
fecit Cicero pro Cornelio maieſtatis: altera, ſi diſcrepans aliquid,
ſecum'q; diſſentiens oſtendas. ut de rege Alexandrino profertur e-
xemplum: & in ductu quem poſtea figuratum per contrarium ſu-
mus dicturi, hypophoris immoramur. Iam de extenuatione faci-
lis eſt præceptio. aut enim adijciuntur uerba quæ pondus detra-
hunt,aut detrahuntur quæ addunt,aut commutantur deprauatio-
ne. Qua-

ne. Quare hæc ſufficient. Habes ergo hypophoræ quatuor partes, de quibus pro rei neceſsitate dictum eſt hactenus: cætera tradẽtur inferius in probatione & refutatione.

De narratione. Cap. 10.

Expoſitionis iucundæ et euidentis gratia.

Hiſtoria.

VTI magnũ opus aggredientibus, maximè poetis, in more eſt, numinis alicuius opem fauoremq́ꝫ implorare: ſic mihi in præſentia dicturo de narratione agendum uideretur, niſi uererer, ne me quis affectatione potius, q̃ꝫ ex animo dicere exiſtimaret. Nihil enim neqꝫ in eruditione politiori, neqꝫ in uita communi reperias, quod æquè hominum fauorem mereatur & gratiam, atqꝫ iucunda ac euidens expoſitio. nam in foro et in contentione iuris (noſtra præſertim ætate) uix alia pars rhetoricæ locum habet, quàm quæ poteſt probabiliter ac dilucidè narrare. Exordia, digreſsiones, epilogi, enthymematum cõtraria, & quęcunqꝫ uidentur rem probare, non tam à litigantibus audire iudices cupiunt, quàm ex ſeipſis inuenire. Iam hiſtoria, literarum illud nunquam ſatis laudatum monumentum, quid aliud eſt quàm continua quædam perpetuaqꝫ narratio? quæ, cum cætera monumenta tandem aliquando tædio afficiant legentem: hiſtoria citius in calcẽ deducit lectorem, quàm aut tædium ſui adferat, aut cupiditatem expleat legendi. Quamobrẽ nihil opus inuocatione: ſed lectorẽ rogabo, ut laborẽ curamq́ꝫ diligentiæ noſtrę, quã à multo iam tempore ſuſcepimus, ita cõſulat boni, ut ſi nihil ipſe ex noſtris obſeruationibus utilitatis capit, qui iã aliorũ præcepta perceperit: alios fortaſſe inuentũ iri exiſtimet huius artis expertes, qui aliquid decerpere poterunt ſaltẽ earum rerũ quæ non noſtro marte, ſed ab alijs accepta, referimus. Qui quidem ſi ſemper eodem modo (proshomilitico inquam, & dialectico) in docendo utimur, ex commodo uelim penſanto moleſtiam. nam alio, rem tam uariam & multiplicem, nõ poſſis quidem tractare, niſi multis prętermiſsis, quæ ſine augmento operis immodico nequeũt non omitti. Atqꝫ hoc quidem prædixiſſe ſufficiat. Cæterùm ut facilior ſit doctrina, & ingreſſus diſputationis apertior, à rei definitione incipiamus. continet enim hæc uirtute ſua, quæcunque de re multis etiam commentarijs dicuntur.

Narratio quid.

Narratio eſt rei geſtæ, ut geſta eſt, à principio ad finem expoſitio. neqꝫ enim narratio propriè dici debet, omnis rei geſtæ ſignificatio atqꝫ ἐπαγγελία, quæ multis modis fieri poteſt: ſed ea quæ eſt rei geſtæ, uti geſta eſt. nam qui urbẽ captam refert, omnia quidẽ quę acciderũt cõplexus eſt: ſed renũciauit quidẽ, nõ narrauit quę facta ſunt. Nec uolo rem geſtam intelligas, quæ reuera geſta ſit: (narrantur enim & fabulæ) ſed ut differat narratio à deſcriptione, quę non facti aut rei geſtæ eſt expoſitio, ſed ſubſtantiæ rei per omnes partes &

propria:

propria:cum narratio antecedentia,conſequentia & cõiuncta,cum modo deducat,& perſonam agentem uel patientem non omittat. Continet autẽ hæc non ſolum quæ facta ſunt,ſed etiam quæ omiſ-
Narrationũ partes. ſa,& cauſas rationesq́ue amborũ. Erunt igitur in narratione(ut in tota oratione)principium,medium,& finis: & præterea quæ ante initium inchoationemq́ue rei fuerunt,ut ſunt cauſæ & rationes:tum etiam quæ poſt finem ſequuta ſunt,re abſoluta. Antequam bellum ſuſciperetur,rapta fuit Helena: cœpit in conſcribendis nauibus & militibus:actum eſt per decẽnium: accepit in expugnatione Troiæ finem.Sequutę ſeruitutes,egeſtates,peſtes,uaſtationes,exilia,contentiones ducum,& ſimilia. Habes itaque breuem formam narrationis:& ſi uim reſpicias, certè integram deſcriptionem. Explicanda tamẽ hæc ſunt latius. Vt enim ſuccincta præceptio nõ facile effluit, ſic ampla expoſitio ac plena magis intelligitur.Et ut methodo progrediamur diſſerendi definiendiq́ue,quam nobis ſummi philoſophi tradiderunt:huius elementa,genera,formas & figuras inueſtigabimus: partes quoque & accidentia,ac uirtutes, ſeu,ut uocant,paſsiones: in quibus explicandis proximè ſequens noſtra oratio uerſabitur.quæ ſi ritè perceperis, nunquam te fallet aut aliorum artificiũ, aut inuentionis tuæ amor, cæcaq́ue in proprijs operibus philautia.

Narrationis elementa. Erunt igitur elementa narrationis,ut in omni oratione,res & uerba:quę ut materia & forma,ſubſtantiam componunt.Materia quidem,perſona,factum,cauſa,tempus,locus,modus. Forma aũt non
Narrationũ genera. una eſt,ſed diuerſæ,ex diuerſis cauſis oriuntur. Genera uerò narrationum quidam fecere tria. Vnum, proprium cauſæ, ubi ſedes eſt argumentorum: aliud accerſitum, quando narratio ſeruire poteſt cauſæ,ſed nõ eſt ex cauſa,ut illa de raptu Proſerpinę cõtra Verrem: alia penitus remota ab actione, qualis hiſtoria & poeſis. Alij uerò iam ſcrupuloſius inuenerunt ſex: & dicitur quidem primùm Græ-
διήγησις. cè διήγησις,quæ principalis eſt narratio,& rem prolixius exponit: ut hiſtoria,poeſis,& quę in oratione politica primum & pręcipuũ locum obtinet.quanquam illam priorem, διήγησιν, magis propriè quidam dici uolunt παραδιήγησιν,aut περιδιήγησιν,id eſt,ambitioſam narrationem:hanc διήγημα,id eſt narratiunculam. Alterum genus
ἀντιδιήγησις. ἀντιδιήγησις, contraria alterius narrationis: qualis pro Murena, pro Rabirio:ubi non recta, ſed conuerſa immutataq́ue figura ſermo
μερικὴ διήγησις. nis adhibebitur. μερικὴ διήγησις,id eſt partialis, uel conciſa, quam non continuè,ſed diuiſam per partes inducimus: ut pro Cluentio. Vſurpatur autem hæc forma,cum prolixior rerum ſeries memorię obſiſtit iudicum,aut argumenta confundit: tum etiam,ſi nobis aut defenſioni noſtræ parum prodeſt. qua in re paſsim occurretur per
ὑποδιήγησις. totam orationẽ,quæſtionib. emergentib. ex re geſta. Ὑποδιήγησις

propriè

propriè narratio non eſt, ſed quæſtiones potius, modo & forma narrationis inductæ: ut pro Ligario. Καταδιήγησις totam actionem amplectitur, ut cum ſola narratione tota materia continetur: qualia ſunt heroum res geſtæ, & encomia. Ἐπιδιήγησις, repetita narratio, cum in quæſtionibus uel ante epilogos latius exponimus ea quæ breuiter ſuo loco attigeramus. Hanc magis declamatoriam dicit Quintilianus, ꝗ forenſem: & magis ad amplificationem & miſericordiam pertinere, quàm ad inſtructionẽ. talis eſt in noſtra Miloniana, ubi ſic orator: Dura mihi mediusfidius iam fortuna pop. Rom. Atque hoc quidem numero comprehendũtur genera narrationum, ſiue ſpecies: ſi ea uis ad unum tantum genus referre.

καταδιήγησις.

ἐπιδιήγησις.

Species narrationis. Cap. 11.

FIVNT autem duæ ſpecies in unoquoq; genere: ſimplex, & διάσκευος, comparatam appellant. ſimplex, rem ut facta eſt ſolum, ſine ambitione ulla conſequitur: hoc eſt, ſine rationibus, aut logiſmis, au tullo apparatu. Milo autem cum in ſenatu fuiſſet eo die, quoad ſenatus dimiſſus eſt, domũ uenit, calceos & ueſtimenta mutauit: pauliſper, dum ſe uxor comparat, commoratus eſt. Vides ſimplicitatem dictionis. Διάσκευος autem duplex inuenitur: ἐγκατάσκευος (appellato ſi lubet argumentoſam) & ἐνδιάσκευος, id eſt inſtructa uel apparata. illa cõfirmationibus referta eſt, continetq; uoluntates, λογισμοὺς, id eſt conſilia & conſiderationes, cauſasq; facti, & non facti, argumentorum confirmationes, relationes ſententiarum diuerſorum hominum, ut uidearis quodã modo teſtata loqui. Et omnino cum nihil actum dictum'ue, nuſquam itum uel abitum ſine cauſa uidetur, tum ſuſpicionibus abũdabit narratio. Eſt itaq; huius exemplum in ijs quæ paulo pòſt ſequuntur: Interim, cum ſciret Clodius (neq; enim erat difficile ſcire) iter ſolenne, legitimum, neceſſarium, ante diem 13. Cal. Februarij, Miloni eſſe Lanuuiũ, ad flaminem prodendũ, quòd erat dictator Lanuuij Milo: Roma ſubitò ipſe profectus pridie eſt, ut ante fundum ſuum (quod re intellectũ eſt) Miloni inſidias collocaret: atq; ita profectus eſt, ut concionem turbulentam, in qua eius furor deſideratus eſt, quæ illo ipſo die habita eſt, relinqueret. quam, niſi obire facinoris locum tempusq; uoluiſſet, nunquã reliquiſſet. Hic non ſolum argumenta & enthymenata, ſed etiam argumentorum occupationes inuenias: præter confirmationes multas. ut, Neq; enim erat difficile ſcire: &, Quod re intellectum eſt. In fine huius apparatũ addidit, ubi ait: Atq; ita profectus eſt. In qua narratione ma ior diligentiæ atq; ambitionis cura cerni debet. exornat enim depingitq; negotium ſuis coloribus, non contenta quale eſt expoſuiſſe: ut oratio quidem ipſa non ſolum admirabilis, ſed etiã inuſi-

Narrationis ſpecies.

tata uideatur. Quamobrem præter perſonarum epitheta uaria & illuſtria, ſæpe inſeruntur proſopopoeiæ, apoſtrophæ, excurſiones, acclamationes. Sed propria maximè eſt modi inueſtigatio: ut, quòd

Modi inueſtigatio. ſeuerè, crudeliter, impotenter: uel contrà, moderatè, fortiter, prudenter. Quæ quidem ut magis appareant, uiderique uideantur, ea omnia adijcientur, tam quæ dicta & facta fuerunt, quàm quæ probabile eſt dicta ac facta fuiſſe, ab ijs qui aderant, digna admiratione. Quin etiam quæ potuerint accidiſſe, ea ſic expones, ac ſi reuera accidiſſent: modò hæc ipſa conſentanea ſint, nec ſecum pugnent: quod uitium eſt affectationis. Talia ſunt quæ ſequuntur in noſtra Miloniana: Statim complures cum telis in hunc faciunt de loco ſuperio-

Digrediendi locus. ri impetũ. Sed digrediendi locus non fuerit idoneus, niſi ad eundem apparatus modum poſsis commodè reuerti. hic autem erit, in exempla, deſcriptiones perſonarum, locorum, temporum: in ſimilitudines & comparationes rerum aliarum, et ſi opus fuerit, in hiſto-

Proſopopœia. riam. Proſopopœia uerò in hanc partem facilè, imò laudabiliter ingreditur. ut actione tertia in Verrem: Poſteaquam ſatis calere res Rubrio uiſa eſt, quæſo (inquit) Philodeme, cur ad nos filiã tuam intrò uocari non iubes? Eſt autem adhibendus modus in colloquijs, & omni proſopopœia, ſicut & in amplificatione, quæ fit per comparationem. ferè enim non aliter loquuntur idiotæ, quàm aut referentes aliorum uerba, aut per comparationem amplificantes quod factum eſt. Quapropter non erunt ſine neceſsitate admiſcenda. Tingitur tamen non minimo ſenſu ex figuris huiuſmodi: Dixiſſem, uoluiſſem, putaſſem. Sed diuiſionibus poteſt abundare, in ijs quæ ſunt ab imo ad ſummum: idque uel per contrarium, uel per comparationem, quale eſſet, Non ut eius dignitas poſtulabat, ſed tenuiter & modeſtè: non ſolum uerbo, ſed opere. Denique ſi quid fingendum, id eſt fictione exponendum fuerit, id quidem fiet iuxta finem.
» ut in proximo excẽplo: Quam, niſi obire facinoris locum tempuſque
» uoluiſſet, nunquam reliquiſſet. Eſt enim hæc conditionalis oratio ficta, ut alio loco tradetur. Concluditur poſtremò & axioſi, & cauſa axioſeos. Taliſque eſt ferè tota illa narratio de inceſtu matris Clu-
» entij. ſed extremum eius locum cauſa breuitatis inſeremus: Itaque
» diuitius ſuſpicionib. obſcuris lædi famam ſuam noluit. (ironia eſt
» uoluntatis) lectum illum genialem, quem biennio antè filiæ ſuę nu-
» benti ſtrauerat, in eadem domo ſibi ornari & ſterni expulſa atque ex-
» turbata filia iubet (loci circũſtantia) nubit genero ſocrus (perſonę)
» nullis auſpicijs, nullis autoribus, funeſtis ominibus omniũ (modus
» per ſeiunctionem eſt) O' mulieris ſcelus incredibile, & præter hanc
» unam in omni uita inauditum (axioſis per exclamationem) non ti-
» muiſſe ſi minus uim deorum hominumque famam, at illam ipſam no-

ctem,

ctem,facesq; illas nuptiales:(cauſa eſt axioſeos.)Habet ergo appa- rata narratio primùm accuratam luculentamq; & redundantẽ ex- poſitionem,figurisq; omnibus ſententiarum ueluti tinctam: dein- de axioſin,& cauſam axioſeos. quanquam nec ſemper neceſſe eſt ut cum dignitate concludatur: ſufficit plerunq; ſola acclamatio. ut,Fe cerunt ſerui Milonis quod ſuos quiſq; ſeruos in tali re facere uolu- iſſet.ſæpe etiam nulla inuenitur: quod cum exemplis pluribus de- monſtrari poſsit,& res nota ſit,nihil adijciam. Illud tamen intelli gendum duco,dignitatem hãc,ſeu pronunciatum, de quo agimus, per exclamationem plerunq; efferri. Pro Roſcio: Quid primum querar? aut unde potiſsimum exordiar? &c. Cauſa ſequitur: Pater occiſus nefariè, domus obſeſſa ab inimicis. Dico autem ἀξίωσιν,id eſt dignitatem,dicentis ſententiam atq; iudicium,& ueluti calculũ, quem ſermoni propter aliquam conſiderationem apponit. ut, O' facinus indignum,ó monſtrum in extremas regiones exportandũ. In exordijs quidem dignitas quoq; reperitur(ut ſuprà tradidimus) ſed non cum acerbitate aut uehementia. Atq; hæc quidem ſuffi- cient tam de ſimplici forma narrationis,quàm de comparata,argu- mentoſa inquam & apparata. quæ ſi commiſceantur,ut ſæpe uſuue nit,iam non unum & ſimplex genus narrationis apparebit,ſed mix tum & uarium,atq; multiplex.

Partes narrationis ap parata.

ἀξίωσις.

Partes narrationis. Cap. 12.

SED res poſtulat iam, ut quemadmodum exordij & hy- pophoræ ſua membra expreſsimus, ſic faciamus & in narratione. neq; enim caret hæc ſua perfectione magis, quàm aliæ. Itaq; principiò diuides rem geſtam à princi- pio ad finẽ. nam (quod paulo antè dicebamus) in omni expoſitio- ne & principium eſt,& medium,& finis. ea quoq; quæ præceſſerũt totum negotium, & quæ ſecuta ſunt,conſiderari debent: ſic tamen, ut ſingula poſsis latius interpretari,ſi cauſæ profuerit. Sin cauſæ id genus fuerit, quod propter turpitudinẽ aut aliam rationem, illam quam dixi à principio ad finem diuiſionem, non ferat, atq; euiden- tiam: ſufficiet tum, ſi dicas ueſtigiò, negotium in ſumma turpe eſ- ſe,& indignum relatu: ſed pro apparatu & circunſtantiarum expo- ſitione cõfirmationes adhibebimus, non ſub forma quidẽ argumẽ tationis, per ambitus & circuitiones uerborum (periret enim eius decorum) ſed membris & cæſis,atq; ea celeritate, qua ducitur nar- ratio. Reliqua igitur pluribus uerbis exponemus,ut aliquandiu in ſingulis commoremur. Eruntq; hic quatuor inueſtiganda: factum, omiſſum,cauſa,& logiſmi: & hęc ſingula pluribus membris,ſi opus fuerit. ut ſi factum exponis,tribus uel quatuor membris quæ idem efficiant. De Clœlia uirgine Liuius: Romani nouam in fœmina uir

Narrationis mẽbra.

Facti expoſitio.

" tutem, nouo genere honoris, ſtatua equeſtri, donauere: in ſumma
" Sacra uia fuit poſita uirgo inſidens equo. Sed paradigmatis cauſa ſit: Ego quidẽ de patria mihi chariſsima bene mereri cupiens, amoremq́ꝫ in meos ciues oſtẽdere, quẽ ab ineũte ætate ſemper geſsi, frumentũ omne, quod ab Alexandria uehebam, hoſtibus expoſui: & meæ uolũtatis ac liberalitatis teſtimoniũ exhibui non uulgare. Omiſſum: Non cogitaui fratris mei ſeruitutem, propter quem illa erat à me ſuſcepta nauigatio: nec fratris priuata neceſsitudo communem patriæ charitatem ſuperauit. Cauſa: Verùm à maximo periculo, etiamſi non abſq́ꝫ meo maximo incommodo, tamen ſine magno negotio ciuitatem, quam erat direpturus hoſtis, uindicaui. Logiſmi: Videbã enim niſi furori eius aliquo modo occurreret, qui ſumma fame premebatur, certò fore ut ciuitatem noſtram diriperet atq; uaſtaret: cogitabam præterea non ſatis tutam eſſe nauim in portu: facilè enim potuiſſet noctu ſubiectis ignibus ab hoſte incendi. Sed indicandi locos cauſa finxerim. Cæterùm etſi logiſmus plerunq́ꝫ ſumatur de euentu, non minus tamen frequenter de circunſtantia: maximè cauſa, unde factum extitit. Virg.

Omiſsi exẽplum.

Cauſa.

Logiſmi.

Nec latuere doli fratrem Iunonis, & iræ.

Sæpe aũt cauſam efficientẽ tanquam factum per ſe exponimus. nam continua narratio multorum eſt factorum. quorum alterum ab altero ſequitur. quare & amores & ſimultates, quæ propriæ ſolent eſſe cauſæ rerum geſtarum, tamen ſuo loco ut rem geſtam enarramus. idq́ꝫ eſt cur Tullius rerum narrationem fecit, & perſonarũ: in hac ſermones, animorũ diſsimilitudines, lenitatẽ, metum, ſpem, ſubitam lætitiam, inſperatum incommodum, & ſimilia cõperiens. Et nos in Progymnaſmatis, primum factũ fecimus amores Martis & Veneris: quanquam non tam factum quàm cauſa facti eſt. Sed facilius à puero intelligitur ut factum, quàm ut cauſa, propter uerbi actionem. Ergo quod illic diximus, neq́ꝫ hic prætermitti debet, in uno facto inueſtigari poteſt cauſa, logiſmus, cum deliberatione nõ factum, & exornatio: quæ fit per epitheta, per deſcriptionem, & ſimilitudines, & comparationem. ut factum hoc: Diogenes percuſſit pædagogum adoleſcentis uitioſi. perſona eſt Diogenes: epithetum, philoſophus: deſcriptio, qui ob morum & ſermonis libertatẽ dictus eſt Cynicus. cauſa efficiens: cum uideret puerum quendam petulantius agentem. logiſmus: & conſideraret uitium hoc ex mala doctrina eſſe. non factum: nõ puerum ipſum caſtigauit. factum: ſed pędagogum baculo percuſsit. finalis cauſa: ut doceret, uitia iuuentutis malis præceptoribus imputanda eſſe. Sic modus cum facto eſt iunctus, cum dixi baculo. Si locum uis deſcribere, & tempus huius facti, Athenæ deſcribentur, & ætas illa erudita, qua floruit Diogenes.

genes. Si ſimilitudinem quæris,dices, ita ſolere agere medicos, qui
ut oculum ſanent, uenam capitis percutiunt, unde uitium dima-
nat. Cōparatio: quòd melius egit quàm illi, qui in pueros ſæuiunt.
Ac de partibus narrationis ſatis fermè dictum puto. Quantum ue-
rò ad formam compoſitionis attinet, præceptum uolo iam hoc lo-
co,membra in iudiciali eſſe debere longiora, non ſic in alijs. Sed in
demonſtrationibus cum concinnitate & breuitate ſententiarum,
ſplendorem atq; magnificentiam oſtentabis,ut tua appareat omni-
bus induſtria. Huius enim finis non eſt alius,quàm delectatio. Ini
tium autem omnis narrationis ferè ſumitur à perſona. quę ſi noſtra
ſit,protinus exornetur: ſi aduerſarij,infametur. Audietur autem fa- *Narratio-*
cilè ac libenter, ſi ſententias habeat quæ ad iudicem pertineant ali- *nis initium.*
quo modo. Sed finis illic ponetur, unde initium ſumi poterit quę-
ſtionū: ut ſubtiliter in hac deſcenſum faciamus,non abruptè, quaſi
à narratione deflexi per ambages,& intercepti in uiam regiam labo
remus ingredi. Appellatur ea pars axioſis. habet autem omnis axio
ſis commonitionem & ſententiam,quam ſequi æquum ſit. Pro Ce-
cina: His rebus ita geſtis,Pub. Dolabella Prætor interdixit, ut eſt «
conſuetudo de ui hominibus armatis ſine ulla exceptione, tantum «
ut unde deieciſſet reſtitueret. reſtituiſſe ſe dixit: ſpōſio facta eſt. hac «
de ſponſione uobis iudicandum eſt. Noſtra pro Milone inſtar epi «
logi gerit concluſionem: Hęc, ſicut expoſui, ita geſta ſunt, Iudices. «
Inſidiator ſuperatus: ui uicta uis, uel potius oppreſſa uirtute auda- «
cia eſt. Atq; hinc ſequens diſputatio exiſtit. Excutiamus igitur tan
dem omnia quæ diximus,in propoſito iamdudū exemplari: ut pa-
làm fiat id quod ſentio, aut Ciceronem magis natura quàm arte di-
xiſſe (etiam ſi artem uſq; ad extremum ſpiritum diligentiſsimè ſem-
per excoluerit) aut in tradendis præceptionibus dicendi, non tam
uoluiſſe ea conſcribere quæ didicerat,quàm alia quædam noua ad-
mirari. nam de his quæ nos tradimus,cum ille tam multa de rheto-
rica præceperit, nec uerbum quidem in eius monumentis inueniа-
mus, neceſſe ut ita ſentiamus, etſi nemo tantum hactenus auſus ſit.
Principium rei geſtæ atq; inſidiarū Clodij in ipſa profectione fuit,
cum Roma egreſſus dicitur: mediū, occurſus & conflictus cum Mi
lone: finis, mors Clodij. Poſt finem quid ſequutum ſit, nō ponitur:
ſed quæ præceſſerūt rei inchoationem, nempe cauſa, facta & dicta.
Cauſa eſt, quòd Milo conſulatum eo tempore petebat contra Clo-
dium: facta, ſeruorum deductio illa ex Apennino in urbem: dicta, q;
dixerat Miloni conſulatum adimi non poſſe, uitam poſſe: &, nō diu
uicturum Milonē. Hæc ſumma diuiſio ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους. Sed
eſt & alia diuiſio etiam cauſæ. Separauit enim principium: quòd re
licta Præturæ petitione ſui anni ſe contulit ad annum proximum.

 Medium,

Medium:Cõpetitores Milonis iuuit omni opera. Finis: Milonem denique decreuit occidere. Poſtea ſequuta ſunt hæc duo, ut ſeruos adduceret ex Apennino,& ut diceret occidi poſſe Milonẽ.quę nos dicta & facta præcedentia initium rei geſtæ demonſtrauimus.Iam obſeruemus,quo modo atq; arte hæc ipſa interpretatus eſt orator. Sequutus igitur ordinem rei,à primo incipit:hoc eſt,ab initio cauſæ,quòd relicto ſuo anno,ad annum proximum ſe contulit,hoc mo
» do:P.Clodius cum ſtatuiſſet omni ſcelere in prætura uexare remp.
» uideretq; ita tracta eſſe comitia anno ſuperiore,ut non multos mẽ
» ſes præturam gerere poſſet, qui non honoris gradum ſpectaret ut
» cæteri:ſed & L. Paulum collegam effugere uellet, ſingulari uirtute
» ciuem,& annum integrum ad dilacerandam rempublicam quære-
» ret:ſubitò reliquit annum ſuum,ſeq; in annum proximũ tranſtulit:
» nõ religione aliqua,ſed ut haberet quod ipſe dicebat, ad præturam
» gerendam, hoc eſt ad euertendam rempub. plenum annum atq; in-
» tegrum. Hic uides genus mixtum,ex approbatione & apparatu.
Initium à perſona, quia rectè incipit: quam ilico infamat. Eandem
» rem tribus quoq; ſententijs expoſitam uides, Cum ſtatuiſſet omni
» ſcelere in prætura uexare remp. & annum integrum ad dilaceran-
» dam remp.quęreret:hoc eſt,ad euertendam rempub.plenũ annum
» atq; integrum.His enim uoluntatem taxat Clodij.Reliqua ſunt ſim
» pliciora. Omiſſum:Quod reliquit annũ ſuum. Cauſa omitten-
» di: Ne collegam haberet Lucium Paulum. Logiſmus: Videretq;
» ita tracta eſſe comitia,ut non multos menſes præturam gerere poſ-
» ſet. Factum:Se in annum proximum tranſtulit. Cauſa: Vt ha-
» beret integrum annum ad gerendam præturã. Quo ſe Miloni op-
» poſuit,magis eſt apparata narratio.Occurrebat mancã ac debilem:
» Logiſmus eſt.Alterum membrum logiſmi:Cum porrò ſummo cõ
» ſenſu populi,&c. Factum:Contulit ſe ad competitores. Modus
» qui apparatum facit: ſed ita totum, ut petitionem ipſe ſolus etiã in-
» uitis alijs gubernaret,tota ut comitia ſuis ut dictitabat(Relatio eſt)
» humeris ſuſtineret.conuocabat tribus,ſe interponebat,coloniã no
» uam,delectum perditiſsimorũ ſcribebat ciuium. Omnia hæc ſunt
» modi. Quanto illa plura miſcebat, tanto hic Iudices magis inua-
» leſcebat. acclamatio etiam ἐνδιάσκευος comparationis. Habet er-
go tantum hæc pars facti apparatum,& logiſmum , & corrobora-
tionem relationis. Sequitur deliberatio Clodij pariter apparata:
» Vbi uidit homo ad omne facinus paratiſsimus, fortiſsimũ uirum,
» inimiciſſimũ ſuum , certiſsimũ Cõſulem: idq; intellexit non ſolum
» ſermonibus,ſed etiam ſuffragijs populi Romani ſæpe eſſe declara-
» tum: Logiſmus cum apparatu perſonarum duobus membris , ſed
» multis cæſis.Palàm agere cœpit,& apertè dicere occidendum Mi-
lonem:

lonem: Dictum, cum breui ornatu & membris. Sequitur factum «
poſtea: Seruos agreſtes & barbaros, quibus ſyluas publicas depo- «
pulatus erat, Hetruriamq́ꝫ uexarat, ex Apennino deduxerat, quos «
uidebatis, res erat minimè obſcura. Factum eſt cum perſonæ appa- «
ratu, & munitione duplici: ſcilicet relatione & confirmatione. A- «
liud dictum, coniungitur per coniunctionem rationalem: quod di- «
ſtinguit à principio ad finem: Etenim palàm dictitabat, cõſulatum «
Miloni eripi non poſſe, uitam poſſe. ſignificauit hoc ſępe in ſenatu, «
dixit in concione, quin etiã Fauonio fortiſsimo uiro quęrenti ex eo «
qua ſpe fureret Milone uiuo: reſpondit, triduo illum, ad ſummum «
quatriduo periturum. quam uocem eius ad hunc M. Catonem ſta «
tim Fauonius detulit. Simplex eſt expoſitio à principio ad finem. «
Atqꝫ hæc ſunt hactenus quæ præceſſerunt inſidias, iam ſequuntur
nunc inſidiæ. Interim cum ſciret Clodius, &c. Logiſmus. neqꝫ enim «
erat difficile: confirmatio. iter ſolenne, legitimum, neceſſarium, an- «
te diem Cal. Februarij Miloni eſſe Lauinium, ad flaminem proden- «
dum, quòd erat dictator Lauinij: Logiſmi apparatus. Roma ſubitò «
ipſe profectus eſt, pridie: Factum. ut ante fundum ſuum Miloni inſi «
dias collocaret: Cauſa. quod re intellectum eſt: cauſæ confirmatio. «
atqꝫ ita profectus eſt, ut concionem turbulentam, in qua eius furor «
deſideratus eſt, quæ illo ipſo die habita eſt, relinqueret: Facti appa- «
ratus. Quam, niſi obire facinoris locum tempusq́ꝫ uoluiſſet, nunqꝫ «
reliquiſſet: Ficta confirmatio, per acclamationem. Quod ſequi- «
tur, Milo autem cum in ſenatu eſſet, & quæ ſequuntur omnia, per «
contentionem addita ſunt. Hinc deſcribitur concurſus cum hypo- «
typoſi: nihil omittitur tam eorum quæ facta ſunt reuera, quàm quæ ueriſimile eſt facta eſſe ab ijs qui aderant, cum omni circunſtantia loci, temporis, & modi. Denicꝫ cum logiſmorum ſententijs multis & colore, interfectum Clodium à ſeruis Milonis indicat. non enim apertè hoc aſſerit, interfecerunt: ſed mollit ſermonem occupatione & ſententia generali, aliud quaſi dicens, omiſſo facto ipſo: Fecerunt ſerui Milonis, &c. Non aliter Virgilius turpitudinẽ diſsimulauit: *Effuſus gremio per membra ſoporem.*

Concludit denicꝫ epilogo, & ueluti cumulo, in quo omnium argumentorum ſumma concluſio futura erat, atqꝫ iudicatio. Hæc (inquit) ſicut expoſui, ita geſta ſunt. Inſidiator ſuperatus, ui uicta uis, &c. Non deerunt fortaſſe, quibus noſtra hęc ſolicitudo excutiendę unius narrationis, uitio dabitur. Sed non laboro, modò illis probetur noſtrum ſtudium, quibus eſſe poterit uſui ſimplex diligentia.

De interpretatione narrationis. *Cap.* 13.

Narrationum forma recta & cõuerſa.

SED omiſſa nunc propria figurarum orationis diſputatione, quantum præſenti negotio ſatis eſt, narrationis formam aliam puta rectam, aliam conuerſam. Rectam dico, cum à principio ad finem progredimur, iuxta ordinem rei, & in exponendo factum, incipientes à recto caſu perſonæ, per uerba modi indicatiui: Aulus Cluentius Habitus fuit pater huiuſce, Iudices. Flexa autem, ſeu conuerſa, fit tam uerbis ſimplicibus, quàm cõiunctis. In ſimplicibus quidem, ſi idem nomen in multa diduceas, uel uni plura addas epitheta: ut, Pro Cicerone ſi dicas patrem Romanæ eloquentiæ. aut multa in unum contrahas: ut pro definitione ponas definitum, ueluti parricida: uel contrà, pro definito definitionem. idem genus aſſequitur, qui aſſumpta nomina, id eſt epitheta remouet. quæ omnia nos in figuris interpretandi declaraturi ſumus latius. In multis autem uerbis flectitur multis modis: ut ſolutione partium & circunductione, contentione, & exæquationibus aliјs: figuris deniq; omnibus tam ſententiarum quàm interpretationis: quin etiam commutatione ſola ordinis uerborum. ut cum ſemel dictum ſit directè, ſicut natura ipſa tulerit, inuertatur ordo, & idem quaſi ſurſum uerſus retroq; dicatur: aut intercise atq; permixtè. demum ſicut recta à recto caſu incipit, ſic obliqua ab obliquo. φωκικοῦ γὰρ συστάντος πολέμου: id eſt, inſtante enim Phocenſi bello. Faciamus nos id apertius, in noſtro exemplari: P. Clodius, rectũ eſt principium. Sed ſtatim flectitur comprehenſione addita inſtar parentheſis, quæ hypertheſis appellatur. Cum ſtatuiſſet omni ſcelere, &c. Epithetum in his eſt: Vbi uidit homo ad omne facinus paratiſsimus. Periphraſis ſeu definitio pro definito hic: Fortiſsimum uirum, inimiciſsimum ſuum. id eſt, Milonem. In unum uerbum contraxit hic: Cum hic inſidiator. In circuitus direxit: Ex quibus qui animo fideli in dominum erant, & præſentes fuerunt, partim occiſi ſunt: partim, cum ad rhedam pugnari uiderent, & domino ſuccurrere prohiberentur. Eadem uerba ſunt profectus, & ita profectus. Diſſoluta: Conuocabat tribus, ſe interponebat, coloniam nouam, delectum perditiſsimorum ſcribebat ciuium. Cõtentio in illis quæ dixi; Milo autem cum in ſenatu eſſet. Sed quia ſumus aliàs dicturi de tropis & figuris: hæc quæ ex Cicerone indicauimus, ſufficiẽt ad cognitionẽ figurarũ narrationis, quam dixi rectam eſſe & flexam.

Propria narrationis. *Cap.* 14.

Narrationis uirtutes

RELIQVVM eſt iam, ut de uirtutibus narrationis loquamur: quarum ego quatuor inuenio maximè proprias, nimirum ſine quibus eſſe nunquam poteſt optima narratio. Primam, ut aperta ſit ac dilucida: alteram, ut breuis:

uis; tertiam, ut probabilis: quartam, ut ſuauis. Has omnes ex rebus & uerbis conſequimur. nam uerba quæ ex medio deſumuntur, & communi uſu loquendi, nec magnis inter ſe hyperbatis traijciūtur, ea claritati perſpicuitatiq́ꝫ deſeruiūt. rerum autem diſpoſitio recta diſtinctaq́ꝫ, ut ab imo ad ſummum ſic tendas, ut non prius peperiſſe narres, q̃ concepiſſe, nec eorum quæ neceſſaria ſunt omittas quicquam, aut reſumas quod ſemel dixiſſe erat ſatis: hæc faciunt quoq́ꝫ dilucidam. nō minus enim obſcura eſt ſuperuacua repetitio, quàm rei neceſſariæ præteritio. Diſtingues igitur ſingula, ne conculcata conſtipataq́ꝫ appareant. Egreſsiones quoq́ꝫ, animi intentionē perturbant. itaq́ꝫ aſſumentur res per ſe notæ. non geometricas aut nimium philoſophicas narrationes putaueris adhibendas. Sed quæ poſſunt euidentiam & diatypoſin efficere: qualia ſunt omnia quæ ſenſum mouent, & quę oculis licet intueri. Quod ſi rem contigerit narrare obſcuriorem, fugiendum tum maximè fuerit ab omni obliquitate: ſed per rectum caſum, uerba indicatiua, & omnem ſimplitatem ingrediemur. Docet magnam diluciditatem cōuiuium illud luxurioſum, cuius exemplum paſsim extat. illa autem Antonij deſcriptio ad illud exemplum efformata, non admodum inferior eſt: Namq́ꝫ ipſum offendunt temulento ſopore profligatum, totis prę cordijs ſtertentem, unctuoſos ſpiritus geminare: pleraſq́ꝫ contubernales ab omnibus ſpondis tranſuerſum incubare, & reliquas circū iacere paſsim. quę tamen exanimatę terrore, hoſtium aduentu percepto excitare Antonium conabantur, nomen inclamabāt, fruſtra ceruicibus tollebant. blandius alia ad aurem inuocabat: uehementius etiam nonnulla fiebat. quarum cum omnium uocem tactúmque noſcitaret, proximæ cuiuſq́ꝫ collum amplexu petebat. nec dormire excitatus, nec uigilare ebrius poterat: ſed ſemiſomno ſopore inter manus centurionum concubinarumq́ꝫ iactabatur. Quid manifeſtius oſtendi potuit? Non'ne uidentur omnia tibi oculis cerni? Sed breuitatem faciunt uerba ſimplicia, id eſt non compoſita, nec longiora, nec plenitudine aliqua dictionis cōiuncta. Hæc enim accelerata, minimeq́ꝫ dormitās uidetur. ac talis quidem eſſe debet hiſtoria, ut lectorē quaſi ſtimulet & agat ulterius. In rebus ſitum eſt, ne quid adferas quod ad rem non faciat. Sunt enim nonnulli, qui niſi altè petentes principium, quaſi ab ouo Ledæo, nihil ordiuntur: quo nihil eſt ineptius. Itaque ſubintelliguntur, quæ poſſunt commodè intelligi etiam non dicta. ut ſunt præcedentia, quæ ex rerum exitu ſatis apparent. quid enim opus dicere, Conceperat antè puerum, ſi filium dicis peperiſſe? Præteritionum occupationes, atque interfationum omnium breuitatem ſimulant: ut, De his ſuo loco dicam, multa prætermitto, nihil enim neceſſe eſt omnium flagitia

Dilucida.

Breuis.

profer-

proferre: audiſtis quæ antè facta ſunt, accipite nunc quæ ſequũtur.
" Tales ſunt monitiones, & quaſi epilogi: ut, Adhuc, Cæſar, Q. Liga
" rius omni culpa caret. domo eſt egreſſus, non modò nullũ ad bellũ,
" ſed ne ad minimam quidem belli ſuſpicionem. Hic namq; auditor reſpirat, tanquam parte audiendi peracta. Erit ergo breuis, in qua cum nihil deſit, nihil tamen poſsit adimi. Quapropter iuxta Horatianum pręceptum, quę deſperas tractata niteſcere poſſe, relinque. Homerus quodam in loco urbis direptionẽ duobus tantum uerſibus complexus eſt, ut rei magnitudinem ſermonis breuitate adæquaret: idem parua ſæpe & contemptibilia cum ſermonis plenitudine exauget. Legantur ergo autores probatiſsimi. nam ſola hæc

Probabilis. obſeruatio iudicium futuro rhetori præbebit. Veriſimilia autem ſunt, quæcunq; ſuis circunſtantijs uel natura uel opinione hominũ uidẽtur eſſe conſentanea: ut perſonis, locis, temporibus, cauſis. probabile namq; eſt, à temerario patratam cædem, ut ab libidinoſo & compto adulterium. & ſuo loco ac tempore commodius aguntur omnia. Quod ſi minus uideatur eſſe conſentaneum: tunc dices, uix quidem credibile eſſe, ſed uerum tamen. & hoc maius habendũ ſcelus, neſcire nos quo modo factũ, aut quare: ſed probaturos tamen. Fulcienda quoq; eſt præmunitionibus. ut relatione: Ita ferunt, ut dicitur, ut audiui, ut dicebat. hoc enim pacto non tam propriam, q̃ multorũ ſententiam, teſtataq; afferre atq; aſſerere uidemur. & confirmationibus: ut, Probabile eſt, omnes ita credunt, nec à uero abhorret, ſapientibus ſic uiſum eſt, nec erant ab eo ſcelere mores eius alieni. Quin cauſę & logiſmi cõfirmationis locum tenent, cur factũ, cur non factum. eſt enim facile, conceptiones animorum aſſeuerare. nam ſi de noſtris teſtamur, ignorantur: ſi de aduerſarij, aduerſarius in negando fidem non habet: qui uerò à nobis pendẽt, noſtraque utuntur defenſione, nunquam contradicturi ſint: quicquid tale finxeris, impunè erit. Quod ſi id quod finxiſti, rei ueræ alicui aut notæ cohæreat, nec diſſentiat à ſeipſo, iam mentiri diſces multo magis impunè. *Atq; ita mentitur* (inquit Horatius) *ſic ueris falſa remiſcet,*
Primo ne medium, medio ne diſcrepet imum.
& apud Vergilium Sinon à ueris incipit:
Fando aliquid ſi fortè tuas peruenit ad aures
Bellidæ nomen Palamedis & inclyta fama. Sequitur commentum:
Illi me comitem & conſanguinitate propinquum
Pauper in arma pater miſit. Dehinc nota:
— Inuidia poſtquam bellacis Vlyſsi
(Haud ignota loquor) ſuperis conceſsit ab oris. atq; hoc modo ueris falſa remiſcet, ut fide digna uideantur omnia. Somnia & ſuperſtitiones, ut auguria, reſponſa, uiſiones, & ſimilia, impunè etiam finguntur:

tur:ſed nimia facilitate contemni cœperunt. Ergo ſorma dictionis
in probabili narratione eſto morata & uera, probitatem præſefe-
rens,prudentiamq; dicentis. Vltima erit uirtus,ſi delectare poſ- *Suauis.*
ſit audientem,ac detinere. Conſequi autem id poterimus,ſi exponã
tur euentus inopinati,deceptiones,peripetiæ,agnitiones, admira-
tiones,expectationes:omnia denique magna, noua & inexpectata
delectant:delectant & motus,perturbationesq; perſonarum,ac o-
mnis proſopopœia:ut amores,dolores,metus:modò hęc ſine dicẽ
tis perturbatione proferantur. Secus enim amplificatio eſſet, non
narratio. Colloquia perſonarum quoq;: dum nimis affectata pro-
ſopopœia non obſcuret ſermonem. eſt enim (uti dixi) uulgare ni-
mium proſopopœia. Interfationes & partitiones non parum iu-
uant,ob claritatem. Expectationes faciunt, ut oratio ſemper ad e-
uentum feſtinet,& in medias res non ſecus ac notas rapiat audito-
rem. Ex rebus magnis & inopinatis ſequitur admiratio. Agnitio &
peripetia exitus quoq; inopinatos habent. Hoc artificio cõſtant fe
rè omnes fabulę Æſopicę. nihil namq; illic eſt non cum deceptione
& cõtrario exitu quàm expectabatur: quòd eſt peripetia. fictio e-
tiam perſonæ multum commendat narratiunculam puerulis: alio-
qui uirtutes alias qui nouerit, in eodẽ autore poterit omnes obſer-
uare. Nam ſiue elegantiam ſpectes,ſiue breuitatem, ſiue rei proba-
bilitatem & uerisimilitudinem,omnes certè narrationes quęcunq;
extant,obſcurantur ab Æſopicis. Iucundæ autem,cum ueluti exem
plum præſcriberet Heliodorus Emiſſenus, non potuit non eſſe in
uarietate affectatus. Amadiſius Hiſpanus magna certè uoluptate
delibuta tradidit præcepta nobilitatis & decori principum:ſed le
gere & loqui tantum,non dicere aut narrare docebat principum li
beros: ut neq; eiuſdem generis alij quàm multi, quos ille in rerum
diſpoſitione atque œconomia longè poſt ſe reliquit: & puto equi-
dem elegantiſsimum fuiſſe,ſi ea lingua extaret (Anglica ſcilicet) qua
ſcriptus eſt. nam Gallicè nunc elegãtius loquitur quàm Hiſpanicè.
Quod uerò multi quærunt,an ſemper narrandum ſit:ſimplex pro-
fectò quęſtio. nam ſi nihil prodeſt narratio,quorſum adhibebitur?
Si nulla eſſe poteſt,quam facies? ſunt enim multæ cauſæ,præſertim
in negociali ſtatu,quæ narratione prorſus deſtituuntur. An puber
tas iudicetur annis potius quàm habitu corporis: frater'ne ex inte-
ſtato ſit hæres,an pater. In coniecturali etiam,qui negat,propriam
non habet narrationem,niſi extra cauſam & crimen. Illud autem *Iudicialis*
ſemper uidendum,ut in iudiciali genere narratio ſemina in ſe quę- *generis nar-*
ſtionum habeat: quod ſi obſeruaueris diligenter, nihil certè omit- *ratio.*
tes eorum quæ dici debebunt: nec dices imprudenter, quæ taceri.
Ea facultas penes circunſtantias eſt,ſicut & aliæ omnes. Genus hoc
narratio-

narrationis,ut dixi,uocant Græci πληρεστάτωνον. Atq; hæc quidē hactenus de narratione dicta ſint. Sed ſupereſt aliquid etiam,quòd de Deſcriptione dicamus: quoniam narrationi proxima eſt,& uix ab ea ferè diſtinguitur.

De deſcriptione. Cap. 15.

DESCRIPTIO ergo quam Græci quidam ὑπογραφὴν,alij ἔκφρασιν nominant,aut non admodum differt à narratione, aut certè eiuſdem generis eſt cum ea. Differt autem, quòd illa facti eſt expoſitio: eſt enim rei geſtæ, ut geſta eſt: hæc uerò ſubſtantiæ, per partes & accidentia propria. In narratione ſemper eſt perſona, quæ rem geſsit:in deſcriptione nō tanquam perſonę factum(Etſi aliquid exponas,quod propriā ſubſtantiam non habuerit niſi ἐν τῷ γίνεσθαι)ſed ut res per ſe enarratur:ut tempeſtas, fames, epidemia. Ad hæc, per narrationem ordine enumerantur plura facta, præcedentia aut ſubſequentia, id quod præcipuum eſt:hic unius rei partes,uti re ipſa exiſtunt,additis preterea ijs quę propoſitam ſubſtantiam aliquo modo proprietate attingunt.Requiro autem cogitationis pręſentem uim,ut rem ipſam tanquam oculis cernamus:deinde memoriam,ut ne aut eadē ſubinde repetantur,aut omittātur prorſus quæ erāt neceſſaria.Sed hanc cōfirmat dilucidus ordo tum rerum,tum etiam uerborū.Qui tum optimus eſt,cum à notiſsimis quibuſq; incipit,atque ab ijs ſtatim quę prima oculis ſeſe ingerunt:ac deinceps paulatim deſcendit ad ſecretiora,accidentiaq; rei propria. Deſcribimus autem perſonas,loca,& tempora: ſed hæc tantum per ea quæ fiunt in tempore. nam temporis nullam inuenire poſſumus ſubſtantiā, quam depingamus,niſi per translationem.Sic Famam ob oculos poſuit Virgilius,Inuidiam Ouidius, & ſimilia multa quæ ſolent πλάσματα definiri. Bruta uerò & plantas, & quæ ſunt eius generis, non aliter deſcribūt quàm perſonas ipſas. Exemplo hoc ex Virgilio doceamus: in quo rei nomen protinus,& partes(ut uocant)eſſentiales ſpeciei propoſitæ ſūnt:deinde propriæ indiuidui.*Eſt in ſeceſſu longo locus:inſula portum Efficit obiectu laterum.* Sequuntur propria. *quibus omnis ab alto Frangitur,inq; ſinus ſcindit ſeſe unda reductos.*Partes rei. *Hinc atq; hinc uaſtæ rupes,gemini que minantur In cœlum ſcopuli*: Et quæ ſequuntur uſque ad illud, *Nympharum domus*, quæ accidentia dicuntur omnia rei propria, per quæ abſque ullis partibus deſcripſit in eodem libro Carthaginem:

Urbs antiqua fuit,Tyrij tenuere coloni,
Carthago, Italiam contra,Tiberinaq; longè
Oſtia,diues opum,ſtudijsq; aſperrima belli:
Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam

Poſtha-

Descriptio quid à narratione differat.

Poſthabita coluiſſe Samo: hic illius arma,
Hic currus fuit. hoc regnum Dea gentibus eſſe,
Si qua fata ſinant, iam tum tenditq́, fouetq́.

Facile igitur fuerit rei cuiuſq; deſcriptionem ſuſcipere, ſi potes i-
lico aut genus tenere, aut ea quæ primùm apparent oculis obijce-
re. Sic enim à notioribus ad minus nota progrediemur: quæ uera
eſt ac ſola docendi methodus.

De egreßione. Cap. 16.

POST narrationem & finem rei geſtæ, à dignitatis graui-
tate commoti, uelut ſpiritu irrumpente, in lætum plau-
ſibilemq; locum aut indignum plerunque digredimur: *Egreßionis*
non quidem orationis lege neceſſaria, quaſi ſemper di- *uſus ac ra-*
gredi oporteat (alioqui nunquam aliter liceret) uerùm ut aliarum *tio cuiuſmo-* *di.*
partium communem rationem, & frequentiores locos, formamq;
magis ſolitam oſtendimus, in hac pari ratione agendum eſſe uide-
tur. neq; enim poſt narrationem tantum, aut poſt narrationẽ ſem-
per excurrendi occaſio ſe offert: uerùm & in unius argumenti fine,
& multorum: non ſecus atq; exclamandi. Illuſtrat autem atq; exor
nat mirum in modum omnem orationẽ opportuna digreſsio: quæ
non per uim (ut loquitur Quintilianus) cuneatur, eaq; quæ natura
iuncta erant diſtrahit: ſed aptè atq; plauſibiliter ſeſe offert. nullum *Affectatio*
namq; uitium magis excellentia iudicia offendit, quàm κακοζηλίας. *odioſa.*
Itaque ſi amplificationem dignitas narrationis uel argumẽti requi-
rit, aut ſi cauſa poſtulat argumentorum occupationem, aut (quod
frequenter uſu uenit) ferre non poteſt crimen noſtrum multam in
ſe attentionem iudicis: his de cauſis excurrere fuerit operæpreciũ,
ut augeas (inquam) factum, ut anteuertas quæſtionem, ut animos
auditorum à conſideratione criminis attentioneq; nimia diuertas.
idq; fiet in locum aliquem communem, uel querelam: in laudes ho
minum, & aliarum rerum, aut conuicia: in deſcriptiones, fabulas,
hiſtorias, exempla, ſimilitudines: in ſales deniq; ac facetias. Siquidẽ
omnia hæc attentionem minuunt, & ad aliud diuertunt animos au
ditorum. Igitur egreſsio, quæ Græcis dicitur παρέκβασις, ſiue διέ-
ξοδος, ſiue ἐκβολὴ, id eſt exitus (ut apud Thucydidẽ: hoc enim Græ *Egreßio*
ci dicunt ἐκβολὴν ποιεῖσθαι λόγων) tractatio eſt rei alienę, ſic extra or *quid.*
dinem decuſſa, ut adempta integram actionem relinquat: nullum
hiatum, nullam inæqualitatẽ. Sed ad egrediendũ uiam aperiunt cir
cunſtantiæ, deinde capita finalia: tum ſimilitudines, comparatio-
nes, exempla, chriæ. Sed cauendum omnino eſt, ne depulſus à ſemi-
ta, in arctum deducaris, unde pedem referre non liceat. Præſtitiſſet
etenim in eadem uia ſemper ſtetiſſe. Vide igitur antequam defle- *Egreſſuro*
ctas, quò tibi redeundũ ſit: num quoq; redeũdi pateat locus, ne ui- *quæ potiß.* *cauenda.*

delicet ab eo longè abductus imprudentia cœlum ſuſpicere,& reſiliendi laſciuiam damnare compellaris. Duæ cauſæ ſunt,quę nos ducunt in errorem:una (quam dixi) diſtantia rerum, in quam paulatim imprudētes abducimur:altera,animi attentio,quam ubi ad res præſentes adhibemus,propoſiti noſtri ſtatus argumentiq; neceſſarij obliuio ſequitur. Veruntamen (modò ſimus noſtri memores, neq; oculos mentis deflectamus ab ſtatu) procliue certè fuerit redeundi aditum aperire.id fiet ea figura concluſionis, quam dicturi

Fictio. poſtea ſumus fictionem.faciet enim hæc forma,ut egreſsionis,quæ præter rem facta uidebatur,nulla cernantur ueſtigia. ut, Si quid ſimile nobis contigiſſet,quo animo tuliſſemus? Sed ab alijs regredimur nō alia quidē uia, quàm ſumus digreſsi:ut repetitione principij digreſſus,accōmodatione ſimilitudinis,contentione uel comparationis uel contrarietatis. ut pro Sex. Roſcio: Hominem longè audaciſsimum nuper habuimus in ciuitate C.Fimbriam,& quę ſequuntur. redit accommodatione comparationis:Eſt'ne hoc illi dicto atq; facto Fimbriæ non ſimillimum? Maioris autem exceſſus præmitti debet aliqua præparatio,& ueluti principiū.in Verrem: Atq; adeò antequam de incōmodis Siciliæ dico,pauca mihi uidentur eſſe de prouinciæ dignitate,uetuſtate,utilitate dicenda. Et in 6. Ad ea autē quæ dicturus ſum, reficite uos quæſo Iudices,per deos immortales,per eos ipſos,&c. Redit hoc modo:Non obtundam diutius aures ueſtras: Iamdudum uereor, ne oratio mea aliena ab iudiciorum ratione,& quotidiana dicendi conſuetudine eſſe uideatur.hoc dico,hanc ipſam Cererem antiquiſsimam,religioſiſsimam, principem omnium ſacrorum quæ apud omnes gentes nationesq; fiunt à C.Verre ex ſuis templis ac ſedibus eſſe ſublatam. Sed longæ digreſsiones non tam congruunt alijs argumentis,quàm epidictico,& ijs quæ ad delectationē comparantur. A minori autem digreſsione licet reuerti abſq; ulla tranſitione, præſertim inter argumenta: quanquam non abſque omni diſtinctione.Pro Milone:An uerò Iudices, uos ſoli ignoratis,&c. Claudit digreſsionem epiphonemate:quam rem etſi neceſſario feciſti,tamē quoniam in meo inimico crudelitatem exprompſiſti tuam,laudare non poſſum, iraſci certè non debeo. Redit poſtea ad argumentum ſine tranſitu: Pub.Clodij præturam non ſine magno,&c. Virgilius in ipſa narratione digreditur ſæpiſsimè:

Ac ueluti annoſam ualido cum robore quercum
Alpini boreæ. Redit:
Haud ſecus aſsiduis hinc atq; hinc uocibus heros
Tunditur, & magno perſentit pectore curas.

Sed non egredimur à propoſito ſemper cum animo reuertendi,

ſed

ſed interdum abſq; reditu. nam fieri poteſt aliquando, ut ſenſum alium ex alio trahentes longè à propoſito abducti reperiamur: ut in fine librorum de agricultura Virgilius. Itaq; egreſsio captatur interdum uerbi unius, aliquando ſententiæ occaſione. In noſtra Miloniana non egreditur orator poſt narrationem propriè: ſed memoriam tantum refricat, primùm quæſtionum quas in exordio propoſuerat, tum argumentorum quæ in præparatione. Hoc uerò genus appellatur ἀνανέωσις: de qua nos ſtatim. quanquam certè egreſsionis nonnullam ſpeciem præſefert hæc particula. Reiecit ergo digreſsionem in primum argumentum, à quo excurrit, ut potes uidere. Sed hæc nobis ſufficiant de hac parte: modò illud intelligamus, capita generalia, quæ tractantur in omni exceſſu, iam eſſe nobis ſuperius expoſita: nempe locos, narrationes, deſcriptiones, laudationes, comparationes, querelas, & ſimilia: quæ per acclamationem aliquando erumpant in exceſſu. Nam ſi pręcedant, non egreſſiones erũt, ſed anticipationes potius: ut principiũ belli Iugurthini.

De ἀνανεώσει. Cap. 17.

ANTEQVAM poſteriorum quæſtionum ſtatus fiat, aut declaretur, ut iudicem & argumenta præparemus: utq; maior actionis uis coniuncta probabiliorq; uideatur: poſt egreſsionem (ſi hæc præceſſerit: ſin minus, poſt narrationem) ſtatim principij quandam ſpeciem tranſeundo inducemus, capita ſummatim proparaſceues & exordij reponentes, cum ſequentium quęſtionum tum diuiſione, tum propoſitione. Sed hoc tamen non ut antea per hypophoras, & anthypophoras, atq; ambitu præludij: uerùm paucis, ac ſuccinctè, uel uno omnia circuitu, uel pluribus membris & cæſis, cum breuitate. id autem fit, ne exordiũ, aut integra præparatio, ſed potius quidam amplior tranſitus, breuiſq; antè dictorum commemoratio exiſtimetur: ut poſteaquam rurſus in memoriam reuocata fuerint, quæ propoſita erant in exordio aut pręparatione, deinceps caput inducamus totius controuerſiæ, quod demonſtrandum ſuſceperamus. Itaq; fiet, ut poſt renouationem (ſic enim uoco τὴν ἀνανέωσιν) exordij & præparationis, altera pars quoq; ſequatur: quam προδιοίκησιν, id eſt pręordinationem poſsumus dicere. Hanc rurſum in diuiſionem & propoſitionem diſtinguemus. Eſt autem diuiſio duplex, ſicut & propoſitio. Vna definit, quid nobis cum aduerſario conueniat, quidq; relinquatur in cõtrouerſia: altera proponit palàm & diſtinctè, quę à nobis probanda ſunt, uel in probationem adducenda. hanc uocant digeſtionem, alterã ſeiunctionem. utraq; autem lucem adfert orationi, modò adhibeatur cum iudicio & opportunè. alioqui enim nihil ineptius neq; abſurdius illa in mille particulas ſecta diuiſione & ſubdi

Renouatio. προδιοίκησις. Diuiſio duplex.

Subdiuiſionum minutarū abſurditas. uiſione: qua nuper barbari quidam utebantur, præſertim iuris periti, & nō mali quidam theologi. nam & autoritati plurimū detrahunt minuta illa, nec iam membra, ſed fruſta: & huius gloriæ cupidi (inquit Fabius) quo ſubtilius & copioſius diuiſiſſe uideantur, & ſuperuacanea aſſumunt, & quæ natura ſingularia ſunt ſecant, nec tam plura faciunt, quàm minora. deinde dum fecerint mille particulas, in eandem incidunt obſcuritatem, contrà quàm partitio inuenta eſt. Quanquam certè non ignoro, profeſſoribus artium & interpretibus magis eligēdam eſſe articulatam illam diuiſionem, quàm ijs quibus hæc præcipiuntur, oratoribus. Verùm μέτρον γὰρ ἅπασιν ἄριστον. nam rhetorica partitio etſi dilucíditatis quidem cauſa præmittitur: diſsimulari tamen nihilominus debet (ut ſuprà quoq; dictum eſt) aliqua figura, ne ſeiunctę particulæ, ſed appoſita membra uideantur. Iubeo autem, ut omnis partitio ab oratore īducatur, quemadmodum ſuprà diximus, διστακτικῶς, id eſt non tanquam certò, ſed incertò. ut, » Tres ſunt res, de quibus me dicere arbitror. & pro Milone: » Sin hoc nemo ueſtrûm ita ſentit, illud in iudicium uenit, non occiſus'ne ſit (quod fatemur) ſed iure an iniuria: quod multis antea in cauſis iam quæſitum eſt. Id autem maximè ego ſentio in noſtra propoſitione obſeruandum. nam ſi aduerſarij obiecta refellimus, recta diſtinctaq; & certa magis probabitur. Pro Murena: » Intelligo, iudices, tres totius accuſationis partes fuiſſe: & earum unam in reprehenſione uitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus eſſe uerſatam. In hac præordinatione, tam quę quid nobis cum aduerſario conueniat, quidq; relinquatur in controuerſia docet, quàm quę proponit. Artis eſt, ut quorum ſolutionem non timemus, audacter dicamus aduerſarium ita loqui. De quibus uerò dubitamus, fingemus nos ita imaginari, conijcere & putare dicturū eſſe. Quę uerò ſenſimus fortiſsima eſſe cōtra nos, illa nos audiuiſſe fingemus: ne ſi certius à nobis recitētur, tanquam uera, & à conſcientia noſtra profecta uideantur dici. Partitionē propoſitio, uelut particula quædam ab ipſa diuulſa, conſequitur.

Propoſitio quid, eiusq; uſus ac ratio. Eſtq; propoſitio, denunciatio, breuisq; expoſitio iudicationis demonſtrandæ. Nunquid aliud in iudicium uenit, niſi uter utri inſidias fecerit? Eius porrò dantur duo genera: ſimplex & coniunctū. quanquam differentia hæc ad aliud fortaſſe non prodeſt, quàm ut eandē ſententiā doceamur diſſimili forma expolire. Simplex propoſitio definiri poterit à nobis, *Dialectica quæſtio.* quæſtio dialectica: ut, An Clodius Miloni inſidias fecerit. In hac enim (ut norunt dialectici) pars altera cernitur cōtradictionis. Sed cum ita quæritur, Milo'ne Clodio, an Clodius Miloni fecit inſidias: quæſtio eſt coniuncta, & *Problema rhetoricū.* problema rhetoricum. nam quod affirmes aut neges, nihil eſt. Sunt tamen

quibus

quibus coniuncta dicitur ea propoſitio, in qua ſimul plura pro-
ponuntur. ut, Oſtendam primùm cauſam non fuiſſe, cur à Præ-
tore poſtulares bona P. Quintij: deinde, ex edicto te poſsidere nõ
potuiſſe: poſtremò, non poſſediſſe. Hanc uocant coniunctam pro-
poſitionem, alij multiplicem. Cæterùm appellent ut lubet, magis ta-
men diuiſio per enumerationem cum ueteribus dicenda mihi uide-
tur. nam, ſi legas præcedentia, hęc prę mittuntur eo loco: Negamus
te bona P. Quintij, Sexte Neui, poſſediſſe ex edicto Pretoris. & de-
inceps ſequitur alia controuerſiæ propoſitio, non quidem epiche-
rematis, ſed primi capitis, primiq; ſtatus in diuiſione propoſiti: Nõ
fuit (inquit) cauſa ut poſtulares. Neq; uerò mirum uideri debet,
ſi plures hic propoſitiones inueniantur: quoniam quando plures
quæſtiones incidunt, expedit ante diuiſionem primam iudicationẽ
rurſus proponi. Quare natura hæc ita ſunt ſimilia, ut diuiſio per e-
numerationem aliud non ſit, quàm multiplex propoſitio: & diuiſio
per ſeiunctionem, ſeiuncta propoſitio. Quoniam igitur ex par-
titione manat propoſitio, & hæc rurſus iudicationẽ certam denun-
ciat: partitio certè iudicationem cõtinebit, ſicut & propoſitionem
aliqua ratione. nec fuerit quiſquam cõſilij tam expers, tamq; inops
iudicij, ut præ ſtudio diuidendi aut proponẽdi ſic incipiat: Dicam
non talem eſſe hunc, ut in eo credibile uideri poſsit homicidium: di-
cam occidendi cauſam huic nõ fuiſſe, dicam eo tempore trans mare
fuiſſe. Quid cedo ineptius? hæc enim capita non iudicationẽ conti-
nent, ſed ad iudicationem deſtinantur. At pro Murena, ubi triplex
cauſa agebatur, in hunc modum diuiſum eſt: Intelligo, Iudices, tres «
totius accuſationis partes fuiſſe, & earum unam in reprehenſione «
uitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus am- «
bitus eſſe uerſatam. Itaq; reſpicientibus ad iudicationem, nihil fa- «
cilius, quàm & proponere & diuidere. utrumq; enim ex iudicatio-
ne colligitur: ſicq; fiet propoſitio μεθόριος, id eſt confinis, & cauſæ
propria: non aliena, aut futilis. Quintiliano placet, ut non ſimplici-
ter hæc inducantur, ſed cum munitione aliqua. neq; id quidem iniu-
ria. nam ea propoſitio (ut ipſe loquitur) confeſsionem aduerſarij
premit, & quodam modo iudicandi moram tollit: nec indicat tan-
tum quæſtionem, ſed adiuuat. Poterit ergo breuis munitio prę mit-
ti aut inſeri, non propoſitioni ſolum, ſed etiam diuiſioni. Sic enim
in Miloniana (ubi ſummam artem iam diu admiramur) etiam hoc
ipſum obſeruatum fuiſſe deprehendimus: Ab utro (inquit) factæ «
ſunt, incertum eſt. De hoc igitur latum eſt ut quæreretur. ita & Se- «
natus rem, non hominem notauit: & Pompeius de iure, non de fa- «
cto quęſtionem tulit. Vides in diuiſione poſitam confirmationem? «
imò utriq; parti ſua eſt appoſita. Illud tamen intelligendũ, quod «

Diuiſio per enumerationem.

Diuiſio per ſeiunctionẽ

propoſitio non confirmatione eſt munienda, ſed γνώμη, aut δικαιολογία: hoc eſt, iudicio, ſententiaq́ꝫ de æquitate & iuſticia. ut, Murū aſcendiſti, cum peregrinus ſis, & lex prohibeat: quid igitur ſupereſt, niſi ut ipſa lege puniaris? In noſtra: Si hic illi, ut ne ſit impune: ſi ille huic, ut tum nos ſcelere ſoluamur. Atq; hæc quidem eſt illa προβολή, qua ſic proponimus crimen quaſi manu haſtam tenentes. Iam igitur exemplis demonſtrentur tres partes ananeoſeos. Exordij plenam renouationem inuenias pro Quintio. primùm quidem beneuolentiam his uerbis facit: Cum maiores ita conſtituerint, ut qui pro capite diceret, is poſteriore loco diceret: nos inaudita criminatione accuſatorum, priore loco cauſam dicere intelligis. Attentionem: Illud etiam reſtiterat, quod heſterno die fecerunt, ut te in ius adducerent. ut nobis tempus quandiu diceremus præſtiteris. Docilitatem: Faciam quod te aduerti facere Hortenſi, totam cauſæ meæ dictionem certas in partes diuidam. Hinc ſequūtur diuiſio & propoſitio, quales iam definiui. Pro Milone renouat diuiſionem propoſitam in exordio, & argumenta: deinceps reliqua exequitur. Primum his uerbis complexus eſt: Nihil dico, quid reſp. conſecuta ſit: nihil, quid uos: nihil, quid omnes boni. nihil ſanè id proſit Miloni, qui hoc fato natus eſt, ut ne ſe quidem ſeruare potuerit, quin unà rempub. uosq́ꝫ ſeruaret. Alterum: Si id iure nòn poteſt, nihil habeo quod defendam: ſin hoc & ratio doctis, & neceſsitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura præſcripſit, ut omnem ſemper uim quacunq; ope poſſent, à corpore, à capite, à uita ſua propulſarent: nō poteſtis hoc facinus improbum iudicare, quin ſimul iudicetis, omnibus qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut ueſtris ſententijs eſſe pereundum. Pauca illa uerba quæ ſequuntur (Quod ſi ita putaſſet, certè optabilius Miloni fuiſſe dare iugulū Clodio) addita per digreſsionem ſunt, ut ἠθικῶς loquendo ſimplicitatem orationis ſimularet. Diuiſio autem eorum quę conceduntur ab aduerſario, & quæ relinquuntur in controuerſia (quā nos per ſeiūctionem nominauimus) in his uerbis ſita eſt: Sin hoc nemo ueſtrûm ita ſentit, illud in iudicium uenit, non occiſus'ne ſit, quod fatemur: ſed, iure'ne an iniuria: quod multis antè in cauſis iam quæſitum eſt. Id eſt, in hac noſtra controuerſia non de facto quæritur, ſed de iure. Confirmatio poſita hic: Quod multis antè in cauſis iam quæſitum eſt. Addit quoq; aliam ſeiunctionem, magis propriā, ſequenti iudicationi: Inſidias factas eſſe conſtat: & id eſt quod Senatus contra rempub. factum iudicauit: ab utro factæ ſint, incertum eſt. de hoc igitur latum eſt ut quæreretur. ita & Senatus rem, non hominem notauit: & Pompeius de iure, non de facto quæſtionem tulit. Hic utriq; parti ſeiunctionis ſua eſt confirmatio. Iam ex ea alteram

Ananeoſeos partes.

alteram partem ſeponit ad propoſitum: Nunquid igitur aliud in « iudicium uenit, niſi uter utri inſidias fecerit? Profectò nihil. Hæc « propoſitio coniuncta, & προβολή. quam non deſeruit quoq; ἡ γνώμη: ſi hic illi, ut ne ſit impune: ſi ille huic, tum nos ſcelere ſoluamur. Cæterùm quod ſequitur (Quo'nam igitur pacto probari poteſt, inſidias Miloni feciſſe Clodium) id propoſitio propria eſt, prima'que pars argumentationis, ut ſuo loco dicetur. & nos finem imponimus huic parti, exorſuri probationis artificiũ & doctrinam, quã pro uirili declarabimus, quantum nobis contigit à grauiſsimis exercitatiſsimis'q; autoribus didiciſſe.

De probatione. Cap. 18.

ORATIONIS partes ſuperius diſtinguentes, in medio corpore, tanquam uiſcera præcipua, narrationem & probationem collocauimus: ut quibus uita uires'que corporis uniuerſi contineantur. Eapropter expoſita iam narratione, & ijs quæ narrationi adhærent, supereſt ut probationis formam & uim eodem modo explicemus. Huius enim loci & capita, ac ueluti fontes unde ſumi oporteret omnia demonſtrata ſunt ſuperius. quæ ſi non ignoras, aliud nihil reſtat in præſentia, quàm ut diſpoſitionem expolitionem'q; argumenti, & partes accipiamus: nam ſi uerum eſt quod Cicero tradit (ut certè eſt) inter argumentum & argumentationem hoc intereſt, quòd argumentum ipſum probabile inuentum dicitur, ad faciendam fidem: argumentatio autem, argumenti explicatio. itaq; argumentũ in locis reconditum latet: ubi inuentum eſt, arte oratoris expolitur, uſui'q; accommodatur. Et quoniam ferè difficile non eſt, quid cauſæ adiumento ſit inuenire, quod idiotæ ſæpius nouerunt: difficillimũ uerò factu, quod inuẽtum eſt, uerbis explicare (eſt enim id oratorum munus) inſiſtendum hîc diligentius: & oſtendendæ primùm (ut uidetur) ſpecies argumentationis, deinde partes ipſius argumenti: id eſt, quot & quibus aggreſsionibus argumentum idem, ex eodem'q; loco ſumptum, tractari & exponi queat. Hæc fuit nobis methodus tam in tradendo exordio, quàm in narratione. Ex hac ratione illud etiam commodi aſſequemur, ut non ſolum quid quoq; loco dicendum nobis ſit, memoriæ commendemus: ſed ut auditores quoque (ſi quando fuerimus) cùm totius cauſæ, tum uniuſcuiuſq; argumenti diſtributionem rectè percipere, & citò meminiſſe queamus. nam partium cognita differentia, ordinis pariter cognitio facile ſubſequetur.

Argumentum & argumentatio quid differant.

Argumentorum ſpecies. Cap. 19.

Argumentationes affirmatiuæ & negatiuæ.

PRIMA igitur diuiſio argumentationum ſit, in affirmatiuas & negatiuas. Omnis enim probatio pro capitis & quæſtionum natura uel tollit uel confirmat:hoc eſt, uel infert negationem problematis,uel affirmationem. De hac re nos plura libro primo. Cæterùm omiſsis nunc ſophiſmatibus,obſcuriſq; alijs dialecticorũ diſputationibus, de quibus apud Ariſtotelem pleniſsimè(ille enim in tradenda arte diſſerendi nõ potuit aliter rem demonſtrare, quàm longis ambagibus, & altè petitis rationibus,ſicut faciunt mathematici)id unum obſeruatum uolo, ne à puris & ſolum negatiuis propoſitiònibus quidquam inferas.Nam ex eo quod non eſt, nunquam ueritas inueſtigabitur, autore Parmenide.Nihil enim ſequitur,Tu non es ſcriptus hæres,ergo mea eſt hæreditas. Sed neq; ex affirmatiuis, abſq; præcedente aliqua negatione,inferes negatiuè.nam in omni argumento ſententia eſſe debet aliqua, qua uel expreſſa ſermone, uel per ſe nota, innitatur ratiocinatio: & dignitas appellatur. Secus enim nulla eſt conclusio,imò fallax ſyllogiſmus. ut, Quemcũq; pater liberis tutorem reliquit,ei debent liberi obedire: ego relictus ſum tutor: ergo tibi non tenentur obedire.Idemq; eſto iudicium de particularibus, ubi inquam medius terminus tam in propoſitione quàm in aſſumptione ponitur particulariter.ut ſi præmittas, Omnes diuites ſunt auari,tu es auarus:non ſequitur, ergo tu es dìues. Quoniã medius terminus ita poſitus earum rerum eſſe ſolet,quarũ alia ſæpe aliquid poteſt, quod alia non poteſt. Si omnis namq; ſimia habet manus (ut alio, ſed omnino ſimili exemplo rem doceam) & omnis homo etiam manus habet:non rectè colligis,hominem eſſe ſimiam.Quoniam habere manus (quod pro argumento accepiſti) nuſquam eſt poſitum cum uniuerſali prouocabulo,quod oportuerat:nempe,ut homo eſſet,aut ſimia, quicquid haberet manus. His autem duabus omnino fallacijs cõtinentur omnes aliæ, ut dictũ eſt & demonſtratum primo libro : Si ex puris ac meris negatiuis propoſitionibus, uel ex particularibus componatur ſyllogiſmus. Nec opus eſt nunc pluribus his inſiſtere. nam ſi quis plura deſiderat, legendus erit Ariſtoteles, huius doctrinę autor & demonſtrator.Oratoris probatio ex ſe ipſa quoq; fidem & probabilitatem præ ſe ferat neceſſe eſt: quia populariter,non in ſcholis diſputatur.Itaq; dialecticorum eſt, ex probationum nexu & uinculis à contradicente extorquere confeſsionem:oratorũ, magis ſuauitate & uериſimilitudine rerum perſuadere. Quin & philoſophi ipſi interdum in eas formas incurrũt ſyllogiſmorum: ſed in ijs uim dicimus argumento ineſſe, nõ ex forma, ſed ex materia. Atq; hæc quidem ſufficiant. Pro negatiuis atq;

Dignitas.

affirma-

affirmatiuis rationibus, tum pro particularibus & uniuerſalibus.
Alia autem diuiſione argumentationem tribuo in ſyllogiſmum, in- *Argumētationis alia diuiſio.*
ductionem, & contrarium. Syllogiſmus fit iuxta id quod dixi, ex
duabus propoſitionibus: ex quibus tanquã ex toto deſumpta pars,
neceſſariò ſequitur alia. inductio uerò contraria prorſus eſt. nam
ex partibus, id eſt ex pluribus ſingularibus uniuerſale infert, uel ſi-
mile quid præcedentibus. Contentio autem, quæ tertia ſpecies eſt,
ſub uno ſenſu pugnantia componit, aut relata: idq́ cum quadã exę-
quatione arſis & theſis. ut, Si temperantia uirtus eſt, intemperantia
uitium erit. Quàm hoc non credibile in hoc, idem in Clodio nõ du-
bitandum. Sed doceamus hæc apertius. Si duæ propoſitiones,
communem terminum habentes, deq́ omni aut nullo (ut Ariſtote-
les loquitur) dicentes concedantur: neceſſe eſt & ſequentem conce-
di. id ſyllogiſmum Græci appellarunt, nec Latinis diſplicuit ea de- *Syllogiſmus.*
nominatio. Quod per ſe mouetur, immortale eſt: Anima mouetur
per ſe: ergo anima eſt immortalis. Quòd ſi propoſitiões ambæ con
trouerſæ ſint, aut ipſarum altera: niſi confirmationẽ addas, & quaſi
abducas aliò rationem, uix quicquam poteris (nulli dubium eſt) ef-
ficere. Hinc eſt, ut in ratione interdum quatuor partes, interdum
quinq́, & plures, & ſæpe duæ tantum inueniãtur. Quinq́: ut, pro-
poſitio, & probatio eius, aſſumptio, & rurſus probatio, tum con- *Ratiocinationis partes.*
cluſio. ſæpe minor eget probatione, maiore conceſſa: & contrà. ut
in exemplo Ciceronis, primo de Inuentione libro: Iudices, qui ex le- “
ge iurati iudicatis, legibus obtemperare debetis. hæc eſt propoſi- “
tio. Obtemperare autem legibus non poteſtis, niſi quod ſcriptum “
eſt in lege, ſequamini. hęc aſſumptio, quę longius abducitur appro “
batione hac: Quod enim certius legis ſcriptor teſtimoniũ uolun- “
tatis ſuæ relinquere potuit, quàm quòd ipſe magna cum cura atque “
diligentia ſcripſit? Quod ſi literæ non extarent, magnopere eas re- “
quireremus, ut ex his ſcriptoris uoluntas cognoſceretur: nec tamen “
Epaminondę permitteremus, niſi extra iudicium quidem eſſet, ut is “
nobis ſententiã legis interpretaretur: nedum nunc iſtud patiamur, “
cum præſtò lex ſit, non ex eo quòd apertiſsimè ſcriptum eſt, ſed ex “
eo, quòd ſuæ cauſæ conuenit ſcriptoris uoluntatem interpretari. “
Hactenus abducta eſt aſſumptio. Sequitur concluſio: Quòd ſi uos “
iudices legibus obtemperare debetis, & id facere non poteſtis, ni- “
ſi quod ſcriptũ eſt in lege ſequamini: quid cauſæ eſt quin iſtum con “
tra legem feciſſe iudicetis? Atq́ hæc quidem abductio ſæpe neceſſa
riò requiritur: illud tamen non item (etſi prodeſt plerunq́) ut ordo
inuerſus diligentiam ſyllogiſmi diſsimulet. Sic orator à concluſione
incipiens, deſinit in confirmationem maioris: ubi rectus ordo fue-
rat, Ab eo facinus ſemper factum exiſtimari, cui bono eſſe uidere-
tur.

aſcriptum ſit, rectum uobis uideatur? noui ueſtram intelligentiam: non poteſt ita uideri, Iudices. Quòd ſi literis corrigi neque ab illo neq; à uobis ſcriptoris uoluntas poteſt, uidete ne multo indignius ſit id re & iudicio ueſtro mutari, quod ne uerbo quidem cõmutari poteſt. Sed faciliori exemplo doceamus. Sine cauſa maleficium ſuſceptum eſſe non poteſt: Axioſis. Sed neq; inimicitiæ fuerunt, nec metus, nec ſpes ex morte illius alicuius cõmodi, neq; ad amicum aliquem mors pertinebat: relinquitur, ut ab hoc non ſit occiſus.

Per remotionem hoc pacto inducimus: Si neq; in prima acie, neq; in ultima debet eſſe Imperator: ſequitur ergo, ut in media, & inter triarios inueniatur. nam præter hæc nullum locum reperias. Non minus uerò inductioni partes detrahi poſſunt, & loco mutari, quàm ſyllogiſmo: ut concluſio primo loco, axioſis ſecũdo, & ultimo ſimilitudo. Ac de inductione quidem hactenus. cuius exempla ſi deſideras, plurima ſunt Socratis apud Platonem. Is enim, propterea quòd nihil ipſe affirmare atq; aſſerere uolebat, ſed ex eo quod ſibi alter dederat, aliquid conficere, quod ille ex eo quod iam cõceſsiſſet, neceſſariò approbare cogeretur: interrogationibus longè admodũ petitis, paulatim per ſimilitudinem rationis ad propoſitũ inducebat reſpondentem: ut ille tanquã deceptus exiguo in principio, errore uiarum in id incideret, ac delaberetur, quod cauendum ſibi in primis propoſuiſſet. minimus namq; error inter gradus hoſce contingens, longè abducit à propoſito imprudenter reſpõdentem. Ac talis eſt quidem inductio. Cum ſit autem in contentione manifeſtum acumen, pleriſq; artis huius profeſſoribus dicta eſt enthymema. quanquam Ariſtoteli omnis imperfectus ſyllogiſmus enthymema definitur. Sed aliter nos in præſentia, ſi locum hunc cupimus cognoſcere. In primis enim illud nunc tenendum eſt, complexionem aut ex repugnantibus, aut ex conſequentibus fieri ſub uno ſenſu. Quare duas tantum ſpecies eius inuenio, ἀντίθετον & συμπέρασμα, ſiue periodum: Latinè dixeris contentionem & cõcluſionem. Sed contentio ſiue contrarium (id eſt ἀντίθετον) pugnantia inter ſe coniungit ac committit:

Per remotionem. *Enthymema.* *Cõplexio.*

Oderunt peccare mali, formidine pœnæ.
Oderunt peccare boni, uirtutis amore.

arcum intentio frangit, animũ remiſsio. Periodus autem, & concluſio, quod uniuerſale eſt, in ſingulare ac proprium: & quod proprium, in uniuerſale: ac denique antecedentia cum conſequentibus cõnectit, una circunductione, uniusq; uerbi principalis ſententia. Quicunq; ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt: ambitus eſt. propoſitio namq; ſuſpenditur, nec ſinit animum quieſcere (quem ad aliud ſtatim conuerti fecit, quoad redditione poſita, quam promittebat,

Periodus. *Concluſio.*

mittebat,expleatur.et conuerſionem quidem relatiua plerunq; incipiunt:non in nominatiuo tantum,ſed in alijs caſibus etiam, & numeris. Cuius uita deſpicitur, neceſſe eſt ut etiam prędicatio cõicmnatur: quem quiſque odit, perijſſe cupit. Coniunctiones præterea conditionales,cauſales,aduerſatiuæ:quæ ſuſpenſa priori parte,ſententiam uno uerbo concludunt. Itaq; Antitheton aut res aut ſenſus pugnantes inter ſe committit. Nodum in ſcirpo quęris: pugnãt nodus & ſcirpus. odit populus Romanus priuatam luxuriam, publicam liberalitatem diligit:ſenſus contrarij, id eſt ex rebus & uerbis contrarijs. Quòd ſi contrarium circunducas hoc modo, Qui priuatam luxuriam odit,idem diligit publicam liberalitatem: argumentum quidem erit antitheticon, ſed interpretatio periodica. E' diuerſo,

—*Breuis eſſe laboro, Obſcurus fio:*—

formam habet antitheti paradiaſtoles, ſenſus tamẽ eſt periodicus, nempe: Quoniam breuis eſſe laboro, obſcurus fio. Deniq; ſyllogiſmus omnis tam categoricus quàm hypotheticus,una poteſt concluſione circunduci:& omnis inductio atq; contrarium, in orbem pari modo rotari:ut & periodus,quæ iuncta & conglobata eſt, raſis queat & æqualibus librari antithetis.nam quod ſentẽtiæ reſpondet in animo,non ſemper aut ubiq; retinetur in ſermone. Atq; hoc

Figura. quidem eſt quod figuram appellamus, cum in ſermone alia quædã forma & quaſi motus apparet, quàm ſit is quem in animo ſignificat. Sed de his ſuo loco,ubi exactius fortè antitheti naturam examinabimus. ſufficit enim huic rudis atq; uulgo percepta figuræ delineatio. Ergo in pauca complicatam argumentationem ferè dixe-

Acumen. runt acumen.ut,Si uitioſi liberi ſunt, non ergo ſunt ſerui: ſed ſerui demonſtrati ſunt,cum uoluptatibus & paſsionibus ſeruire comperiatur:ergo non ſunt liberi. Quare ſi hæc libertas eſt,nulla eſt ſeruitus.nam ſeruitus & libertas cõtraria ſunt,et ſimul eſſe non poſſunt.

Interrogatio per ſubiectionem. Interea nolo exiſtimes, interrogationem illam quam uocant per ſubiectionem,huius eſſe aut loci aut diſputationis. non enim argumentatio propriè eſt,etſi uehementiſsimè moueat: ſed figura altercationis.ut,Domus tibi deerat? at habebas,&c. Argumentum per inductionem. Sed:quid faciam? ibo'ne? conueniam prior? nullum argumentum. Licet præterea tam ſynodum, quàm contrariũ,& uno membro complecti,& pluribus:modò ſemper duæ partes ſibi reſpondentes appareant,& complicatę. Si grauida eſt mulier,cum

πρότασις. uiro concubuit.harum præcedens dicitur πρότασις, id eſt propoſi-

ἀπόδοσις. tio: ſequens ἀπόδοσις, id eſt redditio, Latinè adiunctum. quæ per ambitum, ſi argumenteris, hanc habere debent proportionem, ut redditio uel æqualis ſit propoſitioni, uel minor: nunquam maior.

poteſt

poteſt namq; propoſitio ex multis membris aut cæſis conſtare,ubi
tantum unius membri,aut unius commatis tantum,ſequitur reddi
tio. Sed contentionis alia ratio eſt. nam etſi redditio aliquando æ-
qualis priori ſententiæ inueniatur:tamen non rarò extenditur,pꝛę
ſertim in clauſula. Atq; hæc quidem præceptio in argumentando
ſeruator:nam in exordijs nil opus eſt:quæ quanquam ad elocutio-
nem pertineat,obiter tamen à nobis hæc ideo dicta ſunt,ut ſtudio-
ſorum diligentia excitetur.alioqui enim,niſi hæc tenueris in pręſen
tia, facilè poteris in ſequentibus propter rerum multitudinem hal-
lucinari.Siquidem tres illę formę eloquutionis,quas membrorum *Eloquutionis formæ.*
ratio exæquata componit, periodus,antitheton, & ſpiritus:ex tri-
bus his ortæ ſunt & fiunt,de quibus hic agimus:ſyllogiſmo inquã,
inductione,& contrario.Syllogiſmus periodum facit, contrarium
contentionem,inductio frequentationem, & quam Hermogenes
ſpiritum & productionẽ ſpiritus nominauit. Has igitur argumen-
torũ formas teneas iubeo diligenter.nam partes argumenti omnes
quas tradituri ſumus,ſemper uel ſyllogiſmi,uel inductionis,uel en-
thymematis,aut(ut dixi)complexionis formam referunt.

De expolitione argumenti. Cap. 20.

SEQVITVR iam,ut cuiuſq; argumẽti partes uideamus,
ſiue eas expolitiones ſiue abductiones uocemus: quot
inquam modis dilatetur argumentum:& quibus, ab u-
no eodemq́; loco deſumptum,confirmari,expoliri'que
poſsit.Id nos difficillimum eſſe diximus. à paucis enim obſeruatũ,
& ne ab ipſo quidem Cicerone ſatis deprehenſum fuit: qui naturæ *Ciceronis naturæ ubertas.*
quadam indicibili ubertate atque exercitatione, ut maximi quiq;
amnes curſum & alueos ſibi quàm commodiſsimos, ſolo naturæ
impetu,nullo iudicio effecerunt: ſic iudicio & coniectura quid in
quoq; dicendi genere pulcherrimum foret,ac decentiſsimum,dex-
trè eſt feliciterq́; cõſequutus. quod cum in ſeipſo admiraretur,mul
ta cõſcripſit de arte dicendi,& admodũ uaria:ſed tam inter ſe com-
mixta, ne dicã cõfuſa, ut difficillimũ ſit certã in omnib. tenere ratio
nem. nam Quintiliano ne per inſomniũ quidẽ hæc uenerũt in men *Quintiliano quæ prætermiſſa.*
tem.Quanq; Halicarnaſſeus, exquo is bonã ſuę doctrinę partẽ cœ
pit,exergaſias epicherematũ enumerat procataſceuen,ephodõ,me
riſmon,& ποικιλίαν σχημάτων. Sed hæc nobis nõ magno uſui fuere.
Quapropter ſi pluribus hic utimur q̃ fortaſſe utendũ uideretur, ex
fructu penſato laborẽ: nec nobis obſtrepe,niſi prius aliud oſtẽdas
melius,aut facilius.Itaq; ad propoſitionẽ reuertamur.Quanq; ſunt
quatuor probationis partes, primùm ac proximè conſiderandę,ue *Probationis partes.*
luti capitis propoſitio,id eſt προβολὴ:deinde ratio,hoc eſt argumen
tum à circunſtantia ſumptũ:tertiò rationis confirmatio à capitibus

> Expolitiones. ἐξεργασίαι. Aggreſsiones. Argumētationes. ἐπιχειρήσεις. ἐπιχείρημα. ἐργασία. ἐνθύμημα. ἐπενθύμημα. ἐξαίρεσις. προτίμησις. περιστάσεως ὑφήγησις. ἐπεξεργασία. βίαιον. Diuiſio negotij. Fictum argumentum. Concluſio. συμπέρασμα. περιτροπή.

primis: quartò exornatio, quam quidam dicūt enthymema, alij προσαποδόμησιν, alij aliter: tamen, ut nihil ignores, idem argumentum poſſumus undecim modis aggredi, uel abducere, quos modos nūc appellato uel aggreſsiones, uel confirmationes, uel argumentationes, uel expolitiones, utcunq; lubebit: nos reliquos à primo dicemus poſtea expolitiones, & Græcè ἐξεργασίας: omnes autem in uniuerſum aggreſsiones Latinè, aut argumētationes, & Græcè ἐπιχειρήσεις. Primam præterea aggreſsionem, per antonomaſian, ἐπιχείρημα. continet enim argumenti totius propoſitionē, καὶ τὴν προβολήν. alteram autem, ἐργασίαν. potes hanc appellare confirmationem, elaborationem, expolitionem, diligentiam efficacitatis. tertiam ἐνθύμημα, id eſt acumen. eſt autem enthymema, expolitio ergaſiæ, ex cōſideratione deſumpta circunſtantiæ duorum appoſitorum, aut ſimilium. Quarta aggreſsio (quia iungit enthymemati alterius circūſtantiæ conſiderationem) dicta eſt ἐπενθύμημα. Quinta ἐξαίρεσις, uel προτίμησις, id eſt intentio præcipua. Hæc enim per additamentum explet, quod non poterat ex ſeipſo efficere enthymema. Sextā Græcè dixeris περιστάσεως ὑφήγησιν, id eſt circunſtantiæ declarationem. Septima eſt ἐπεξεργασία, alia elaboratio, ex alio ſcilicet capite reperta. Octaua Latine uiolatio, Græcè βίαιον. Nona eſt diuiſio negotij ab imo ad ſummum. Decima, ficta diuiſio, ſeu fictum argumentum. fingit enim καθ' ὑπόθεσιν, id quod non eſt, perinde ac ſi eſſet. ultima ponitur concluſio, uel acclamatio cum epilogo. Tot igitur obſeruandæ expolitiones. niſi fortaſſe ab hoc numero ſecludendam putas uiolationem: quippe quæ magis epicherema, quàm expolitio epicherematis, uideatur. proinde non repugno, dum eius quoq; uſum teneamus. quoniam eſt huic inter argumenta (ut mea fert opinio) non ultimus locus tribuendus: nobis tamen proderit ad inueniendum dilemma. Nec minor quidem ideo habebitur numerus argumentationum, etiamſi hanc remoueas: quia concluſio, quam dicunt συμπέρασμα, longè profectò differt ab acclamatione. Sed propter uim maximam quam habet uiolatio, non ineptè etiam hic recenſebitur: & ſi probaſs quatenus inter partes argumentationis huiuſmodi reperitur, uocabimus περιτροπήν, id eſt inuerſionem, ut differat à capite antitheſeos.

προβολή. *Cap. 21.*

> Circunſtantiæ negotij diligenter expendendæ.

SIVE igitur caput inducamus ipſi, ſiue poſitū ab alio ſoluamus, ſiue noſtra confirmemus, ſiue refutemus aliena: omnes ſunt negotij circunſtantiæ diligentiſsimè inſpiciendæ, atq; obſeruandæ eueſtigiò. Deducuntur enim & capita & capitum rationes, ab ipſis. nam ſi agendum eſſe quippiā uidetur, id uel ratione tēporis, uel loci, uel perſonæ, uel rei, uel cauſæ, uel

ſæ,uel modi uidebitur.Nec aliter in alio quouis themate,quicquid contingit oratione tractari. Doceamus noſtro modo.Q.Fabius accuſatur proditionis,quòd eius agrum non uaſtarit, cætera depopulatus,Annibal. Status cauſæ eſt cõiecturalis:cuius caput unum defenſionis ponat̃, ſi lubet, ἐλέγχων ἀπαίτησις, nempe hoc: Credēdum non eſt accuſatori abſq; teſtibus.Argumentum unum fieri poterit paragraphicon à negotio: Non debet tantum crimen, quantum eſt proditionis, abſq; teſtiū certiſsima fide credi. Aliud à perſona:Iniquum eſt, contra Fabium crimen abſq; teſtibus audire. A' loco: In democratia non debet admitti accuſatio ſine teſtibus. A' cauſa: Oportet teſtes adeſſe,ne poſthac fictis criminibus utãtur improbi ad perniciem proborum.A' tempore:In turbulento hoc reipub.ſtatu.A' modo:Tam compoſita & affectata accuſatio per ſe ſola credi non debet. Si in diuerſum autem idem caput ponatur, à perſona argumẽtum ſumetur:quòd ob dignitatem Q.Fabij nemo audebit teſtimonium dicere. A' re:Tantum ſcelus non ſolet fieri coram teſtibus.A' cauſa:Si hic teſtes quęritis iudices(cum ſit compertum uobis crimen)efficietis profectò, ut quibus non defuerit facultas abſque teſtibus, ijs nec deſit audacia delinquendi. Atque his quidem modis inueſtigabis epichremata,non ſolum in omnibus, ſed in ſingulis etiam partibus negotij plura.nam in perſona,noſtrã licet excutere,& aduerſarij,& iudicum,& aliorum. & in loco plures ſunt partes:& temporis multæ conſiderationes,ut primo libro demonſtrauimus.non ſunt tamen omnia tam ſolicitè,tamq; miſerè inquirenda,ut prę diligentia uno in loco hærentes,ex copia fiamus inopes. hoc uſuuenit frequẽter ijs,qui artem potius quàm propriũ iudicium ſequuntur.Eliges ergo non niſi quæ momenti aliquid habuerint:reliqua contemnes. Artis namq; eſt, materiam locosq; inuentionis oſtendere: ſed eius qui arte utitur, iudicij, ea ſeligere & optare,quæ proſint. Inter cętera aũt argumenta ſi unum aliquod cupis grauiter atq; dilucidè explicatum, methodũ quã paulo antè promiſimus, paucis accipe.Ex circunſtantia (uti demõnſtratum eſt) ſumptum argumentum, forma aliqua uel ſyllogiſmi, uel inductionis,uel complexionis,propones.hæc erit prima aggreſsio,quã nos epicherema definiuimus: nec pluribus exẽplis puto opus eſſe. Tantum memineris,proponẽdum eſſe aliquo modo id quod uelis efficere cum fiducia,maximè poſt ananeoſin.Quónam igitur pacto probari poteſt,inſidias Miloni feciſſe Clodium?Primum argumẽtum: Satis eſt quidem in illa tam audaci, tam nefaria belua, docere, « magnam ei cauſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, « magnas utilitates fuiſſe. In alijs autem argumẽtis propoſitio per « cataſtaſin & tranſitionem adhibebitur: non adeò fidenter atque

Circunſtantiarum tractatio.

» in primo. Reliquum eſt, ut iam illum natura ipſius, conſuetudoq́
» defendat. Sic ergo fiet prima aggreſsio ac προβολὴ: propoſitio inquam totius probationis atq́ argumenti, quod ab una circunſtantia deſumitur. Sequitur prima expolitio.

Ergaſia. *Cap.* 22.

Argumentum & ergaſia quid differant.

SICVT argumentum ad probandam aut refutandã quæſtionem aſſumitur: ſic ad corroborationem argumenti ergaſia. Hoc uerò intereſt inter argumentum & ergaſiã, quòd argumentum ex circunſtantia conficitur, ſed prima elaboratio ex capitibus primis: ut à ſimili, ab autoritate, ab exẽplo, à repugnantibus, à comparatione. Et falſi ſunt planè, qui hæc prima capita inter locos argumentorum repoſuerunt. Cauſa uerò erroris inde ſumpta eſt, quòd huiuſmodi confirmationes cum abſque propoſitione argumenti ſæpiſsimè adferantur, non expolitiones argumentorum, ſed argumentorum capita eſſe exiſtimata ſunt. Sed facilè eſt deprehendere, & nos exemplo demonſtrabimus. Inſtãte bello Mithridatico Põpeius poſtulat, ſibi dari eius belli prouinciam & imperium, alioqui tamen imperator: cõtradicitur à Catulo & Hortenſio: quia nouum eſt atq́ inſolitũ in Romana repub. ut ad unum omnia deferantur. Pro Pompeio fiet paragraphe, excipiemusq́ à cauſa: quia expedit, licetq́ noua agere, cum conducit. Primum epicherema à tempore: proprium namq́ prudentiæ eorum qui præſunt reipub. eſt, propter inexpectatos caſus noua conſilia quærere: & propter apparẽtem utilitatem, mutare quæ prius fuerant in more: nos ergo tempori ſeruiemus, non cõſuetudini. Ergaſia ab exemplo; Maiores noſtri ſemper in pace conſuetudini, in bello utilitati paruerunt: ad nouos caſus temporum, nouorũ conſi
» liorum rationes accommodarunt. Non dicam duo bella maxima,
» Punicum & Hiſpanienſe, ab uno imperatore eſſe confecta: duas ur
» bes potentiſsimas, quæ huic imperio minabantur, Carthaginem at
» que Numantiã, ab eodem Scipione eſſe deletas, non cõmemorabo,
» nuper ita uobis patribusq́ ueſtris eſſe uiſum, ut in uno C. Mario
» ſpes imperij poneretur, ut idem cum Iugurtha, idem cum Cimbris,
» idem cum Theutonis bellum adminiſtrarit: & cætera quę ſequuntur in oratione pro lege Manilia, ubi licèt multa inuenias congeſta exempla, unam tamen dicimus elaborationem, per inductionẽ expoſitam. potes enim & ſyllogiſmo quoq́, & contentione, exemplũ interpretari & circunducere (uti diximus) ſi lubet. & negatiuè ita dilatatur argumentum ab ergaſia: In quo equidem cõtinentiſsimorum hominum maiorum noſtrorum ſæpe requiro prudentiã, &c. Sed huiuſmodi chriæ per negationem minus confirmant, dilatant magis, niſi ipſæ aliunde confirmentur, illuſtrant tamen, ſicut & alia

exempla

exempla & collationes. Itaq; ad ſplendorem facit in primis hæc pri
ma ergaſia. Sed illud obſeruandum, ut ſi ab alijs locis, hoc eſt à ſi-
mili, à contrario, à comparatione uis argumentum primum corro-
borare, iam aliam facies expolitionē, quæ epergaſia dicitur. Sed ſi *Epergaſia.*
hic uolumus hærere, & diligentiam aliam atq; argumentationem
in aliud tempus remittere, facta ergaſia enthymema ſtatim contor-
quebimus. De quo hæc quæ ſequuntur accipe.

De enthymemate. Cap. 23.

ENTHYMEMA eſt oratio emphaſin continens, aut con- *Enthymema quid.*
ſequutionis aut pugnæ. Sequuntur autem ſenſus, tam
ex indicijs, quàm ex ſignis. τεκμήρια uocat Ariſtoteles ſi- *τεκμήρια.*
gna neceſſaria: alia uerò σημεῖα. pugna autem fit ex om- *σημεῖα.*
nibus oppoſitionibus. Quare miſſos hic facio locos enthymematū,
quos quidā unum & uiginti, alij plures, alij pauciores numerarūt:
quia poſſunt ex circunſtantijs multo plures inueniri. Tu igitur ex-
quires in exemplo dato circunſtantiam, ex qua comparatio, ſimili-
tudo, aut repugnantia deſumatur: & per contentionem, uim, effica
citatemq; argumenti augebis. ut, Illi conſuetudinem ſoluerunt, ut
principibus uiris inſeruirent: nos ut ſociorum libertatem retinea-
mus, erimus adeò imprudenter religioſi? Hoc enthymema ſumptū
eſt (ſi aduertis) à cauſa per contrarium. Cicero à comparatione
perſonæ, ſic: Quæ in omnibus hominibus noua poſt hominū me- “
moriam conſtituta ſunt, ea tam multa non ſunt, quàm hæc quæ in “
hoc uno homine uidemus. In Miloniana: Pudicitiam eum eriperet “
militi tribunus militaris in exercitu C. Marij, propinquus eius im- “
peratoris interfectus ab eo eſt cui uim afferebat. Hæc ergaſia di- “
greſsionem admiſit: facere enim probus adoleſcens periculoſe, q̄ “
perpeti turpiter, maluit. Redit ad ergaſiam: Atq; hunc ille uir ſum- “
mus ſcelere ſolutum, periculo liberauit. Sequitur acumen: Inſi- “
diatori uerò & latroni quæ poteſt afferri iniuſta nex? Hoc enthy- “
mema ſumptum eſt à re: quod grauius eſt inſidiari uitæ q̄ pudicitiæ: ta
men orator pro re perſonā ſuppoſuit, inſidiatorē & latronē. Habes
ergo per hanc expolitionē, circunſtantiā ergaſię cum circunſtantia
negotij cōparari. Quapropter Cicero contrariū appellauit enthy-
mema, & ex contrarijs ſemper cōponi dixit. quo etiam fit, ut rarò,
quàm per contentionem, interpretatum inuenias. hæc enim ratio
in orbem reducta, quanto ferit celerius, tanto magis oſtendit acu-
men ingenij. quę niſi ſubitò omnia antecedentia & conſequentia &
pugnantia tecum ipſe perluſtres, uix poterunt decenter librata ca-
dere. At ſi cogitatione celeri complectaris tam negotij quàm exem
pli partes, & eas ad tuæ cauſę referas ſtatum, ut niſi quod profit ma
ximè elicias: in promptu fuerit oppoſitiones uerborū pondere atq;

æqualitate quaſi trutina librare, aut ſemigyro tanquam fundæ cum impetu ſonituq; magno torquere. Nam niſi paucis & celeriter complicetur, lentè feriat enthymema. Sunt qui figuras enthymematis numerant quinq;: ut uel ſententia generali, de re qualis eſt, aut qualis eſſe debet, generaliter pronunciet: uel ſyllogiſmo ex uniuerſalibus ad particularia: uel demonſtratione breui ex conſequentibus: uel electione ex contrarijs ſibi oppoſitis & repugnantibus. ut, Turpe enim eſt laudare uirtutem uerbis, & eos qui uirtutem colunt uexare, uel deniq; exemplo. Sed quia poſſunt aliæ figuræ etiam inueniri, hæc ad eloquutionem reijcimus.

Enthymematis figuræ quinq;.

Epenthymema. Cap. 24.

POSSVNT & aliæ circunſtantiæ inueſtigari in eodem exemplo, uti dixeram: ut rei, perſonæ, temporis, loci atq; hæc uel ſimul omnia, uel ſeorſum: fientq; aggreſsiones aliæ multæ, ut à re: Illi conſulatum ante alium magiſtratum gerere paſsi ſunt, qui primis eſt honor populi Romani. à perſona: Scipionem, adoleſcentulum, nullius rei geſtæ gloria inſignẽ. à tempore: Nulla belli difficultate compulſi. nos ergo qui non Cõſulem, ſed Imperatorẽ: nec adoleſcentulum Scipionem, ſed magnũ Pompeium oppreſsi coactiq; bello grauiſsimo, honoramus, quid eſt quod debeat rei nouitas deterrere? Ex epenthymemate elicitur acclamatio, addendo aliquid extrinſecus ad augmentum. ut ſi poſt exemplum expulſi Tarquinij propter libertatem, addas epenthymema: Atqui ille Tarquinius, non crudelis, non impius, ſed ſuperbus fuit. Acclamatio: Quod uitiũ nos in priuatis ſæpe tulimus, id maiores noſtri ne in regibus quidem ferre potuerunt, & in noſtro: quanto igitur turpius eſt, propter adoleſcentẽ unum leges omnes contemnere, quàm propter ſalutem reipub. aliquid innouare: tanto iniquius eſt, hoc tempore conſuetudinem reuereri, quàm eandẽ negligere. Sic uides epenthymema cum uehementia quadã atq; impetu, id eſt ἐκ καταφορᾶ (ut autor eſt Harpocration) trahi ab enthymemate. Illud autem ſuprà dictum ſæpius eſt, ab ſpecie ad genus, & contrà à genere ad ſpeciem conuertendum eſſe ſermonẽ. ut hic, Qui pueros in pace reipub. præficiunt, ijdẽ in bello fortiſs. atque exercitatiſsimos proculdubio optabunt. Omnis ſiquidem μεταποίησις grata eſt, & mouet.

Acclamationis uſus in epenthymemate.

Exæreſis. Cap. 25.

ALIA autem corroboratio hac forma ferè introducitur: præſertim cum iam ſuo iure populus Rom. autoritatẽ ſuam poſsit in hoc homine defendere: præſertim cum aliter agere nequeamus: uel, Quid ſi aliter non poſſumus? Explet itaque ἐξαίρεσις, tanquam per additamentum, quod

ex ſe

ex ſe non poterat enthymema efficere:idq; ex antecedentibus,conſequentibus & adiunctis, reſtringentibus aut dilatantibus conſiderationem circunſtantiæ. Quocirca & alterius argumenti aggreſsionem te inferre ſenties ea forma, niſi obſerues, ut hic, Quid ſi aliter non licet? Quin & caput generale, non ſolum argumentum aliud: uerùm tunc propria eſt expolitio,cum ex alia cōſideratione circunſtantię deſumitur. ut in Miloniana argumentum eſt,quòd ἀπὸ καιροῦ ſumptum à tempore, & per comparationem expolitur multarum occaſionum, quas non cepit Milo occidendi Clodij. Concluditur hoc enthymemate: Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc uoluit cum aliquorū querela? Quem iure,quem loco,quem tempore,quem impunè nō eſt auſus,hunc iniuria,iniquo loco,alieno tempore,periculo capitis non dubitauit occidere? Sequitur ἐξαίρεσις: Præſertim Iudices,cum honoris ampliſsimi contentio,& dies comitiorum ſubeſſet: quo quidem tempore (ſcio enim quàm timida ſit ambitio, quantaq; & quàm ſolicita cupiditas cōſulatus:)omnia nō modò quæ reprehendi palàm, ſed etiam obſcurè cogitari poſſunt, timemus:rumorem,fabulam,fictam,falſam perhorreſcimus,ora omnium atq; oculos intuemur. In propoſito themate:Maximè cum ipſi non perpetuum,ut illi fecerūt,ſed tantum dum bellum hoc difficillimum conficiatur. Sumpta enim à differentia temporis eſt hæc appendix. Igitur prioribus adiūges epitaſin per hæc aduerbia:prę ſertim,alioqui,maximè,adde,nedum.ut, Nec tamen Epaminondæ permitteretur,niſi extra iudicium,nedum nunc cum præſtò eſt lex.

περιστάσεως ὑφήγησις. *Cap. 26.*

NVSQVAM non ſe ingerit atq; inſinuat quædam circunſtantiæ explicatio,quam nos è re ſumpto uocabulo Grecè appellamus πρόσθεσιν,id eſt appoſitionem,uel περιστάσεως ὑφήγησιν, neq; enim proprium nomen, quod fuerit in uſu ueteribus,hactenus inueni. etſi fortè extat, nō puto ab huius intellectu magnopere diſcrepare. *πρόσθεσις. περιστάσεως ὑφήγησις.* Amplificat autem hæc expolitio unam aliquam negotij partem, quam exponit: & plerunq; per relatiuum nomen inducitur. Optamus Pompeium,qui rerum geſtarū gloria & uitæ integritate dignus eſt, propter quem leges nouę nouiq; mores inſtituantur. Perſonę eſt declaratio. item à tempore: Hoc bellum difficillimum, in quo tota ſalus uertitur reipub. in Miloniana exæreſi,quæ ſumpta eſt ex perſonæ alijs circunſtantijs,actiones & alia adiecit hęc argumentationis forma: Adde inſcitiam pranſi,poti,oſcitantis ducis:qui cum à tergo hoſtem intercluſum reliquiſſet,nihil de eius extremis comitibus cogitauit: In quos incenſos ira,uitamq; domini deſperātes cum incidiſſet,hæſit in pœnis, quas ab eo ſerui fideles pro domini uita expetiuerunt. Hoc

exemplo poteſt patêre,quantam excurrendi licẽtiam præbeat una circunſtantiæ explicatio.Potes enim ex una aliam trahere, & producere exercitum rationum infinitum. Facit autem expolitio hæc

χοινοτενὴς. formam illam compoſitionis,quam Gręci uocant σχοινοτενὴς, id eſt longum membrum. nam quemadmodum ex oppoſitione potiſſimum fit antithetõ,à ſyllogiſmo periodus, ab inductione ſpiritus: eodem modo fit ab hac continuatio. quia formam gerit magis narrationis,quàm argumentationis, ſententiæ quaſi funiculis extenſa continuatio. Egredi igitur licebit in rerum geſtarum expoſitiones,deſcriptiones,fabulas,apophthegmata. Atq; huius quidem occaſione D.Paulus in ſuis epiſtolis tam longè excurrit ſępenumero, ut propter ignorantiam argumenti non paucos contingat à mente Apoſtoli toto(ut dicitur)cœlo aberrare.

ἐπεργασία. Cap. 27.

Epergaſis. Secunda elaboratio. HACTENVS quidem prima aggreſsio producta eſt. Iam ſi ad idem argumentum alterius loci uim atq; robur adhibeas, illud genus expolitionis fiet, quod modò diximus epergaſiam : tu uoca, ſi lubet,ſecundam elaborationem. nam ſicut enthymematis relictas circunſtantias tribuimus epenthymemati,ſic epergaſiæ relictos ab ergaſia locos antè reſeruauimus. Et quia in prima noſtri thematis argumentationem duximus ab exemplo,hic poſſumus & à ſimili,& à contrario,& comparatione,& ab omnibus ſimul cõcludere.ut à comparatione: Potior eſſe debet utilitatis ratio apud nos,quàm conſuetudo, quæ utilitatis cauſa publicæ retinetur.à contrario: Qui nihil innouandum cenſent,etiam cum utilitate reipublicę, ij non ſaluti ueſtræ, ſed autoritati ſuæ ſtudere comperiuntur. à ſimili : Quid eſt quod nunquam præter naturam propriamq; conſuetudinẽ agit? ferę diſcunt manſuetudinem,& mitiſsima animalia ſęuire aſſueſcunt:rei militaris peritiſsimi nunquam niſi pro loco & tempore cepêre conſiliũ. Quàm alio modo nunc inſtituuntur acies,q̃ olim? Propugnacula illa uetuſtiſsima quæ cernuntur, quàm dij boni ab his differunt, quæ fieri uidemus hac noſtra tempeſtate? Quid de agricultura dicam? indies aduehuntur ex regionibus exteris colendæ terræ mores ac ritus noui, &c. Huius autem aggreſsionis non minor eſt facilitas, quàm lux atq; ſplendor. nam in oratione, ut notum eſt, uix quicquam aliud inuenias luculentius,quàm ſunt ſimilia,& diſsimilia,& comparata.

De uiolatione. Cap. 28.

βίαιον. INSTAR concluſionis plerunq; infertur uiolatio, Græcè βίαιον dicta,quoniam ui maxima ſoluit atque euertit oppoſitionem. Non ergo mutatur propterea conſuetudo reipub. ſi magnitudine belli coacti Pompeium optamus:

optamus:ſed magis retinetur: nec nouum eſt id quod petimus, ſed in omni uita uſitatiſsimũ,ut pro tempore & occaſione omnis agendi ratio immutetur. Hæc eadem argumentatio poteſt elegantiſsimè dilemmate,id eſt diuiſione,uel(ut alij uocãt)complexione comprehendi. Vel nulla conſuetudo unquam introducta eſt in remp. uel contra conſuetudinẽ aliam eſt introducta. Aut hoc modo: Vel nulla conſuetudo eſt, uel certè conſuetudo eſt ut contra conſuetudinem aliquando agatur. Argutiſsima quidem ratiocinatio,ſed inuentu difficillima. nam ut contraria ſimul ſic habere ſe contingat, ut idem ab utroq; efficiatur,certè rariſsimũ eſt. ex quacunq; tamen uiolatione,ſi animum ad ea aduertas tam quę per enſtaſin probaueris, quæ uiolenter aſſeruiſti, diuiſa cogitatione non magnũ opus fuerit,utrinq; aduerſarium, & utroq;(ut dicitur)cornu ferire. Itaq; dilẽma(ut uidetur)acumẽ eſt uiolationis: & uiolatio, expoſitio dilemmatis. Per quod cum problematis cõtentione,in diuerſum uſurpamus id quod à uiolatione deductũ eſt. ut, Vel mea eſt domus, uel non eſt mea. Si non eſt mea,nec tu hæres es. ſi mea eſt,& fundus etiã meus erit. ergo, uel tu hæres non es, uel meus eſt fundus. Fit autem hoc acumen interdum unica redditione. ut, Vel tu hæres non es,uel meus eſt fundus. Interdũ duplici:ut,Si tu es hæres,teſtamentum ratum eſt,in quo hæres inſcriberis:ſi mea non eſt domus in teſtamento legata, nec tu hæres eſſe potes, qui teſtamentum reiecceris. In noſtro themate: Vel nulla eſt conſuetudo,uel contra aliam eſt introducta. una fit redditio. Duplex autem:Si aliqua eſt conſuetudo,illa eſt contra aliam introducta:ſi nulla præceſsit alia, nec iſta conſuetudo dicitur,ſed natura. Dicitur autem δίλημμα, quod propoſitioni duo addat λήμματα, cum deſtructionib. duabus. Exemplo rurſum demonſtrabitur etymon: Quid de meis rebus loquar? hæc propoſitio eſt: Si meminiſtis, obtundam: ſin obliti eſtis, quid proficiam? Duo aſſumpta ſunt cõtraria, meminiſtis, & obliti eſtis, utrunq; euertitur adiuncto.

Diuiſio negotij. Cap. 29.

EA diuiſio negotij, quam ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους nominãt, eadem quodammodo eſt fictę diuiſioni. hoc autem differt,quòd non alia quàm ea quæ poteſt tacita comparatione augere, inquirit. ideoq; & incrementum dicitur. Sed ficta diuiſio in ijs cernitur,in quibus ea quæ non exiſtũt,ſic fingimus, ut ſi exiſterent, aliud quid poſtularemus. prætera diuiſio negotij inductionis formam plerunq; tenet, illa uerò cõtrarij. illic enim dicimus, Si ſic egiſſet,nos agere ſic oporteret:ſed quia non ſic egit,nec nos ſic agere oportet. in hac dicimus: Et hoc & illud egit: uel non tantùm hoc,ſed etiam illud. Eſt enim forma huius duplex,

&

Dilemma.
ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους
Incrementum.

& duplex expoſitio.una, per incrementum: ut, Non tantum hoc, ſed hoc.altera,per enarrationē, ſeu enumerationē corū quæ ſunt in negotio: ut utriuſq; exemplū in noſtra inuenias,& primæ quidem
» in primo argumento,quod à cauſa deſumptū eſt: Atqui Milone in-
» terfecto Clodius hoc aſſequebat̃, nō modò ut Prætor eſſet,non eo
» Conſule quo ſceleris nihil facere poſſet:ſed etiā his Cōſulibus Præ-
» tor eſſet,quibus ſi non adiuuantibus, at conniuentibus certè, ſpe-
» raſſet ſe poſſe rempub.eludere in illis ſuis cogitatis furoribus. Alterius exemplum in eodem argumēto eſt, alteram inquam partem eiuſdem argumenti ab exitu expoſuit ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους διηγη-
» τικῶς: At non P. Clodio mortuo uſitatis iam rebus obnitendū eſt
» Miloni,ut tueatur dignitatem ſuam. Singularis illa huic uni cōceſ-
» ſa gloria, quę quotidie augebatur frangendis furoribus Clodianis;
» iam morte Clodij cecidit,uos adepti eſtis ne quem ciuem metuere-
» tis:hic exercitationem uirtutis,ſuffragationem conſulatus,fontem
» perennem gloriæ ſuæ perdidit. In propoſito autem themate dices non tantum belli neceſsitate, ſed ſociorum timore nos compelli: qui ſibi timent ab imperatorum auaricia. Inuenitur itaq; genus hoc epichereſeos primùm in partibus negotij, tum in ſimilibus, contrarijs & comparatis: modò poſsit maius quippiam inferri. Maius autem dico,quod magis uidetur oportere. nam licet non ſemper à minori ad maius fiat argumentatio, ſed à maiori etiā ad minus frequenter: tamen ratio ſemper eſt à minori ad maius: id eſt, ab eo quod minus uidetur ineſſe, ut loquitur Ariſtoteles, ad id quod magis. Ne ex plebe quidem quiſquā hoſti tradendus eſt, nedum Demoſthenes. Interpretamur autem genus hoc incrementi nonnunquam per diaſtolen, & membratim, cuius nunc præit antecedens, nunc adiunctum. ut, Non hoc tantum egiſti, ſed hoc. & contrà: Hoc egiſti, non tantū illud. Fit etiam per ἐπίβασιν, id eſt aſcenſum: cum à minori ad maius, & ad id quod ſupra maximū eſt aſcendit̃. ut, Si ne uerbo quidem licitum eſt uiolare pietatē, ne obſequiū quidē denegare parentibus: iam in eum qui genuit uerberibus uti, an non parricidio proximū uidetur? Introducit̃ & per cæſa atq; frequentationem, ut in
» hac hypotypoſi: Recordamini per deos immortales, quæ fuerit ce-
» leritas reditus eius, qui ingreſſus in forū ardēte curia, quę magnitu-
» do animi, qui uultus, quæ oratio. Hæc cæſim dicta ſunt, poſtea per
» mēbra aſcendit̃: Neq; uerò ſe populo ſolū, ſed etiā ſenatui tradidit:
» neq; ſenatui modò, ſed etiā publicis præſidijs & armis. Potes & multas circunſtantias uno ſpiritu concipere: potes & ſeparare per prætèritionem. Siquidem multarum requiſitio diuiſionum non ſolum amplitudinem (quod in primis conantur) ſed etiam lucem dictionis affert. Sed tractari tamen debet, ut quæ frigida ſunt, & parui pon-

A maiori ad minus arg. & contrà.

ἐπίβασις.

ui ponderis,omittantur,aut contemnantur apertè: alia etiam con-
cedantur,ſi opus fuerit,ut hic: Quòd te ad ſepulchrũ lachrymãtem
uiderim,non magni facio,etſi poteram de tuo tunc ſcelere dignum
ſumere ſupplicium: nec accuſatione dignũ duco, quod ſtolæ oſcu-
lum infixeris (quanquam ne hoc quidem ferendum fuit) uerùm q
mihi exprobraueris coram populo infauſti cõiugiȷ̇ charitatẽ, num
tantam iniuriam ferre debet? num non triſtari? num ſupplicia non
poſtulare? Tale illud eſt exemplũ,quod ſæpe examinatur: Facinus
eſt uincire ciuem Rom. ſcelus uerberare, propè parricidium neca-
re: quid dicam in crucem tollere? uerbo ſatis digno tam nefaria res
appellari nullo modo poteſt.

Ficta argumentatio. Cap. 30.

NON penitus ergo ſeparata eſt à diuiſione negotiȷ̇, nec ab
illius forma multum differt ea expolitio, quam Græci
πλαστὴν ἐπιχείρησιν, nos fictam argumentationem, ſeu fi-
ctam diuiſionem nuncupamus: aliȷ̇ antitheton,id eſt con
tentionem. Eſt autem fictæ arpumentationis natura, ut ex diuiſio- *Fictæ argumẽtationis natura*
ne negotiȷ̇ quæ per incrementum fit, & ex ficta diuiſione, tanquam
ex negotio & axioſi, una fiat concluſio. ut, Si in hoſtes talia egiſſes, *Aggreßio ſiue axioſis ficta.*
uenia dignum non fuerat (hoc dicere placet fictam aggreſsionem
& axioſin.) nunc uerò non in hoſtes, ſed amicos & neceſſarios cum
ea feceris, quid commeruiſti? hic aſſumptum cum concluſione cir-
cunductum eſt. In noſtro themate, Cicero: Hoc ſi uos temerè feci- «
ſtis, & reipub. parum conſuluiſtis, rectè iſti ſtudia ueſtra ſuis conſi- «
liȷ̇s regere conantur: ſin autem uos plus iam in repub. uidiſtis, uos «
his repugnantibus per uoſmetipſos dignitatem huic imperio, ſalu «
tem orbi terrarum attuliſtis, aliquando iſti principis & ſibi & cæte «
ris populi Rom. uniuerſi autoritati parendum eſſe fateantur. Eſt «
autem munus fictionis, non quidem fingere ut maius inferas à mi- *Fictionis munus.*
nori, quemadmodum in diuiſione negotiȷ̇: aut maius ſepares à mi-
nori: ſed magis, ut aut idem concludas, quod eſt in epicheremate
propoſitum, aut contrarium eius, ex repugnantia uel ſimilitudine
rationis deſumptum: quippe quod non minus oporteat, aut quod
ex cõtrario ſequatur. Hac de cauſa tribus partibus ſubſiſtere de-
prehenditur. prima eſt ficta ipſa elaboratio, altera concluſio, tertia *Fictionis partes.*
axioſis. Exemplo alio doceamus. Philoſophus tyranno perſuaſit,
ut depoſita tyrannide priuatus uiueret: & petit à populo mercedẽ
tyrannicidæ. Si non feciſſem, ſed facturum me antea dixiſſem, non'
ne præmium aliquod promittenti conſtituiſſetis? ita puto. Hoc fi-
ctum eſt, quia non factum. Concluſio: Ergo poſtquam factum eſt,
qua ratione negabitis? Axioſis: Graue quidem eſt, pollicenti ſe fa-
cturum quicquam ſtatuere: ei uerò non reddere, qui perfecerit.

Ducun-

Ducuntur porrò ficta argumenta primùm ab oppoſito eius quod in ergaſia repertum eſt: tum ex circunſtantia quæ deſideratur, aut ex contrario eius quæ reperta eſt in negotio: tertiò, ex oppoſito totius negotij aut propoſiti. Et oppoſitum quidem totius negotij ſumitur in hoc, Si nõ feciſſem, ſed facturum me antea dixiſſem. & hic, Si patriam læſiſſem, puniendus eram: ſed cum profuerim, quid reijcior tanquam inutilis? item, Si magnum aliquid ego poſtularem, iure id forſitan poterat negari. Atq; hæc quidem ex diuiſione negotij ſumpta ſunt: poteſt tamen ſimilis oppoſitio quoq; ſumi ex diuiſione rei ſimilis. ut, Si non liberaſſem patriam tyrãnide, ſed nuncium aliquod lætum attuliſſem, aut ſpectaculum propoſuiſſem populo, quis me reijceret præmiũ poſtulantem? Ex oppoſito autem circunſtantiæ: Si in pace degeremus, non contenderem ut aliquid innouaretur. Ab oppoſito ergaſiæ: Si maiores noſtri religione legũ, non Scipionem, ſed alium aliquem reipublicæ præpoſuiſſent, careret noſtra ciuitas ea gloria, quam ex euerſa Carthagine reportauit. uel, Si ex patribus tunc aliquis dixiſſet, nihil innouandum fuiſſe, meritò ut demens fuiſſet exploſus: ergo neq; nunc probari debet ea ſententia, quando non minus eſt nobis neceſſaria prudẽtia dignitasq; Pompeij, quàm erat tunc fortitudo Scipionis. Atq; hæc ſufficient, ut intelligas, omnem negotij diuiſionem καθ᾽ ὑπόθεσιν poſſe expoliri. Hinc quoq; eſt, ut aliquando fictũ enthymema & argumentationem hypotheticam appellari comperias. fingit enim hypotheticôs, quid futurum eſſet, ſi aliter fuiſſet. Et incrementa quidẽ quantitatis per proximam diuiſionem & hanc hypotheſin fieri ſolent: cum ea quæ multo minora ſunt, etiam intoleranda uideantur. Si pulſaſſes tantum, quis ſuſtinuiſſet? at uulneraſti. Cæterùm illud intelligẽdum eſt, diuiſionem hanc per ſpiritum poſſe tractari, cum antitheto & periodo: ut in exemplo Ciceronis licet uidere, & hic: Si
» quis eſſet prudẽtior, ſi quis fortior, ſi quis cõtinentior Pompeio, nõ
» contenderem, nihil hic peterem, cederem profectò conſuetudini
» quam tantopere commendatis. nunc uerò cum in uno Pompeio
» hæc omnia cernãtur, ſumma ſapiẽtia, ſumma modeſtia, ſumma uir-
» tus, tanta rei militaris prudentia, quantam bellum hoc difficile re-
» quirit, quis eſt qui nouos rudesq; imperatores potius, &c. cẽſeat eligi debere? Reliqua eſt igitur concluſio, de qua pauca ſufficient, ut finem huic loco imponamus.

Oppoſitum negotij. — *Oppoſ. circunſtantiæ.* — *Ergaſiæ oppoſitum.*

Epiphonema. Cap. 31.

Claudendæ argumentationis duplex ratio.

DVOBVS modis clauditur argumentatio: nimirum epiphonemate, hoc eſt acclamatione, ut,

Tantæ molis erat Romanam condere gentem:

O' Dij immortales, non intelligunt homines quàm magnum

magnũ uectigal ſit parſimonia. & epilogo, id eſt breui repetitione argumenti. Falluntur enim qui argumẽta, ut conuiuia, omnia dragematis & botriculis claudenda exiſtimant. Sufficit enim aliquando ſola argumentationis collectio per ſyllogiſmũ aliquem, uel inductionem repetens uniuerſa, uel per contrariũ. ut, Quàm hoc nõ credibile in hoc, quàm idem in Clodio non dubitandum, qui ſe, interfecto illo, regnaturum putauit? Eſt autem acclamatio, ſentẽtia extrinſecus aſſumpta, cum audacia. *Acclamatio.* Et apoſtrophe eſt ad ſententiam facta cum cataſtaſi, non ſyſtaſi. ut, *Tantæ molis erat, &c.* *Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.* Duo autem propria inuenio epiphonematis: unum, ut cum fiducia proferatur: alterũ, ut ſermoni apponatur tanquam coronis, extremaq́ ſententia. *Epiphonematis duo propria.* Ex primo efficitur, ut extrinſecus aliquid aſſumat, nõ ſine audacia. Verùm id quod aſſumitur, cauendum ne prorſus à negotio diſſentiat: conueniat enim oportet aliquo modo. Id autem tunc impunè fiet, ſi rerum appareat aliqua ſimilitudo, aut neceſsitas conſequutionis. Virgilius:

Unà Euruſq́ Notuſq́ ruunt, creberq́ procellis
Africus, & uaſtos uoluunt ad ſidera fluctus:
Inſequitur clamor' que uirûm, ſtridor' que rudentum.
Eripiunt ſubitò nubes cœlum' que diem' que
Teucrorum ex oculis. Hæc diatypoſis. Sequitur epiphonema:
—*Ponto nox incubat atra.*

Nam quòd nubes eripuerint cœlumq́ diemq́ Teucrorũ ex oculis, non abhorret à ueritate, & natura quidem ſequitur: ſed quòd nox incubat atra, audacter eſt dictum, non enim erat nox, ſed nocti ſimilis obſcuritas. Homerus autem quem Virgilius latinè interpretatur, dupliciter audet (ut docet Hermogenes) & noctem appellans, quæ non erat nox, ſed tenebræ: & noctem è cœlo dicens inuectã, unde neq; nox, neq; tenebræ unquam fiunt: ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ. Quanquam Virgilius decorũ epiphonematis eo loci magis ſeruauit (ut mihi quidem uidetur) quàm Homerus: etſi aliud non probaret, certè illud ſatis docet, quod epiphonema non in fine, ſed in medio poſuit. eius carmen eſt:

—σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε
γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον, ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ.
σὺν δ' εὖρός τε νότος τ' ἔπεσε, ζέφυρός τε δυσαὴς,
καὶ βορέης αἰθρηγενέτης μέγα κῦμα κυλίνδων.

Ex altera igitur proprietate fit genus epiphonematis, quòd nõnulli uocarunt ἀκμὴν, id eſt uigorem. *ἀκμὴ.* Sed non probatur Hermogeni: quoniam uigor in uno membro cerni nõ poteſt. Mihi tamen uidetur & uigor & acclamatio in his: Silent enim leges inter arma: nec ſe expectari uolunt, &c. Sed utcunq; ſit, fieri tamen conſueuit hoc

genus epiphonematis,cum paulatim per membra remittente ſpiritu ſermonis,in fine rurſum aliud membrum ponitur,in quo ſummatim definitur ac continetur uis totius ſpiritus præcedentis. ut ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους eſt:

Antenor cenſet belli præcidere cauſam.

& quæ ſequuntur. Epiphonema:

Seditione,dolis,ſcelere atq; libidine & ira,
Iliacos intra muros peccatur & extra. Item 3. Georg. Virg.
Omne adeò genus in terris hominum'que ferarum'que,
Et genus æquoreum,pecudes,pictæ'que uolucres,
In furias ignem'que ruunt. —

Sequitur epiphonema. *Amor omnibus idem.* Eiuſdem ſunt ſententiæ generalis,in quibus emphaſis aliqua cernitur exhortationis aut de-
Concluſionis tres formæ. hortationis.ut, *Adeò nulla eſt ſincera uoluptas.* Sic erunt igitur tres formæ concluſionis.una, extrinſecus nõnihil quærit cum audacia: altera,eſt ſumma rei complexio:tertia,ſententia loci communis. aperit namq; ea acclamatio locum communem.nec tantum in argumentatione acclamatur (ne fallaris) ſed in narratione & proſopopœia,& omni ſermone:adeò ut mancus uideatur omnis ſenſus,niſi concludatur epiphonemate. In noſtra Miloniana inſultat Cicero: Iacent ſuis teſtibus ij qui Clodium negant eo die Romã,niſi de Cyro auditũ eſſet, rediturum fuiſſe. Sed ne ultimum ſabulæ actum
Acclamatio. contemnamus,in noſtro themate acclamari poterit:O' cæcam inuidiam,quę quid referat,nunquam nouit.ita locus introducetur.uel, Stulti maiores noſtri, qui mores & inſtituta patrum neglexerunt. uel inſultabitur ſic : Non eſt uana ſuperſtitione tegenda inuidia, Quirites: nec paucorum ambitioni committenda ſalus reipub. ut acclamatio ſemper maieſtatis quidpiam ac fiduciæ præſeferat, & ſuperioris ſententiæ uel admirationem,uel corroborationem. Nihil enim prohibet,ut etiam ſententię apponatur ſola epiphonematis uim & naturam habens,tum propter fiduciam,tum propter cataſtaſin, tum etiam quòd extrinſecus aliquid apponat . Sed per admirationem ferè,non aliæ ab imperitis agnoſcũtur. Pulchra eſt huius generis illa Sannazarij ad ſententiam & ad perſonam conuerſa,cum per dialogiſmum dixiſſet:

Quæ uoces? Charitum.quæ circum turba? Neæra.
Quis odor hic? & quæ ſequuntur: Subijcit epiphonema cum admiratione:

Fortunate lapis,tumuloq; beatior omni,
Tu tegis in terris quicquid honoris erat.

Epilogus. Atq; hæc quidem hactenus de epiphonemate. Epilogus autem(ut dixi) breuis argumẽti & ſuccincta repetitio eſt, uel capitis & propoſi-

poſitionis ſolum.ut,Non modò igitur nihil prodeſt,ſed obeſt etiã
P.Clodij morsMiloni.item:Videte Iudices quantę res his teſtimo
nijs ſunt confectæ.Primùm certè his liberatur Milo, non eo conſi-
lio profectus eſſe,&c.Totius capitis eſt ille(quod fecit àuoluntate)
Video adhuc conſtare omnia Iudices,Miloni etiam utile fuiſſe Clo
dium uiuere:illi ad ea quæ concupierat, optatiſsimum interitũ Mi
lonis fuiſſe,& quæ ſequuntur. Quod ſi figura uel antitheti uel pe
riodi comprehendatur, neſcio quid habere maius cernitur epilo-
gus,& cum epiphonemate contendit:His de cauſis ego huic cauſæ “
patronus extiti,non electus unus qui maximo ingenio,ſed relictus “
ex omnibus qui minimo periculo poſſem dicere. item,Ergo illi ne “
cauſa quidem itineris, etiam cauſa manendi: Miloni nulla facultas “
manendi,exeundi, non cauſa ſolum, ſed etiam neceſsitas fuit. Vna “
multorum frequẽtium comprehenſione collegit & complexus eſt “
omnia,unà cum tranſitu. Quamobrẽ Iudices, ut aliquãdo ad cauſ- “
ſam crimenq́ ueniamus:Si neq omnis confeſsio facti eſt inuſitata, “
neq de cauſa quicquam noſtra aliter ac nos uellemus,à ſenatu iudi “
catum eſt,& lator ipſe legis,cum eſſet controuerſia nulla facti,iuris “
tamen diſceptationem eſſe uoluit:& electi Iudices,& iſte præpoſi- “
tus quæſtioni,qui iuſtè ſapienterq́ diſceptet: reliquum eſt Iudices, “
ut nihil iam aliud quęrere debeatis, niſi uter utri inſidias fecerit. “
Vehementior illa ſpiritus frequentatio: Itaq quando illius poſtea “
ſica illa, quam à Catilina acceperat, conquieuit? hæc intentata no- “
bis eſt: huic ego uos obijci pro me non ſum paſſus: hæc inſidiata “
Pompeio eſt:hæc iſtam Appiam uiam,monumentum ſui nominis “
nece Papyrij cruentauit: hæc eadem longo interuallo conuerſa rur “
ſus eſt in me:nuper quidem, ut ſcitis, me ad regiam penè confecit. “

Exemplum argumentationis. Cap. 32.

OMNE igitur argumentum (ut in breue compendium
omnia redigamus)uel ſyllogiſmus eſt,uel inductio,uel
contrariũ,hoc eſt contentio. quanquã ad ſyllogiſmũ
omnis argumentatio reduci poteſt, autore Ariſtotele.
Eum tamen componimus nos ex ijs quæ ſe conſequũtur,inductio-
nem ex ſimilibus, contrarium ex oppoſitis. Id autem primum pro-
ponitur cum ſtatu, & confirmatur ergaſia, atq eius enthymemate
& epenthymemate.quibus adhęret exęreſis, ut eorum uis ſi minus
ſufficiens fuerit, compleatur. Iam egreditur argumẽtatio,&latè ua
gari licet per circunſtantię enarrationem,unde erat prima elabora-
tio. Deinde rurſum ab initio reſumi argumentum poteſt, cum alia
efficacitate,quam epergaſiam diximus.quæ ſi locum non habet, ſu
pereſt ut uiolatione premas aduerſarium, & dilemmate inſolubili.
Diuidimus autem ſubinde negotium per incrementa,& per fictio-

Argumentatio omnis ad ſyllogiſmum reduci poteſt.

nem, quæ ualde probabilis ſemper uidetur, propterea quòd nihil periculi eſt utcunq; de ea re ſentire, quæ non ſubſiſtit. Atq; hęc quidem omnia cum epilogo fidem faciunt. Epiphonema autem erigit & mouet feſſam attentionẽ. Argumenti autẽ uitia ſunt hæc tria, que niſi iudicio naturali ars nulla doceat: εὐδιάλυτον, ἐναντίον, στρεφόμενον. proinde exercitatum eſſe oportet in dialecticorum ſcholis, qui hæc cupit proſpicere. nam παραλογισμὸς facile ſoluitur à dialectico. pugnantia quoq; nemo uidet citius: nec retorquet dexterius, quod pro ſe fecerit. Ergo quod reliquum eſt huius loci, exemplũ ex Miloniana Ciceronis apponamus. nos rationem planioris doctrinæ cauſa ſeruauimus: nec refert, ſi peritiores aliqui nariſq; emũctioris homines ea deſpiciant, modò rudibus ſatisfiat. nam qui noſtris etiam nullo modo indigeant, non dubito eſſe quàm plurimos. Exemplũ autem quod apponimus, etſi non omnibus partibus cõſtet ex ijs quæ dixi: tamen ijs tantum uacare comperies, quę paſsim in alijs occurrunt: quapropter id quod huic deeſt, in alijs licebit obſeruare. Argumentum uerò ſumitur à ſignis, id eſt à cõſequentibus ſeu adiunctis: Milonem pura mente atq; integra, nullo ſcelere imbutum nullo metu perterritum, nulla conſcientia exanimatũ, Romam reuertiſſe. Diuiſio ſequitur ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους, per cæ-
» ſa: Recordamini per Deos immortales, quæ fuerit celeritas reditus
» eius, qui ingreſſus in forũ ardẽte curia, quæ magnitudo animi, qui
uultus, quæ oratio. Hæc, ut dixi, cæſim. nunc per membra: Neq;
» uerò ſe populo ſolùm, ſed etiam ſenatui tradidit: neq; ſenatui mo-
» dò, ſed etiam publicis pręſidijs & armis: neq; ijs tantum, uerùm e-
» ius poteſtati cui ſenatus (hic miſcetur ea enarratio circunſtantiæ,
» quam diximus ὑφήγησιν, uel ἐξυφήγησιν) totam rempublicam, om-
» nem Italiæ pubem, cuncta populi Romani arma commiſerat. Fi-
» ctum argumentum: Cui ſe nunquam profectò tradidiſſet, niſi cauſę
» ſuæ confideret. Exæreſis: Præſertim omnia audenti, magna intu
» enti, multa ſuſpicanti, nonnulla credenti. Epiphonema: Magna
» uis eſt conſcientiæ, Iudices, & magna in utranq; partem: ut neq; ti-
» meant qui nihil commiſerint, & pœnam ſemper ante oculos uerſa-
» ri putent qui peccauerint. Epilogus: Neq; uerò ſine ratione cer-
» ta, cauſa Milonis ſemper à Senatu probata eſt. Videbant enim ſa-
» pientiſsimi homines, facti rationem, præſentiã animi, defenſionis
» conſtantiam. Hactenus producta argumentatio, in qua uides ca quæ tradidi, manifeſta eſſe. Supereſt, ut de eius eloquutione atq; ornatu illud nunc tenendum ſit, ut quemadmodum in omni uita, ſic & in argumentatione tædium uarietate fugiamus. Itaq; exordiẽdum nunc erit ab axioſi, nunc à negotio, nunc à concluſione. Diſtinguemus etiam modò per partes totam argumentationem, modò rurſum

Argumenti uitia.

Tediũ uarietate cauendum.

rurſum unico ſpiritu cōcludemus: aut contrà, productione eiuſdē ſpiritus longè abducemus clauſulā. Figuras præterea illas ſemper habebímus ob oculos, quę ad uehementiam faciunt, atq; enargian. Quod ſi argumentum inciderit obſcurius, id fugiendum in fine. Panegyrica enim & popularia magis huic loco conueniunt. Probantur proſopopœiæ, occupationes, tranſitus, medelæ, ironia: rerum quoq; metaphoræ, uerborū anaphoræ, interrogationes, ſubiectiones, exclamationes, breues exæquationes: omnis deniq; compoſitio & transformatio, quæ congruentiſsima uideatur, modò nihil habeat affectationis, amplectenda eſt. Cum namq; ſit, in probatione amœnitatis quidem parum, ſed difficultatis multum, in ea expolienda componendáq;, ceu prudentes agricolæ, maiorem nos curam adhibebímus, quàm ſi ipſa ſuapte ſponte uelut in ſylua fronderet. In oratione didactica præſertim, quæ ciuiliter tractatur, quoniam huiuſmodi omnes acutæ ſunt & ſubtiles, per antitheta & periodos curam diligentiamq; licebit oſtendere. In panegyricis uerò acmen & ſplendorem. In quibus ſimilitudines, exempla, & metaphoræ modeſtiores, tum intentio productióq; longioris ſpiritus præcipuè regnabunt. ſi ab uno argumento in aliud digrediendum ſit, multas nobis formas deſcripſit Eraſmus. ueluti occupādo, Sed de his plus ſatis, Quid his immoror? Ad reliqua pergam, ſed prius illud dicendum eſt: Habes de moribus, dicam de doctrina: Sed hęc priuatim, illa quæ publicè referam. Sed nulla tamen figura eſt ſententię, imò uerò ne interpretationis quidem, qua non pateat nobis tranſitus ab uno argumento in aliud: fateor tamen, niſi per occupationem, nunquam fieri apertam.

De Refutatione. Cap. 33.

REFVTATIONEM Græci uocant ἀνασκευὴν, ſicut confirmationem κατασκευὴν. & ea quidem conſtant apologiæ & hypophoræ. nam defenſio crimina obiecta unà cum argumentis ſoluít. obijcienda uerò ſublatio: & in utraq; redarguimus imperitiam argumentorum. Quapropter de refutatione non puto aliud prępipiendum, quàm ut ea memorię mandentur, quæ de probatione diximus: quia communes utrique habentur ijdem loci inuentionis. Nam niſi quod hæc proponitur per hypophoram cum aliquo ex illis quatuor capitibus, de quibus in theſi (nempe enſtaſi, antiparaſtaſi. βιαίῳ, & euētu) nō uideo quid profit aut abſolutionis aut exceptionis facta mentio: neq; elenchi & epexelenchi. nam eodē modo partes refutationis fiunt illæ quatuor, ſicut additæ probationi plures. Nam ſi ignis ab Ætna defluit in Catanam, & ideo migrandum cenſent aduerſarij, quòd exitium nobis minetur res noua: facile eſt per enſtaſin reſpondere, Non no-

Refutatio. ἀνασκευή. Confirmatio. κατασκευή

bis minatur ignis, qui à natura ſæpe defluit: atq; huic alias adijcere, ut ſuprà dictum. A' probatione igitur locos & methodū petemus refutationis. In referendo autem argumento aduerſarij ſumus nos quidem uarij: quia nunc totidem uerbis, nūc obſcurè: interdū cum incremento atq; exaggeratione, uel contrà extenuatione, ubi multum poteſt ironia. Iam uerò rationum in refutando duplex genus eſt, ſi meminiſti eorum quæ diximus in hypophora. nam ſi ratio aliqua addatur in antiprotaſi, ea dicitur ἀντεξεπτικός: ſolebāt appellare olim, cōtra hominem. Alterum genus quod per ſe hypophoram petit, dicitur πραγματώδης. illius exemplū eſt Ariſtotelis, cum reprobando eorum placita qui τὸ ἓν infinitū aiebant, probat eos neſcire quod docebant: quia ſi infinitum eſt, ergo ignotum. Et Cicero: In qua tandem urbe hoc homines ſtultiſs. diſputant. Atque hæc ſemper eſt paragraphe, ut ſuprà diximus. alia uerò pragmatodes, uel negat, uel definit, uel abſoluit, uel excuſat. Quoniam omnis contentioſa ratio (qualem eſſe aduerſarij ſupponimus) aut falſa ſumit, aut forma eſt uitioſa. falſa neganda ſunt, ambigua diſtinguenda, atque inepta collectio traducenda: ut ubi fallacia occulta latet argumenti, non auditores modò, ſed ipſe etiam ſophiſta intueatur, & uideat & confiteri cogatur.

Refutandi ratio duplex.

Vnum tamen prætermittendum non eſt, quod tamen pauci deprehenderunt: duas eſſe refutationis partes. Vnam, quam diximus occupationem, ſolutionemq; argumentorum diuerſæ partis: alteram, purgationem ſuſpicionum, quas ueriſimile eſt haberi. quanquam neq; harum eſt alia inuentio, aut elocutio: tamen ut & hic more noſtro agamus, remq; ipſam demonſtremus exemplo, in Miloniana primùm tres refutationes inuenio. Prima eſt, per cauſę tranſpoſitionem. Hęc incipit: Cur igitur uictus eſt? quia non ſemper uiator, &c. Altera, eſt aſſumptio quædam uiolenta: Cur igitur eos manumiſit? metuebat ſcilicet, ne indicaretur? Tertia, contra quæſtionem: Sed quæſtiones urgent Milonem, quę ſunt habitæ in atrio Libertatis.

Refutandi partes.

Milonianæ orationis refutationes.

Suſpiciones ſeptem diluit, quarū prima eſt, qua putabant non uenturum Milonem in urbem: An uerò obliti eſtis Iudices. Altera purgatur, quòd dicebant Milonem occupaturum eſſe patriam: multi etiam Catilinam atque illa portenta loquebantur. Tertia, ex armis quæ ob tyrannidem coegiſſet: Quid quæ poſtea ſunt in eum congeſta. Quarta, ex teſtimonio contra Pompeium: Laudabā equidem diligentiā Cn. Pompeij. Quinta, eſt de oppugnatione domus Cæſaris. Sexta, de teſtibus, qui armatum Milonem dicebāt: frequentiſsimo ſenatu nuper in Capitolio. Septima, de præſidijs Pompeij: Quod tamen ſi metuitur etiam nunc Milo.

Suſpiciones ſeptem diluuntur.

Ac ſic quidē purgatis ſuſpicionibus, tandē ad quantitatem uerſa eſt oratio: quā orator locis exponit, fine, cōtinentia, cōpara-

Quātitatis loci.

paratione,euentu,proſopopœia,coniectura,cōcluſione. eſt enim hic cōcluſio quātitatis:Eius igitur mortis ſedetis ultores,cuius uitā ſi putetis per uos reſtitui poſſe,nolitis. Quantitatē ſequitur Antiſtaſis. Huius ergo interfector nō eſſet,ac quæ ſequūtur. Tandē quod dixi in finem ſemper reſeruandas eſſe quæſtiones epilogicas, probationesq; panegyricas,ſummus orator caput facit & ſtatum Syngnomen,petitq; ueniam ex meritis Milonis atq; ſuis : ex gratia, ex uirtute,ex fama,cum conqueſtione breui ac ſuccincta. Cæterùm ut ad refutationē reuertar, & finē unica præceptione addita imponam huic loco,magna uis eſt ironię,ad diluendū argumentū aduerſarij,atq; debilitandum:quando cōtemptus & negligentia in riſum omnia diſſoluit. *Ironiæ uis.* Ratio quoq; illa occupādi uulgata eſt,ſed non parui momēti:qua petimus à nobis ipſis cauſam,cur quid dicamus: petimus & tempus,& locum,& perſonam. num igitur ulla quęſtio de Africani morte lata eſt? certè nulla. Quid ita? quia non alio facinore clari homines,alio obſcuri necantur. Rurſum: Cur igitur uictus eſt? quia non ſemper uiator à latrone, nonnunquam etiam latro à uiatore occiditur. De perſona quærit : Quis eos poſtulauit? Appius. Quis produxit? Appius. De tempore: At quo die? quo,ut antè dixi,inſaniſsima concio ab eius mercenario Trib. pl. eſt cōcitata. Hanc interrogationis formam uocant ferè per ſubiectionē,ſed potius diſputationis figura dicetur, & Latinè altercatio : quā duobus modis fieri certū eſt. *Diſputationis figura. Altercatio.* uel enim conſtat dialogiſmo, & contendentiū reſponſione atq; interrogatione:uel ſubiectione eiuſdem ſibi reſpōdentis. illius exemplum eſt in Epiſtolis ad Atticum. Clodius: Quid homini Arpinati cū aquis calidis? Cicero : Narra patrono tuo,qui Arpinateis aquas concupiuit. noſtri enim marinas. Clod. Quouſque hunc regem feremus? Cic. Regem appellas,cum rex tui mentionem nullam fecerit. ille autem regis hæreditatem ſpe deuorarat. Clod. Domum emiſti. Cic. Putas dicere Iudices,emiſti? Clod. Iurāti tibi non crediderunt. Cicero: Mihi uerò XX Iudices crediderūt: XXXI, quoniam numos à te acceperunt, tibi nihil crediderunt. Eſt tamen alia ſubiectionis forma,magis argumentātis propria, q̃ reſpondentis. ea nos quærimus, quid contra nos, aut pro aduerſario dici poſsit : & per ſingulas poſtea interrogationes propriè rationem ſubijcimus, qua id quod dictum eſt negari poteſt : & propria eſt hæc figura συντρέχον,id eſt concurſus. *συντρέχον.* ut, Quęro igitur unde is ex tenui tam diues factus eſt. Patrimonium amplum inuenit? at patris bona uenierūt. Hæreditas aliqua obuenit? at ab omnibus exhæredatus eſt. Contorqueri hæc eadem ſubiectio ſolet uehementius,cum duo membra ultima ſic complectimur dilemmate,ut ſola pronunciatione,nulla interrogatione fidē faciat.ut pro Quin

tio:Appellandi tēpus non erat? at tecū anno plus uixit.In Gallia agi non pôtuit? at & in prouincia ius dicebatur,& Romæ iudicia fiebant.Reſtat ut aut ſumma negligentia tibi obſtiterit,aut unica liberalitas.Si negligentiam dices,mirabimur:ſi bonitatem, ridebimus. neq; præterea quid poſsis dicere inuenio. Tandem propoſitio occupationis his modis epicriſeos induci poterit: Scio quid dicturus ſit:uel,fortaſſe dicet:uel,audio quid dicat.Iubet tamen Hermogenes,ut quæ debilia ſunt,illa quaſi ſcientes proponamus: quæ uerò mediocria,per incertitudinē:quæ ualida,ſic cum interrogatione inducemus, quaſi ipſi audiamus, ſed cum contemptu, nullius eſſe momenti iamdudum ſentientes.Quanquā non eſt ubiq; ratio hæc neceſſaria.Atq; hæc quidem de probatione dicta ſufficiant.reliqua eſt Peroratio:de qua ſi non ſemper ea tradamus, quæ ab alijs præcepta repereris, exiſtimato obſeruationi maiorem adhibitam diligentiam,quàm dictis aliorum religionem.

De Peroratione. Cap.34.

PERPAVCA ſunt in natura,quæ ſubitò deficiant:ſed omnia ferè ueſtigium aliquod relinquunt prioris ſubſtantiæ.Quid tam euanidum,quàm bulla? hæc tamen diffuſa aquam circinat. Sonitus uehementiores non'ne tinnitum in aure dimittūt? Nam quæ maiora ſunt, manifeſtius rem hāc docebunt:ut animalium corpora maiorum difficilius reſoluuntur: flumina,quo maiora ſunt, exonerātia ſe in mare, eo diutius fluxum retinent,etiam inter ipſos fluctus maris. Quæ homines etiam inter ſe de rebus ciuiliter contraxere maioris momenti (dum annullari uolunt)non ſatis eſſe putant cancellari, aut frangi tabulas : ſed tanquam nouo contractu,quo acta repetuntur,ueterem reſcindunt,et ui atq; autoritate priuant.Ergo ſi longa oratione diu detinuiſti auditores , an deceat abſq; omni repetitione ſubitò quaſi obmuteſcere? Hoc hominum eſt, qui reſolutione linguæ aut corporis laborant,aut quibus conſternatio aliqua obliuionem induxit. Sed uiſa eſt pleriſq; difficillima cauſæ peroratio.Quanto enim ſumma pars orationis,& ultimus actus,plus ualere debet ad motum:tanto, niſi inueniatur maximè idonea, non minus uidetur detrahere uirium probationi,quàm adderet,ſi eſſet accommodatiſsima. Ferè namq; fit, ut quæ optima non ſunt, cum eſſe debeāt, eadem ſint uitioſiſsima:ob id tantum,quia non optima. Nec tantum quæ ſit optima,ignoratur à multis:ſed quas etiam partes habeat omnino. Quapropter etſi multi in Ciceronis orationes commentati ſunt, paucos tamen reperias, qui partem hanc poſtremam ab argumentis probè diſtinxerint,ne dicam intellexerint.Cæterùm cum frequenti obſeruatione & longa, non modò partes, uerùm etiam & uim & formā

Perorationis uſus ac neceſſitas.

ego

ego huius rei excuſsiſſem: profectò nihil exiſtimaui in tota arte dicendi aut diſtinctius, aut certius, quàm perorare. Partes habet, quàm in reliqua oratione, pauciores: figuris ampliſsimas: quantitate adeò moderatas, ut cum in alijs præceptionibus copiam quæreremus, campumq́ inuentionis latè panderemus, hic ad modum & moderationem tam nos exhortari conueniat, quàm difficile eſt diuturnos eſſe motus animi, & lachrymas perennes. Non ergo diſputabimus in præſentia de generibus affectuũ, ut fortè æquum uideri poſſet (nam ſuprà dedimus hoc negocium illis capitibus, de moribus & proſopopœia:) nec, quòd alij tractarunt, an deceat uirum bonum uim inferre, aut perturbationem animis ſimplicium, & (ut Plutarchus loquitur) παθαίνεσθαι. Hęc uiderint philoſophi: quibus curæ eſt de moribus, & omni officio, doctrina. Orator neceſsitati parebit, & uſui: idemq́ (ſi aliter non poſsit) uera cõmodaq́ in commune obtinebit, uel etiam cum lachrymis, & totius corporis geſtu immutato. Nam ſi apud bonos & prudentes homines nihil fortaſſe opus eſt, (nimirum qui magis ueritate, quàm geſtu aut lachrymis moueantur) tamen quia ſæpe fit, ut quod rectum eſt, plures non uideant, ſed ferantur pleriq; temeritate, ac deſiderij impetu: ideo expedit, quod rationibus non poſsis, & minis & terroribus, uel pollicitationibus, atq; adeò frequenter uana ſpe, tanquam ſtimulis actos ad officium impellas. Sed neceſſaria maximè hic eſt uirtutum uitiorumq́ cognitio, & iudicium exigitur naturę quàm exercitatiſsimum: ne (quod ſolent imperiti) temerè, ac ſine ſenſu, in hanc uel illam ſententiã efferaris. Sed in primis & potiſsimè definiendas cenſeo partes epilogi. De quarum numero certè non ſatis conuenit apud omnes. nam qui Ciceronem maximè ſequuti ſunt, perorationem diuidunt in tres partes, Enumerationem, indignationẽ, & conqueſtionem: quæ alio nomine appellari ſolẽt, Epilogus, amplificatio, & commiſeratio. An uerò id propriè, alijs relinquo iudicium. Compendioſior mihi uidetur ratio Quintiliani. Is enim in duo tantum partitur: in enumerationem, & affectus. In quibus certè continentur alia. Nec aliud ſupereſſe poſt probatã cauſam poteſt, quàm ut repetitione aliqua memoriam antedictorum renouemus: cùm ut fides menti hæreat firmius, tum ut extrinſecus admoto aliquo molimine, uis illata uoluntati, non ut credant modò, ſed etiam ut uelint, nec noſtram cauſam ſolum agi, ſed res ſuas etiam periclitari arbitrentur, efficiat. Quæ ſi fieri poſsint, certè aut quinq; partibus poſſunt, aut nullo modo pluribus. Hæ ſunt, tranſitus, enumeratio, cõceſsio, motus, & ſuffragiũ. Siquidẽ ante ipſam ἀνακεφαλαίωσιν, & quã dixi enumerationẽ, auditor eſt ad attentionẽ excitãdus, aut ab eadem reuocandus. Fruſtra enim colligeremus, aut colligere ſatageremus,

Perorationis partes.

Affectuum uſus.

Virtutũ ac uitiorum cognitio.

Epilogi partes.

geremus, memoriæ illius diffidentes. Si eodem modo languidus, *Tranſitus.* nihilo magis attẽtus quàm antea audiret. Fiet ergo tranſitus aliqua ſignificatione ſtatim, quo perſoluimus omnia quæ promiſeramus. Poſtea ſubijcietᷣ repetitio breuis eorũ quæ expoſuimus, & rationũ *Enumeratio.* quibus ita credimus. Hãc partẽ omnes propriè uocãt ἀνακεφαλαίωσιν, id eſt enumerationem, ſiue recapitulationem: alij ἀνάμνησιν, id eſt commemorationem: alij ἀνάληψιν, id eſt repetitionem. Cumq́ alter finis huius partis ſit motus: motus autem liberior & concitatior fiat, per medium æquum & complanatum: tertium locum ueluti æquabimus, & complanabimus ἐπιείκεια, id eſt æquitate, & ſi*Conceſsio.* gnificatione bonæ fidei, quam conceſsio in primis effingit. Hanc ſe*Motus.* quitur παθοποιΐα, id eſt affectuum impetus, quam ego aliter Græcè ἦθος nomino. Sed ultima & generalis acclamatio erit γνώμη, id eſt, *Suffragiũ.* ſentẽtia: aut ψήφισμα, id eſt ſuffragiũ ac ſcitũ. In quo finis totius cõtẽtionis, poſtulatioq́ noſtri deſiderij, & traditio cauſæ in manus iudicis. Petimus enim hoc loco, quid iudicari debeat, ſi cauſa eſt in genere iudiciali: quid agendum in primis, ſi in deliberatiuo: & in demonſtrationibus deniq́, per acclamationem, cum admiratione, uel reprehenſione ceſſamus.

Tranſitio. Cap. 35.

μετάβασις. *Tranſitus.* PRIMA ergo pars & tanquam præparatio concluſionis eſt μετάβασις: ſed non ita propria huius loci, ut non reperiatur etiam in alijs. Non enim à tota cauſa, ſed etiã à ſingulis capitibus atq́ argumentis egredi mos eſt, & tran-

„ ſire. ut Demoſt. Sed nimium imprudens incidi in cauſam temporis

„ huius alienã: de qua poſtea dicendum. Quapropter ad illud quod

„ paulo prius agendum eſt, reuertar. Sed hæc ſicut in peroratione totius certaminis finem inducit: ſic in alijs locis tractati ſolum illuc uſque argumenti. Vocatur autem tranſitio, ſeu tranſitus, quæ cum oſtendit breuiter quod dictum eſt, proponit item breui quod conſe*Tranſitus partes.* quatur. Ideo duabus partibus exiſtit, ἀποδιώξει, & cataſtaſi. per hãc aliud principiũ introducimus, per illam ab alio recedimus. Quod*Duplex trãſitionis opus.* nam ergo opus tranſitionisᷣ duplex. Vnum, ſignificare abſolutam eſſe & peractam rem, quam ſuſceperamus: Alterum, ad ſequentia properare ſermonem. Hac eadem rerum præteritarum & præſentium & futurarum admonemus. Quod ſanè aliquando ſimpliciter,

„ & abſq́ figura fit: aliquando magis figuratè, quàm uerè. Nihil eſt

„ à me prætermiſſum, te ut planè Deiotaro reconciliet oratio mea: ſimplex eſt tranſitus. Interrupti illi: Sed de his hactenus, omitto reliqua, ſupereſt ut reliquum crimen audiatis. Cæterùm in iudicijs peroranti, aut in foro, nulla opus cum ſit propoſitione (quod impetu iam ferri incipiat, & extemporanea loqui) minus quoq́ neceſſa-

ria hic

ria hic eſt altera pars tranſitionis: in conſilijs poteſt aptè fieri repe-
titionis cauſa, ubi ſedatior eſt animus dicentis.

Enumeratio. Cap. 36.

ENVMERATIO magis propriè diceretur Græcè ἐπίλο- *Epilogus.*
γος, id eſt collectio, quàm ἀνακεφαλαίωσις, id eſt repe- *Anacephalæoſis.*
titio rerum per capita, ſi uis uerbi ſeruãda eſſet. Sed hoc
uſu proprium factum eſt, illud generalius. nõ enim tam
enumerat, quàm expendit: nec tam oſtendit numerum argumento
rum, quàm capita ſubducit probationum. Ideo uidetur apud Plato
nem tota hæc peroratio dici ἐπάνοδος, id eſt reditus: quia repetitio *ἐπάνοδος.*
eſt antedictorum. Quicquid dixi, ad unam ſummam referri uolo, «
uel humanitatis, uel clementiæ, uel miſericordiæ tuæ. Hæc ſimplex «
uidetur collectio: ſed magis formam gerit enumerationis, quàm na
turam. Nam quę « rator uerè enumerat, pro eodem Ligario, figura
quidem diſsimulauit: Dic te, Cæſar, de facto Ligarij iudicem eſſe, «
quibus in præſidijs fuerit, quare taceo: ne hæc quidem colligo, quæ «
fortaſſe ualerent etiam apud iudicem. Legatus ante bellum profe- «
ctus, relictus in pace, bello oppreſſus: in eo nõ acerbus, tamẽ etiam «
fuit totus animo & ſtudio tuus. Deprehendis fictam præteritio- «
nem, complectentem tamen certè omnia. Simplex enim alia quæ-
cunqꝫ, faſtidium peritis ex affectatione, & ſatietatem alijs ex repeti-
tione parit. Erit ergo figuris uarianda, uel ordine mutato, uel actio-
ne. Cæterùm ut reliquarum partium ſunt ſuæ uirtutes & uitia: ſic re *Repetitio*
petitio debet primũ eſſe breuis, deinde uaria, tum dilucida, poſtre- *qualis eſſe*
mò grauis. Si referas pauca, eaqꝫ membris exiguis conciſe, breuis e- *debeat.*
rit. Figurę idoneæ in primis ponuntur ab Ariſtotele quatuor. Vna *Figuræ.*
eſt, cũ ſimpliciter (ut dixi) capita colligimus. ut, Docui hæc, & hæc.
Altera, cum quaſi diſſerentes nobiſcum, eadem repetimus. ut, Mi-
ror equidem quid iſti facerent, ſi manifeſtũ non eſſet, ipſos primùm
fidem deſeruiſſe. coarguuntur enim perfidiæ propter hæc & hæc.
Tertia, eſt per interrogationem. ut, Libenter ab his ego ſciſcitarer,
cur non ſeruant ea quæ promiſerunt. neqꝫ enim poſſunt excuſare
hoc, aut illud. Vltima erit, cum quaſi conſultando alloquimur iudi
ces. ut, Conſiderare uos æquum eſt, quàm nihil unquam mali acce-
pimus, quandiu iſtorum amicitiam coluimus. ipſi enim hæc & hæc
fecerunt. Iſta quidem facilia ſunt, ſed non ſola. Maximè autem con-
gruunt ironiæ per præteritionem, aut dubitationem, aut cõceſsio- *Ironia.*
nem, quòd ſint moratæ. Dilucidam faciũt uerba dilucida, & ex-
preſſa, cum recta compoſitione, & breui. Grauem omnes figuræ e-
rectæ, & allocutiones, uerba grauia, & morales ſententiæ. Debet
autem omnis hæc commemoratio fieri aut ἐξ ἀντιπαραβολῆς, id eſt,
per collationem: ut, Aduerſarius hæc habet, ego uero hæc. uel ſine

ulla collatione, ut noſtra ſolum colligamus. Atque hæc de enumeratione.

Conceſſio. Cap. 37.

ἐπιχώρη-σις. Conceſſio.

TERTIAM, conceſsionem atq; permiſsionē nos de Græcis ſumpto uocabulo nominabimus, ἐπιχώρησιν: quia de iure ſuo cedit. Satis diu fuit in miſerijs, Iudices. item, An ſperandi Ligario cauſa non ſit, cum mihi etiā apud te ſit locus pro altero deprecandi? & illud: Relinquo iam communem cauſam, populiq; Romani ius in ueſtra fide ac religione depono. Hyperidis exemplum (quod Rutilius δικαιολογίαν, ſententiæ figuram nominauit) hic planum erit: Sed ego, Iudices, ſummum ac legitimum ius meæ cauſæ, quod expoſui, iam omitto: uobis quod æquiſsimum uidetur, ut conſtituatis, permitto. non enim uereor, quin etiam ſi nouum ſit uobis inſtituendum, libenter id quod poſtulo propter utilitatem ueſtræ conſuetudinis ſequamini. Hæc plerunq; breuiſsima eſt, ut quæ cum parrheſia & audacia proferatur: non raro etiam pleniſsima, conquiſitis undiq; circūſtantijs, argumentiſq; ad indignitatem. ut pro Milone tota fere peroratio.

δικαιολο-γία.

Hic ergo ſimplicitatem fidei, & bonitatem toto ſermone præferemus. Sed & proximam huic, præcipuamq; in hac parte, de ijſdem Græcis appellabimus ἠθοποιΐαν, id eſt, moratam dictionem, uel notationem. uel enim oratione affecta, noſtros mores ſtudiaq; declaramus, uel aliena deſcribimus (quod proprie dicemus ἠθολογίαν, aut ſi mauis χρηστολογίαν) non minus enim congruere fini exiſtimo genus illud orationis quod moratum dicitur, & mite, quàm aliud atrox & uehementius: quanquā certe habenda ratio eſt non ſolum rei, ſed litis. Nam quæ, ut dicitur, omnes eodem calopodio, inq; omni negotio tragœdias mouent, non minus ridendi ueniūt, quàm ſi Herculis perſonam & cothurnos aptarent infantibus. Quamobrem, cum in fine actionis (qualiſcunq; ſit oratio) tamen uel iram, uel odium, uel reformidationem, aut contrà miſericordiam, amorem, ſpem, lætitiam, congratulationem efficere, & quaſi elicere deſideremus (his enim tanquam aculeis in animo relictis auditorum, conuenit recedere) ideo non abſque ſumma ratione hic non tam morum quàm affectuum, id eſt παθῶν, docti omnes meminere. non enim qualis eſſet, ſed quid efficere deberet hæc oratio, ſignificarunt. nos utrunq; inueſtigamus. Definire autem quid ſit πάθος, & quid ἦθος, quidq; inter ea diſtet, etſi non eſt præſentis loci, tamen paucis repetam. Perturbationes illę, motuſq; animorū, qui ex aliqua apprehenſione ſubito oriūtur, facileq; ſedantur, hi dici conſueuerunt πάθη, id eſt paſsiones & morbi: ut ira, metus, libido, gaudiū. Verum ἤθη, id eſt mores, habitus ſunt animi, tam naturales

Notatio & motus. ἠθοποιΐα. Notatio.

πάθη. ἤθη.

tales quàm ex conſuetudine contracti: id eſt ἐκ τῶν ἰδιώτων. Talis eſt in iuuene audacia, & cõfidentia: in ſene moroſitas, & parſimonia: in nobili arrogantia, in auaro triſtitia, in amante zelus. Hæc quidem ambo Ariſtoteles in genere poſuit qualitatis, & in libris Rhetoricorum potiſsimè obſeruanda duxit: quippe quibus cognitis & inſpectis, ad cauſam & perſonam ſimul eſt accommodanda omnis noſtra actio. Nam ſi eadem laudes apud militem, quæ apud ſacerdotem: aut eadem apud ſenem, quæ apud adoleſcentem, quid aliud quàm nugas agas? Imò uerò opus eſt, apud alterutrum inſanias. Atque ea de cauſa Plato non iniuria ſcientiam de anima deſiderat in oratore, ut ſciat quot ſpecies animus habet. Sunt enim hæ tot talesq́ue, unde alij ſic, alij uerò contrà afficiuntur: quibus diſtinctis, ſermonis quoq́ue tales totq́ue erunt ſpecies. nam tales animi talibus ſermonibus, certis de cauſis perſuadentur, alij cõtrà. Ita ſciendum, quis quibus ſermonibus capiatur. ſi oratio & (ut idem elegantiſsimè) λόγου δύναμις τυγχάνει ψυχαγωγία οὖσα. Itaq́ue, ut ad inſtitutionem reuertamur, in primis inueſtigandæ perſonarum deſcriptiones, quarum & mores & ſtudia (quantũ negotio conuenit) ob oculos ponant, quã figuram ſentẽtiæ uocamus χαρακτηρολογίαν, uel χαρακτηρισμὸν & ἠθολογίαν. Perſonę ſunt, reus, aduerſarius, iudex, alij etiam extra cauſam, & nos ipſi qui dicimus. Pro Cluentio: Omnes ſcitote Iudices Larinates ueniſſe, ut hunc ſtudio frequentia'que ſua, quantum poſſunt, in tanto perculo ſubleuarent. Ex lachrymis horum, Iudices, exiſtimare poteſtis, omnes hæc decuriones decreuiſſe lachrymantes. Iudicis: Eadem ſpe, ſed maiore uerecundia de te P. Volumni. Oratoris: Meumq́ue unà laborem. Aduerſarij: At quæ mater? quàm cæcam crudelitate & ſcelere ferri uidetis? cuius cupiditatem nulla unquam turpitudo retardauit. Rei: Leuate hunc aliquando ſupplicem ueſtrum, Iudices, tot annos in falſa inuidia periculiſq́ue uerſatũ: qui nunc primum poſt illam flammam ſpe ueſtræ æquitatis erigére animum, & paululum reſpirare à metu cœpit. Neceſſariorum: Orat uos Habitus Iudices, & flens obſecrat. Habes ergo exemplum, in quo mores & ſtudia perſonarum deſcripta ſunt ad miſericordiam. Videndum namq́ue ubique eſt, quid uelimus efficere: odium'ne, an miſericordiam: tædium, an lætitiam: quoniam nec fert omnis omnia tellus, nec ſemper alterutrum horum requiritur, ut quidam putant, οἶκτος καὶ δείνωσις, miſericordia & indignatio: alterum accuſatoris, alterum rei eſſe definientes. In encomijs enim cum gratulatione, admiratione, atq́ue æmulatione eſt perorandum, ſi læta dixeris: ſin triſtia, ut oderint, ut inuideant, ut contemnant, etiam conabimur. In concilijs autem ſi mouendi ſunt auditores (quanquam nõ ſemper uſuuenit) ſpem aut explendę

Quid potiſſimum in oratore Plato requirat.

Perſonarũ deſcriptiones.

cupiditatis,aut iniuriæ ulciſcendæ proponito. Quòd ſi ſedandi, reprimendiq́ animi fuerint,ex periculi ſpe timorem iniŷcito: quod dubiŷ fortunæ exitus, incerti caſus rerum, tam ut retineantur proſpera,quàm ne moueantur aduerſa. Sed in iudicŷs omnia concurrunt,odium,inuidia,amor,miſericordia. Ex probitate uitæ, morũ innocentia:ex grauibus caſibus & calamitate,elicitur miſericordia. Odium faciunt, improbitas, ſæuitia, cupiditas, impudentia: inuidiam gratia, & facultatum copia:iram, læſio. Ergo ſi excitanda miſericordia, mores deſcribentur ſimplices, natura conditioq́ infirma:lachrymæq́ & animi ſollicitudo ponentur ob oculos.Si inuidia,talem demonſtrabis qui poſsit iudici propter comparationem inuidioſus apparere: ut gratioſum, potentem, opulentum, eloquentem, aut aliud ſimile. Pari namque ratione inuenies, ſi improbum,impudentem, turpem & flagitioſum. Quem ſi fortem dixeris,continentem, iuſtum, liberalem, humanum,non poterit non amari.Quæ omnia ſubiectione deſcripta,maximè feriunt animum: ac etiam multo magis, ſi excitata oratione, accõmodataq́ alloquutione proponantur:ut indignatione,inſultatione, παῤῥησία, atq́ id genus. Dico autem feriri animum deſcriptione ſæuitiæ, calamitatis,libidinis,iucundę etiam cuiuſcunq́ uoluptatis. Deſcribentur uerò hęc,quantum fieri poterit,uel in dictis eius,uel in factis: inceſſu,uultu,habitu,uitæ totius inſtituto. Riſus etiam, qui (ut antea diximus)omnia ſæpe diſſoluit,non aliunde ſumitur quàm ex perſonæ circunſtantŷs & locis,ex quibus motus:dictis inquam,&factis, nempe his qui ſimplicitatem, ſtultitiamq́ animi declarent: tum ex corporis aliquo uitio,quod tamen dignum nõ ſit miſericordia, ſed pudore tantum. Itaq́ ſumitur riſus ex turpitudine uel uitio corporis,morum,ſermonis,patriæ,parentum,filiorum,&c. Sunt præterea quidam à natura ita urbani, ut uel minima occaſione etiam Catoni uel Anaxagoræ riſum mouere poſsint: his licuerit extrinſecus ſumpto argumento idem præſtare,per ironiam,uel allegoriam,uel amphibologiam, per onomaſiam,apologos, prouerbia. Qui uerò natura ſunt adeò ſeueri,ut ne de Margite quidem loquantur niſi ſeuerè:qui ſi quid uolunt ridere,ipſi potius fiunt ridiculi quàm iucundi:his ego ſuadeo,ut naturam propriam colant.Nam & nimium facetis ſimile quid ſolet accidere. Porrò aũt qui non ſolum in iocis, uerùm in re etiã graui affectationis uitiũ fugere uoluerit,hũc neceſſe eſt ſecum antè meditari,ſeq́ ipſum cõſulere, quibus rebus, ſi ipſe iudex eſſet,maximè moueretur: reliqua tanquã affectata omnia reŷciat,aut certè negligat. Neq́ enim difficile eſt rerum ideas ac ſimilitudines animo complecti, tam mœſti quàm læti hominis: quia in promptu ſunt hæc, & ueluti penuario uirtutis imaginariæ, quam

Affectuum mouendorum ratio.

Riſus unde mouendus.

Affectationis uitium.

Græci

Græci φαντασ.κὼν nominant. Quas ſi quis alta mente cum attētio-
ne conſideret, quaſi rem præſentem intuetur: imò agere ſibi ea uide-
tur, & agendis intereſſe reuera. Habes, ut puto, ſatis de motu: quam
dixi ἠθολογίαν. Vnum illud non uidetur prætermittendum, iuſiū-
randum oratoris (ſi quando neceſſe ſit) magis ad mores ſignifican-
dos facere, quàm ad fidem.

Suffragium. Cap. 38.

SED ultimus locus perorationis, totiuſq; actionis, da-
tus eſt ſuffragio, uel τῇ γνώμῃ, id eſt ſententiæ. Hic ceſſa- *Suffragiū. γνώμη. Sententia.*
turus orator, tandem petit à iudice, quod ex toto iudi-
cio expectabatur, atq; id propter quod uniuerſa cōten-
tio diſputationis inſtituta fuerat. Vt in conſilijs hic demum à Sena-
tore ſciſcitur, quod à populo ſcitum iuſſumq; cupit. In exornatio-
nibus, cum acclamatione aliqua dimittuntur auditores, aut cū fau-
ſta imprecatione. Pro Cæcinna: Cum hæc ita ſint, ſtatuite quid “
uos tempora reipublicæ de armatis hominibus, quid illius confeſ- “
ſio de ui, quid noſtra deciſio de æquitate, quid ratio interdicti de “
iure admoneant, iudicetis. Atque hæc quidem petitio nonnun- “
quam ratione adhibita confirmatur, ſicut & tranſitus, ut in oratio-
ne pro Cluentio: & in Diuinatione contra Verrem, exitu. Præteri-
tionē addit pro Ligario: ut ſcias, multa ab oratore tam addi quàm
omitti ſolere. Nam in Piſonem in hunc modum definit: Quare ſi ti- “
bi euenerit quod metuis ne accidat, equidem nō moleſtè feram: ſin “
id tardius fortè fiet, fruar tamen tua indignitate, nec minus liben- “
ter metuentem uidebo, ne reus fias, quàm reum: nec minus lętabor “
cum te ſemper ſordidum, quàm ſi pauliſper ſorditatum uiderem. “
Sed prætermittendum nō eſt, cum in motus omnino neruos inten
dis, non eſſe hæc ita diſtinctè tractanda, ne cura aut diligentia appa
reat: uerùm miſcenda omnia, ut non una aut ſimplex ponatur ἠθο-
ποιΐα, ſed multæ, & paſsim diſperſæ, commixtæq; cum uarijs figu-
ris proſopopœię. In materia uerò difficili & obſcura, plures epilo-
gi quàm affectus erunt.

Exemplum. Cap. 39.

SVPEREST itaq;, ut in exemplari noſtro omnia demon-
ſtremus, quo facto explicatum iri ſpero totam illam ora-
tionem celeberrimam pro Milone, & monſtratum om- *Miloniana orationis præſtantia.*
nem ordinem collocationis, ac methodum. nam ex analo
gia cuiuis licebit facillimè de alijs iudicare, modò hanc probè tenue
rit. Tranſit itaq; orator, per dubitationem, non ſine affectu ac
more: Quid iam reſtat? quid habeo? quid dicam? quid faciam pro
tuis in me meritis? niſi ut eam fortunam, quæcunq; erit tua, ducam
meam? non recuſo, nō abnuo. Poſtulatio: Voſq; obſecro Iudices,

ut ueſtra beneficia, quæ in me contuliſtis, aut in huius ſalute augea tis, aut in eiuſdem exitio occaſura eſſe iubeatis. Deſcribit enim Cicero ſtudium ſuum erga Milonem, ac deinde Milonis mores. His lachrymis non mouetur Milo, eſt quodam incredibili robore animi: exilium ibi eſſe putat, ubi uirtuti non ſit locus: mortem naturæ finem eſſe, non pœnam. Sed hic ea mente ornatus eſt. Hæc una deſcriptio Milonis: cui ἀδείκωσιν hanc ſubiecit: Indignum eſſe ut pa tria expellatur is, per quem patria, ego, amici, commilitones omnes ſeruati ſunt. Quam exaggerat ex circũſtantijs, cum figuris proſopo pœiæ: Quid uos Iudices, quo tandem animo eritis? memoriã Milonis retinebitis, ipſum eijcietis, & erit dignior locus in terris ullis, qui hanc uirtutem excipiat, quàm hic qui procreauit? Hæc propo ſitio eſt indignitatis, ſumpto argumento à loco, per apoſtrophen ad iudices, centuriones & milites: Vos uos appello fortiſsimi uiri, qui multùm pro republica ſanguinem effudiſtis. uos in uiri & in ci uis inuicti appello periculo, centuriones, uosq́ milites: uobis non modò inſpectantibus, ſed etiam armatis, & huic iudicio præſidenti bus, hæc tanta uirtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? eijcie tur? Conqueſtio per apoſtrophen ad ſe, ad liberos ſuos, ad fra trem: ſumpto indignitatis argumento à perſona eorũ qui iudicant, & qui defendunt: O' me miſerum, ó me infelicem, reuocare tu me in patriam Milo potuiſti per hos, ego te in patria per eoſdem retinere non potero? Quid reſpondebo liberis meis, qui te patrem alterum putant? Quid tibi Quinte frater, qui nunc abes? conſorti mi hi temporum illorum? me'ne non potuiſſe Milonis ſalutẽ tueri per eoſdem, per quos noſtram ille ſeruaſſet? At in qua cauſa nõ potuiſſe? (ex circunſtantijs auget indignitatem) quæ eſt grata gentibus. A' quibus non potuiſſe? ab ijs qui maximè P. Clodij morte acquieuerunt. Quo deprecante? me. Exprobratio, quæ cum impetu erumpit: Quód'nam concepi tantum ſcelus, aut quod in me tantum commiſi facinus, Iudices: cum illa iudicia communis exitij indagaui, pateſeci, protuli, extinxi. Omnes in me meosq́ redundant ex illo fonte dolores. Quid me reducem eſſe uoluiſtis? An ut inſpectante me expellerentur ij, per quos eſſem reſtitutus? Nolite, obſecro uos, pati mihi acerbiorem reditum eſſe, quàm fuerit ille ipſe diſceſſus. Nam qui poſſum putare, me reſtitutum eſſe, ſi detrahor ab his, per quos reſtitutus ſum? Optatio, cum conceſsione: Vtinam Dij immortales feciſſent (pace tua patria dixerim: metuo enim ne ſcelerate dicam, quod pro Milone dicam piè) ut P. Clodius non modò uiueret, ſed etiam Prætor, Conſul, Dictator eſſet, antequã ſpectaculum hoc uiderem. Exclamatio: O' Dij immortales, fortem, & à uobis, Iudices, conſeruatum uirum. Rurſum ἦθ@ & notatio ex relatione

latione ſermonis, & cõceſsio ironica: Minimè minimè (inquit) imò uerò pœnas ille debitas luerit: nos ſubeamus (ſi ita neceſſe eſt) non debitas. Alia exprobratio modeſtior cum exclamatione: Hiccine uir patriæ natus, uſquam niſi in patria morietur? huius uos animi monumenta retinebitis, corporis in Italia nullum ſepulchrum eſſe patiemini? Hunc ſua quiſquam ſentẽtia ex hac urbe expellet, quem omnes urbes expulſum à uobis ad ſe uocabunt? Exclamatio: O' terram illam beatam, quæ hunc uirum exceperit: hanc ingratam, ſi eiecerit: miſeram, ſi amiſerit. Deſinit tandem ex abrupto: Sed finis. neq; enim præ lachrymis iam loqui poſſum, & hic ſe lachrymis defendi uetat. Scitum cum ratione: Vos oro obteſtorq́; Iudices, ut in ſententijs ferendis, quod ſentietis, id audeatis. ueſtram uirtutem, iuſticiam, fidem (mihi credite) is maximè probabit, qui in iudicijs legendis optimum & ſapientiſsimum quenq; legit. Hactenus nec puto dilucidius demonſtrari, aut expreſsius tradi partes potuiſſe. ubi illud uel apertiſsimè cognoſces, non incœpiſſe perorationem, ut quidã putant, ab eo loco: Sed de cauſa ſatis. illic enim caput ultimum defenſionis, quod propoſuerat, inducit: συγγνώμην ſcilicet, non perorationem, ut nos etiam declarauimus. Sed quæres fortaſſe, ubi eſt epilogus? hunc enim antea nos in ſecũdo loco perorationis collocabamus. Nullus ſanè eſt. nam & illa ſermonis interruptio, qua ſuffragium declaratur, aliud non uult, quàm epilogi factam eſſe omiſsionem. Iam uiderint quid loquantur, qui omnem perorationem fieri putant per enumerationem. Sed nos tamen, nõ quid alij ſenſerint, uerùm quid comperiatur in re, quidq́; natura doceat, inueſtigamus: reliqua, tanquam remoras, & uana impedimenta, prætermittimus. Hoc unum uenit obſeruandũ, apoſtrophen & proſopopœiam, per omnia inueniri. nam ad iudices conuerſus eſt ſermo, & ad Centuriones, ad milites, ad Milonem, ad liberos, ad fratrem. Proſopopœiæ autem, primùm dubitatio, deinde poſtulatio, conqueſtio, exprobratio, optatio, exclamationes multæ, & ethopœiæ duæ. *Apoſtrophes et proſopopœiæ uſus.*

Recapitulatio partium orationis. Cap. 40.

SED quemadmodum non eodem limite ſemper claudũtur agri, ſed interdum monte, nunc flumine, aliàs uia: & quanquam id quod finem ſequitur, ab agri natura ſæpe diſsideat, non ubiq; tamen. Nam inter duo eiuſdem glebæ iugera non rarò uicinorum lites amputat erectus in medio lapis. Itaq; licet apodioxis ſola orationi finem imponat (quæ inſtar lapidis, partes orationis plerunq; & argumenta diſtinguit) non ideo tamen ratio hæc cõcludendi uera nõ eſt, nec præcepta doctrinæ cõtemnenda. Poſſunt enim partes illæ & ſimul omnes adhiberi, & o-

mitti ſingulæ. Sed ſine fine omnino ſilere, hoc præter naturam eſt, & monſtri ſimile. Illud autem quod pleroſqꝫ ab hac præceptione deterruit, quòd in fine & iam quaſi perorata cauſa (uti omnia tractata uidentur) Orator nouum argumentum & firmiſsimum pro coronide ſubiungit, quod obliuioni uidetur tradidiſſe, uel quod tunc quaſi primum ſuccurrerit, nihil profectò habet contra naturalem œconomiam. Si enim oblitus reuera fuiſſet, aut oblitum fuiſſe ſe nõ ſimularet: cur artem & naturam neglexiſſet, nulla cauſa inueniretur. Sed cum rei tùnc primùm in mentem uenerit, certum eſt nõ potuiſſe rem ſuo loco tractare. Atque hoc eſt artem diſsimulare: tanquam præ imperitia, uel obliuione, artem non ſequi. Sed non eſt propterea nulla ars, quòd arte quiſpiam non utatur. Et in exordijs ſi quis unum aliquem ex tribus illis finibus neglexerit, aut proponendi, opponendiqꝫ, & ſuffulciendi præceptis (quæ certa ſunt, & definita) prætermiſsis, rectè aliquando ingrediatur, non mirum erit. Nam anomalia cum iudicio adhibita iuuare poteſt: ut in templo Aquiſgrani, omiſſa illa forma communis eccleſiarum, quid pulchritudini detraxit? Ergo nec narrando ſemper circunſtantias ſequemur, nec in probando ſemper illas argumentandi formas, ergaſiam, enthymema, epenthymema, exegeſin, circunſtantiæ declarationem, epergaſiam, uiolationem, dilemma, incremẽtum, conditionalem, epiphonema: quoniam priuſquam ratio artis haberi poſsit, ſubitò nos rei ſenſus aliò detrudit. Interdum ars omitti multa iubet, quæ artis ſunt: & abſque arte multi documenta ingenij dedêre. *Sed quæ nunc ratio eſt*, (inquit Ouidius, *impetus antè fuit*. Habes, quid ſentiamus de concluſione, & de omnibus demum partibus actionis. Faxit CHRISTVS opt. max. ut conatus hic noſter non pereat: ſed gratus fiat doctis hominibus, & amicis.

Artem diſſimulare.

DE ORATIONE LIBER QVARTVS.

PROOEMIUM.

Inuentio. Elocutio.

OMnis ars atqꝫ exercitatio quæ circa orationẽ ſuſcipitur, uel ſententiam ipſam cernit, uel uerba. Sententiam uocant Græci νόημα, hæc ὀνόματα. Latini & Græci utriqꝫ partem unam, quæ ſententiam inquirit, inuentionem dixere: alteram, elocutionem. quę licet forma quædam ſit atqꝫ habitus uerborũ & ſententiarũ ad rem ſignificandã accõmodata, non alibi tamen q̃ꝫ circa uoces & uerba uerſatur. Vtriuſqꝫ aũt & inuentionis & elocutionis propria uis cognoſcenda, ne alterius ſpecie altera nobis imponat.

Huc ſpectat, quod Phauorinus apud Gellium de Lyſia & Platone dicebat: Si ex Platonis oratione uerbum aliquod demas, mutés uc, atq; id cõmodiſsimè ſacias, de elegantia tantum detraxeris: ſi ex Lyſia, de ſententia. ita uerbum unum in hoc ſententiam continet, in altero elocutionem. Quum autem in ſuperioribus libris de inuentione diſputatum ſit (quæcunq; enim inueniendi, inuentaq; diſponendi rationem continent, ita demonſtrauimus: ut & fontes quæſtionũ, quaſi indice deſignauerim, ut ſpecies atq; ſtatus, ſtatuumq; confirmationes & capita, propemodum calculis numerari queant: necnon orationis partes, partiumq; naturam ac diſpoſitionẽ, quantum ſtudio diligẽtiaq; fieri potuit, inueſtigauimus) iam tempus eſt ut diu promiſſam, & ab omnibus deſideratam elocutionẽ aliquando doceamus. Hæc namq; eſt, quæ inſtar miraculi mouet atq; allicit mortales. Quam cum uulgus ut diuinam admiretur, neq; prorſus tamen aſſequi ſe poſſe deſperet: ſenſu quodã uoluptatis, ut ſibi familiarem & notam, ſic amplectitur & amat, ut magis tamẽ animo ſuſpiciat, quàm ore imitetur, & maiorem animo ſpiritum cõcipiat, maioremq; de ſeipſo perſuaſionem, quàm uires ferant atque eruditio. Quæ igitur hactenus dicta ſunt, uim quidem habent inuentionis, & conſilij laudem: ſed elocutione omnia quaſi condiuntur, & cum pompa quadam magnifica diuiteq; oſtenduntur. Id appellarunt ueteres artem dicendi: quia ſententiam ab arte, tanquã medicum à pigmentario & chirurgo diſtinxerant. Nam ſicut à medicina ſententia capitur, an oporteat ſecare, aut urere, aut purgare: ab chirurgo autem ferrum abſconditur, ne refugiatur: à pigmentario poculu intingitur melle: ſic orator ſententias & mores à philoſophis mutuatus, nunc arte tegit mentem, ut antè admittatur quàm digno ſcatur: nunc argumentũ, quaſi melle dictionis perungit: nunc alio aut alio modo omnia cõmiſcet ac temperat uti pigmentarius, pro moribus perſonæ, & rei natura. nam ſi auditor ab uno ueluti æger abhoreat, pro illo ſubſtituet aliud eiuſdẽ uirtutis, & ſynonyma inueſtigabit: ſi apertè dictum offendat, figura deflectet, aut tropo. Quocirca Plato oratoriam culinariæ, & rhetorem coquo non illepidè comparauit. Sed ille contra artem diſſerens, nõ aliunde quàm ab arte laudem uenabatur. Ergo artem hanc nos nomine uſurpemus elocutionis: cuius munus id eſſe dicitur, quod proprium exiſtimatur eſſe oratoris, ornatè, uarieq; dicere: & ſplendidis magis, (ut quidam putant) quàm fortibus armis pugnare. In uſu rerum (inquit Varro) duas natura metas poſuit, ad quas tãquam ſummas contendit omnis humana induſtria. una eſt utilitatis, altera elegantiæ. Non enim ſolum ueſtiti eſſe uolumus ut uitemus frigora, ſed etiam ut uideamur ueſtiti eſſe honeſtè; non domum habere ut ſimus

Phauorini de Lyſia et Platone iudicium.

Elocutionis uis.

Ars dicẽdi.

Oratoriam culinariæ, & rhetorẽ coco ſimilẽ Plato dixit.

Elocutionis munus

Vtilitatis et elegantiæ metæ in uſu rerum.

in tecto & tuto ſolum,quod neceſsitas contruſerit,ſed etiam ubi uo
luptas retineri poſsit:non ſolum uaſa ad uictum habilia, ſed etiam
figura bella,atq; ab artifice nobili.Quod aliud homini,aliud huma
nitati ſatis eſt. Quoduis ſitienti poculum homini idoneum eſt, hu-
manitati niſi bellum parum. Sed quanquam incipientibus dum,
rudibusq́; animis,non illa ad amuſsim examinata, & per ſinus om-
nes diſcuſſa ratio proſit:ſed breuior magis,ſimpliciorq́; conueniat:
(ſunt enim præceptis, tanquam cibis leuioribus alendi in initio:)
at qui laudem integram eloquentiæ mereri cupiunt, non prius ſe
ſciant rei finem attigiſſe, quàm hanc ipſam, non quidem obiter aut
defunctoriè, ſed quàm exactiſsimè didicerint,uſuq́; aſsiduo ſibi cō
pararint artem eloquutionis. Habent, ut & cætera omnia,inge-
nia ſuas ætates: & quemadmodum tenello puero, ei ſcilicet quem
alendum tantum,indulgentiaq́; omni nutriendum ſuſcepiſti,ſi gra
uius quid imponas,atteras magis,aut membris diſtorqueas: cōtrà
uerò firmiorem & lacertis & lateribus,ocium eneruat,ac deliciæ:ſic
adultiora maturioraq́; ingenia intenſio & rerum difficultas confir
mant:ubi teneriora uel omnino obſtupeſcunt,uel certè ob difficul-
tatem à ſuſcepto labore deficiunt. Hinc putant nōnulli fieri,ut qui
diligētiſsimi ſcriptores artium fuerint, ijdem longiſsimè abfuerint
à facundia:cōtrà uerò qui eloquentiſsimi,ijdem pauca de arte, mul
ta de imitatione tradiderint.Sed non eam cauſam puto: uerùm na-
turam. etſi non adeò abſunt hi ab eloquentia, ut ſi quando ex præ-
ceptis loqui uelint,non ipſi artifices plura conſequantur,quàm im-
periti. Verùm quia compertum eſt,eloquentiæ magis idoneos eſ-
ſe frigidiores,& natura lentiores homines:diſciplinis uerò,bilioſos
& celeres,quòd memoria,theſaurus eloquentiæ, in his magis con-
quieſcat:quę in acutis motu nimio,agitationeq́; celeri ſpirituū per-
turbatur: ideo nihil mirum uideri debet, ſi ijdem nequeunt & arti-
ficioſiſsimi & eloquentiſsimi apparere. Siquidem quem natura ad
bene dicendum,& ad gubernacula reipub.iam inde à principio for
mauit: ſi bene dicendi pariter, & eius uirtutis quam natura dedit,
artem documentaq́; percalleat,quæ'nam putas editurus eſt miracu
la eloquentiæ? Sed quia fit plerunq;,ut propter difficultatem,mul
titudinemq́; præceptorum,multi ab hoc ſtudio deterreantur: pru
dentis erit doctoris, uiam ſtatim & initiò planam atq; expeditam
docere:atq; eo modo in docendo præire, ut nunquam ab oculis re
cedat auditoris:nec amplius pergat, quàm quatenus poſsit cum di
ſcipulus imitari ac referre. Nec aliter nos, ut exiſtimo, ſumus in-
greſsi. Nam ex generalibus noſtris pratitionib. per certa compen-
dia duci poteris:quin etiam ex facilitate paradigmatum,præcepto-
rum difficultatem & multitudinem (quæ certè non parua eſt) me-
tiri;

Ingenijs, ut cæteris rebus omnib. ſua ætas.

Eloquētiæ aut diſcipli nis magis idonei qui.

tiri: etſi plura à nobis congeſta eſſe uideantur, & difficiliora quàm quæ capi poſsint à rudi adhuc & tenello puero. Idcirco probarẽ eam rationem, ut cognitis genere tenus modò tribus ſtatibus, cum circunſtantijs illis perſonæ, temporis, loci atq; alijs: protinus exerceretur puer in doctrina eloquutionis. nimirum ut ſciat ſententiã orbe conducere, contraria opponere, paribus referre paria, ludere ſimiliter tum deſinentibus tum cadentibus: frequẽtationibus quoque, & zeugmatis aliquando ſeſe attollere. Hæc namq; ſunt ferè illa miracula, quæ tantopere ſuſpicimus, & tanquam inſignia in magno theatro fulgentia cõtemplamur. Neq; tantum ſæpe uirium gerunt argumentorum acies inſtructæ, quantum ferè oſtentat dictionis comptæ elegantia. Erit ergò altera noſtræ artis atque operæ pars, Eloquutio: qua declarata, quid oratio ſit, & quomodo fiat, erit manifeſtum. Ea namq; omnia quæ dicta hactenus, orationẽ eſſe uerba & uoces ſignificantes ſenſum aliquem effecere, quarũ quæq; ſeorſum etiam accepta ſignificant: Eloquutionis autem præcepta, quomodo hæc ipſa fiant, & componantur ſimul, oſtendent. Hanc Græci uocarunt φράσιν. In qua partes ego inuenio ſeorſum & per ſe cognoſcendas, μέθοδον, σχῆμα duplex, τρόπον, & σχηματισμὸν ſeu μετάπλασμον, ac deniq; συνθήκην. Latinè dicemus, Ductum, figurarum duo genera, modum, configurationem, & ſtructuram. De his eſt ſingulatim dicendũ: & primùm de Ductu, quia multam habet cum inuentionis arte cognationem, & ingenij acrimoniã declarat: reliqua deinceps perſequemur. nec prætermittemus aliquid, ſi fieri poteſt, cuius ſpecies aliqua in oratione inueniatẽ, aut cõformari poſſit arte eloquutionis. idq; ut aſſequamur, & noſtra demonſtratio filùm ac methodum, quam cœpit, nuſquam deſerat: altius repetito principio de notitijs animi & opinione, atq; ea oratione quam dicunt mentalem, pauca delibabimus, penitius aliquanto inueſtigantes huius philoſophiæ rationalis fontes, & ſcaturiginum abditos in natura meatus.

Tradendæ artis dicendi quæ opt. ratio.

φράσις. Elocutionis partes.

De Ductu. Cap. 1.

STATV cognito, & quæſtionis epicherematibus inuentis, reſpicere dicturũ oportet ad Ductum. Voco autem Ductum, rationem illam diſſerendi, qua caput aliquod, aut tota cauſa tractatur, planè, ſimpliciter'ue, aut ſecus. Nam ut ſententiarum ſingularum figuram eſſe quandã notum eſt, qua exponuntur ſenſus, quæq; poteſt pro dicentis arbitrio mutari: ſic totius cauſæ & ſingulorum argumentorum eſt quædam ueluti figura & forma, qua negotium uel apertè (ut dixi) tractatur, atq; ſimpliciter, uel ſimulatè & flexè. Ac potiſsimum quidem ſita eſt in ratione exordiendi, concludendi, occupãdi, & narrandi. Res enim

Ductus quid.

ipſæ,

ipſæ, de quibus agitur, quædam in perfacili cognitione uerſantur, quædam in difficili. Aliæ rurſum ob turpitudinem offendunt, aliæ ob pulchritudinem, delectant. Eam ob rem pro negotio alia eſt atque alia adhibenda tractatio: nec eodem omnia modo ſunt proponenda. Sapiens orator ſit oportet, & temporum perſonarumq; moderator. nec ſemper, nec apud omnes, nec contra omnes, nec pro omnibus, nec omnibus eodem modo dicendum putabit: ſed ad decorum ubiq; reſpiciens obſeruabit, ut ijs indicijs prodat imprudentiam, quibus ſapientia continetur, uerbis inquam, & oratione. Sed Methodum Græcè iam Latinè Ductum appellauimus: uel ſi lubet cum Cicerone, tractationẽ: Halicarnaſſeus uocat ἀγωγὴν. Sunt qui definiunt οἰκονομίαν, τὸ πῶς δεῖ προφέρειν τὰ νοήματα, ἥτις ἐστὶ σχῆμα τῆς ἐννοίας. hoc eſt, Diſpenſationem conceptuum animi & ſententiarum, quo quæq; modo exponi debent. Sic Ductus nihil erit aliud, quàm figura ſententiæ, & cogitationis exponendæ modus. Et nos quidẽ ex figuris huiuſmodi fieri aſſerimus, & ad hunc uel illum ductum pertinere alias atq; alias figuras docebimus. Quare totius cauſæ & argumentorum ductus nobis erit, non unius ſentẽtiç. Sed ſententiæ figuras ponemus. quanquam Hermogenes nullam facit, niſi methodum: alias dictionis nominãs. Non loquor autem hic (ne fallaris) de idea orationis. hanc enim non ſolum ſenſu, ſed uerbis, & uerborum compoſitione dignoſcemus: & partem habet inter alias, Ductum hunc, de quo agimus. De quo etiam illud nũc dictum ſit, quòd ſolius intelligẽtiæ ſimplicitate, uel ſimulatione finitur. Neque enim plures facio quàm duos (etſi Fortunatianus quinq; enumeret) ſimplicem, & figuratum. Prior ille in cauſis adhibetur, quæ apertè & ſimpliciter exponi uolunt, & quemadmodum in re eſt: cumq; id uerè cupimus, quod uerbis uidemur cupere. Figuratus uerò tum dicitur, cum aliud eſt in actionis themate, quàm in agentis uoluntate: cum uidetur uel non decere, uel non expedire, ut animi noſtri ſenſum apertè declaremus. id pleriq; appellarunt colorẽ: nec immeritò. Nam dicendi forma, tanquam alio inducto colore, ſenſus facies diſsimulatur ac fucatur. Dionyſius tamen ex tribus figurarum formis, ſeu figuratis certaminibus (ſic libet dicere, quæ ille ἀγῶνας ἐσχηματισμένους) unam uocat colorem, alteram obliquã, tertiam contrariam. Et in colore quidem ait dici omnia quæ uolumus: ſed opus tamen eſſe decoro, tam propter dignitatem perſonæ ad quam loquimur, quàm ut periculũ uitemus. Hanc nos figuram paulo pòſt per emphaſin definiemus. Nunc ergo ſit generale nomẽ figurati ductus, Color. Itaq; & color, & ductus ſimulatus, & controuerſia figurata, idem apud me ualent. Et fieri quidem color ductuſq; figuratus tribus modis poteſt: per cõtrarium, per obliquũ, per

Oratori cuiuſmodi ſapientia opus · *Methodus.* · *Tractatio.* · *ἀγωγή.* · *οἰκονομία.* · *Diſpẽſatio.* · *Orationis idea.* · *Ductus duo tantum.* · *Simplex.* · *Figuratus.* · *Color.* · *ἀγῶνες ἐσχηματισμένοι.* · *Figurati ductus uaria nomina, & triplex ratio.*

per emphaſin. Quanquam certè omnes huiuſmodi ductus figurati,emphaſin,id eſt ſignificationem ſapiunt, & ſubtiles dici poſſunt. Aliud enim habent(ut dixi)omnes in themate,aliud in agentis uoluntate:quod ſubtilium eſt argumentum,& definitio. Contrarium appellant,cum eius quod obtinere cupimus,oppoſitum,& omnino contrarium,ſed rationibus aut debiliſsimis & ſolubilibus, aut pugnantibus confirmamus.ut Plato,cum ſentiret falſa eſſe quæ de ſuis illis Dijs uulgo ferebantur(quod ex multis dictis eius etiam cõſtat) tamen in lib. de Legibus ſic ait: Fabulis quæ de Dijs traditæ ſunt,quoniã in eis nihil falſi habetur,credi oportere. Et in Timæo: Sed de aliorum Dæmonum atq; Deorum generatione diſſerere maius eſt opus, quàm ut humeris noſtris ferre poſsimus. quare ijs qui ea tradiderũt,credere debemus: qui cum à Dijs orti ſint,& parentes ſuos qui ſint probè teneãt, nullo modo falluntur. nam quãuis neq; neceſſariò,neq; probabiliter dicant:tamen quia rem ſuam enarrant,æquum eſt ut eis fidem adhibeamus. Hæc Plato, qui rationibus frigidiſsimis pugnantibusq;(ut uides) aſſerens deos gentiũ, magis profectò negat. Eadem arte apud Homerum, fugiendũ cenſuit Agamemnon,cum nihil minus cuperet:Iliados ſecundo. Et ne trita exempla contemnamus, dant Athenienſibus pacem Lacedæmonij,ſi ſibi uelint inuiſum Periclen dedere. Deliberantibus Athenienſibus,Pericles in hunc modum perorabit:Dari me oportet Athenienſes, quamuis ægrè ferant amici noſtri: magis enim obediendum hoſtibus, quàm amicis eſt. Ego enim ſemper eo fui in remp. animo,ut uitæ meę uitam ueſtram prætulerim. Ergo contrarius ductus hoc habet, ut eius rationes magis quod diuerſum eſt efficiant, quàm quod uidentur petere; idq; uel ineptitudine ſolutionis in hypotheſi,uel repugnantia aſſumpti in argumẽto. Quocirca uirtus huius methodi eſt, quod uitiũ in omni ratione iudicatur. Nam facile ſolubilia dicere,& antiſtropha,atq; etiã pugnantia,quis probaret?hic aũt non ſolum talia dicimus,ſed etiam uideri uolumus talia dicere,et omnino abſurdè loqui. Quod ſi ſcire cupis qui aſſequamur: primùm contrarij propoſitiones fortes ponimus,noſtras autem debiles:deinde rationibus utimur abſurdis,aut quibus alij cõtra noſtram ſententiam uti poſſent. Hoc quidem faciunt & methodo hac abutuntur,quicunq; uideri uolunt abſtinentes, rejciendo id quod ab amicis offertur. Rejciunt hi uerbis munus, quod re ipſa capiunt. Probat autem præterea genus hoc coloris non parum, ut & alios quoq;, exclamatio, omniſq; uocis elatio, atq; allocutio: quòd magis animi commotione, quàm iudicio, loqui uideare. Dicturus namq; Sinon apud Virgilium,

Iamdudum ſumite pœnas, uide qua uoce erumpit:

Contrariũ.

Ductus contrarij proprium.

Sed

Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata reuoluo?
Quid ue moror?— Et ſequuntur rationes:
— *Si omnes uno ordine habetis Achiuos?* Et rurſum:
Hoc Ithacus uelit, & magno mercentur Atridæ.

Ductus per obliquum. Hic ergo ductus eſto per contrarium. Per obliquum autem ita procedimus, ut aliud quid petere uideamur, quàm ſit id quod efficere: & quodã modo confirmando aliud, ad id uiam facimus, quod tutum non eſt dicere, aut non decet apertè dicere. Appellant aliqui Conuolutio. περιπλοκή. Circuitio. conuolutionem, & Græcè περιπλοκὴν, alij circuitionem.
Anna ſoror, quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent? Et ſequitur:
Sed mihi uel tellus optem prius ima dehiſcat:
& quæ ſequuntur. Obliquè enim cupit ſororẽ in id deducere quod proponere ipſa non eſt auſa. Id declarat Poeta:
Spemq́; dedit dubiæ menti, ſoluitq́; pudorem.

Inſinuatio. Dici poſſet hic ductus inſinuatio, & ferè eſt maioris exordij forma. nam propriũ huius & peculiare opus eſt, duo ſimul oppoſita componere: quales ſunt propoſitio & redditio: quibus utriſq; cõfirmatis, alterum quod minus in principio apparebat, dominatur. Diues in maxima annonæ caritate cum pauperem inimicum haberet, copiam promittit ciuitati, ſi pauperem ſibi liceat inimicum occidere. Hic pauper non audet contradicere palàm & directè, ueritus potentiam inimici, ſed obliquè ita aget: Libenter ego pro patria oppetam, ſed uidete ne nulla ſit apud hoſtem hũc meum annona. nam ſi ſit, licet etiam ab inuito neceſſariã reipublicæ extorquere. Hic pauper uiam aperit, ut liberetur, quia licet ab inuito capere reipub. cauſa. Nec tamen dixit iſtud, niſi alijs præmiſsis, per quæ ad ſententiã ſuam obliquè peruenit. Sic argumenti maior minorq; propoſitio ſparſim demonſtratæ, cum ſine concluſione ponantur, id efficiunt quod uolumus: ſed obliquè. His hæretici & apoſtatæ à religione utuntur ſæpe. tribuunt enim quidam ſermonem alijs, quem tamen non refellunt: ut Cicero Cottę de natura Deorum. alij exempla per irriſionem adducunt, ut Comici ueteres, & Lucianus, faciebãt. Sic igitur ſi partes orationis alia diſpoſitione atq; ordine tractantur, q̃ ſit ille rectus & naturalis, quem hactenus docuimus, methodũ eſſe Ductus προηγούμενος. oliquam cenſe: & dici poteſt ductus προηγούμενος, quia per occupationem apparet atq; efficitur. Ideo nunc à concluſione incipies argumentationem, nunc eam abſcondes, & quaſi cum tuis rationes aduerſarij confirmabis atque aſſeres: quam uocant inſinuationem.

Paleſtra iudiciorum. Huc referemus, quod Græci dicunt πάλαισμα, ſeu σόφισμα δικαστηρίων καὶ ἀκουόντων, id eſt ludum & deceptionem auditorum. Hoc autem fit, cum ea quę extra rem poſita ſunt, ita adferimus, ut quaſi neceſſe ſit dici à nobis: uel contrà, etiam ſi neceſſe non ſit, aut facile, aut decens:

decens,tamen ut ſatisfacias auditori,optas dicere,ut illud:

— Nec ſi miſerum fortuna Sinonem
Finxit,uanum eadem mendacemq́; improba finget.

Quaſi id primùm dici oportuerit, ut fidem uerbis obtineret. In hac methodo,quod aduerſario prodeſt, ita adferendũ à nobis eſt, ut aut ſimplicitatem fingamus, quaſi extra propoſitum recordati: aut ita reijciẽtes, quaſi indignum quod in quæſtionem adducatur, producemus.ut pro Cœlio Tullius:Equitis Romani autem eſſe filium,criminis loco poni ab accuſatoribus,neq; his iudicantibus oportuit,neq; defendentibus nobis.Hic per ἀποδίωξιν factus eſt color,id eſt reiectionem. [ἀποδίωξις.] Si uerò attentionem iudicis timentes,omnia confundimus,promittendo ſuo loco nos poſtea dicturos,Græcè dicitur ἀποπλάνησις, id eſt aberratio, ſeu deceptio. [ἀποπλάνησις.] Ea uſus pro Cluentio eſt orator,ut tenebras ſe offudiſſe iudicibus iactarit.Intelligant(inquit) nihil me nec ſubterfugere uoluiſſe recitãdo, nec obſcurare dicẽdo. Quæ autem pro nobis faciunt, ea tanquam maximè neceſſaria commemorabimus, aut tanquam nos antea purgaturi. Talis eſt illa procataſceue, de qua ſuprà in narratione. Alterius autem in eadem Miloniana hoc obſeruato: ubi orator tanquam aliud agens,in obiectionem incidit.quam diluit per occaſionẽ: [Occupatio.] Quia quanquam paratus in imparatos, Clodius tamen mulier inciderat in uiros.Nec uerò ſic erat unquam non paratus Milo contra illum, ut non ſatis ferè eſſet paratus: Ergo in obliquo ductu,quæ aduerſarius fortè arriperet,ea occupabimus antè,& noſtra clanculũ ſuggeremus. Supereſt emphaſis. [Emphaſis triplex.] Cum ergo non licet rem apertè eloqui,tribus ferè modis ſignificamus:Ambiguitate,reticentia,fictione. Raró tamen utendum ambiguitate:quód uulgaris eſt, & aperta nimium tractatio. [Ambiguitas.] Si uerò fieri debeat,tutiorẽ exiſtimo eam quæ compoſitione confundit ſenſum,quàm quæ homonymia unius uocis. Reticentia,ſiue præteritio, multo frequẽtiſsima eſt: [Reticẽtia.] cum quod maximè dicimus,præterire nos ſimulamus.Abſit ut ego crimen auariciæ tibi obijciam. *Nouimus & qui te.* Huius eſt eclipſis, cum cæteris narratis,quod præcipuum eſt, omittitur. Sed omnium tutiſsima fictio eſt.ut, [Fictio.] Quid ſi uolunt in ſuos uſus conuertere? non me oportebit etiam pati? Fingite filiam meam ab ipſo ductari,fruſtra auxilium ueſtrum poſtea implorabo. Quando autem non decet, pudorq́; impedit quo minus liberè loquamur: ſignificationẽ dare uno modo expediat,aut metaphora, aut metalepſi, aut antiphraſi, aut metonymia:utcunq; tandem nomen pro nomine ſubſtituẽdo. ut ſi mali ominis auertendi cauſa dicas, In periculo hoc urbem deponemus in manibus deorum:pro , urbem deſeremus. Sic cognouit, pro uitiauit : hilaris, pro turpi: parcus,pro auaro: et ſimilia,in

quibus ad genus reſpicientes, ea eligimus quæ nobis ſeruiunt, relictis proprijs. ſic laudaturi, ſumimus honeſta: uituperaturi, turpia.

Simonidis factum. Sic olim Simonides poeta, cum detrectaret in laudem cuiuſdē carmen componere, qui mulabus uiciſſet: moleſtum eſſe dicebat carmen pangere in ἡμιόνους, id eſt ſemiaſinos: poſtea uerò accepta mercede quam optabat, Saluete (inquit) uolucrium equarū filiæ. erant tamen nihilominus aſinorum filiæ. Sed iſtud non faciebat ad laudem.

Euripidis locus. Et apud Euripidem Oreſtes à Menelao dicitur μητροφόντης, id eſt matricida: ſed à ſe ipſo, ὁ πατρὸς ἀμύντωρ, id eſt ultor patris. Huius quoq; eſt illa ſignificatio, *Fumus Troes*: id eſt, nō ſumus iā amplius.

Emphaſis altera ſpecies. Altero itaq; modo fit emphaſis, cum ſpendidè & uenuſtè narrantur rei circunſtantiæ, re tamen ipſa prætermiſſa: quæ eſt illa eadē iam dicta περιπλοκὴν, per ambages rem exponēs, & obliquè. ut, — *Fuſus gremio per membra ſoporem.* Talis & congreſſus Æneæ cum Didone in ſpelunca. Debet autem hoc loco rei turpitudinem tegere ipſa uerborum & dictionis honeſtas & pulchritudo. ut illa, quæ conſtuprata narrat ſplendidè: » In Dionyſiorum pompa, cum » populi totius cœtus agerentur, me domū uſq; ſequutus, & frequen» ter compellans, blanditijs conciliata matre, me cognouit: illuſtres poſuit circunſtantias, & nomē pro nomine, cognouit pro uitiauit.

Tertia ſpecies. Tertius modus, cum uerbum ui ſua erumpēs, quaſi imprudētibus nobis, ſignificationem præbet. ut,

Non licuit thalamo expertem ſine crimine uitam
Degere more feræ? —

Hoc ultimum uerbum extempore uidetur præter ſententiam excidiſſe: in quo tamen magna uis atq; emphaſis, ut non hominum, ſed ferarum ſit uita cælebs. Iam ex magnis effectis magnas cauſas intelligi, etiamſi non exprimantur, facit. ut, *Et campos ubi Troia fuit:* — maximā certè fuiſſe urbem paucis uerbis innuit. Et quòd neceſſe fuit Antonio in conſpectu populi Rom. uomere poſtridie abſque infirmitate ulla corporis, quantum uini biberit ſignificat. Quod pinu Polyphemus regeret ueſtigia, & fune ex equo deſcenderēt Græci, magnæ erant & Gigantis, & machinæ illius moles. In his omnibus oratio diminuta eſt: atq; ideo plus aliquid intelligi compellit, quàm pronunciet. Idem efficitur per pronomina illa emphatica, ipſe, ille, idem.

Hyperbole. Contraria uerò ratione hyperbole quoq; idem facit: quia cum plus dicit, aliquid magnum notat:

Illa uel intactæ ſegetis per ſumma uolaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas.

Figurata problemata trib. modis fieri. Itaq; ut in pauca colligamus hæc, figurata problemata fiunt tribus rationibus: aut per contrarium, aut per obliquum, aut per ſignificationem. In contrarioq; aduerſarij mentem probamus; in obliquo,

noſtram ſimul cum aduerſarij: in emphaſi, proximũ aliquid nota-
mus,unde id quod non uacat, uel non audes, maximè intelligitur.
Et hæc quidem aut propter pudorem, aut propter timorem. In ti-
more autẽ locus eſt amphibologiæ præteritioni, fictioni:in pudo-
re,tropo utendum unius uerbi, multarum & illuſtrium circunſtan
tiarum inuolucris:ſermone per imprudentiam erumpente. Quam *Coloris appellatio.*
obrem ueteres non immeritò hanc dixerunt colorem.nam ſi uſquã
ars dicendi latet,certè hic magna eſt,tegendi atq; diſsimulandi.

De Affectatione. Cap. 2.

VERVM enimuero cauendũ, ne nimis aperta ſit noſtra
figura, & cum ductibus delectamur, magisq; uideri q;
eſſe figuratum ſermonem cupimus (quod ſæpe uſuue-
nit)ne hoc ipſum perdat,quo figura eſt,& in affectatio-
nem incidamus. Eſt enim uitium orationis, aut potius oratoris
(quod Græci κακόζηλον uocant)laudis ex ea re,unde probrum ma- *κακόζηλον.*
gis feras quàm laudem, affectatio.De qua Quintilianus eleganter: *Affectatio.*
κακόζηλον uocatur,quicquid eſt ultra uirtutem: quoties ingenium «
iudicio caret, & ſpecie boni fallitur: omnium in eloquentia uitio- «
rum peſsimum.nam cætera parum uitantur,hoc petitur.Quare ut «
uitium eſt,omnia ſimpliciter dicere: ſic propè crimen, omnia ſimu-
lare.Quod ſi ad cauſas eius animum aduertamus,& ubi accidat tan
tus error:nunquam profectò,aut certè rariſsimè committetur. Fit *Affectatio,*
enim,cum ſtudio elegantiæ, aut uictoriæ, adeò effertur noſtra au- *& quomodo fiat.*
dacia:ut impoſsibilia aſtruamus, aut turpia, aut impia, aut iniqua,
aut naturæ repugnantia,aut non conſequentia,ſed contraria uel ſu
peruacua. Quod in nominum tranſlationibus frequentius contin
git:cum remotę nimis,aut longè petuntur.In compoſitione autem
rarius:quòd rari figuras compoſitionis teneãt. quibus uerò hæ in-
noteſcunt, in his uſq; ad nauſeam redundant. In alijs redundantia
comprehenſionis &obſcuritas,fracta compoſitio,uocum ſimilium
& ambiguarum nulliusq; ſenſus puerilis captatio,ſtudium affecta-
tionis produnt. Quæ tanto quidem nobis in re ſeria fugienda ma-
gis eſt,quanto minus poteſt præmunitione illa ſanari,quam Græci
dicunt προθεραπείαν ſeu μείλιγμα. Siquidem impoſsibiliũ,turpium,
& earum rerum quæ nullo modo uidentur congruere, omnis po-
teſt affectatio aliquatenus excuſari,ſi de audacia confiteare. ut ſi ali-
ter dicas quàm natura habet, aut quàm oportet, aut quàm par eſt:
adhibito hoc remedio (ut ſic dicam, ſi credere fas eſt, & ſimilibus)
nihil inſolens apparebit. In uerborum autem ſtructura ſi quid af-
fectatum ſit,uix quicquam inuenias quod cauſeris. Ergo ut uitium *Affectationis uitium*
affectationis declinare queas,intelligendum eſt quo pacto hic erre *quomodo*
tur. Et primò quidem contingit hic error(ut cæteri omnes) in ſen- *declinãdũ.*

tentia,ſi falſum quid,aut non ueriſimile dicatur:uelut, qui fluminū magnorum fontes nauigabiles dicebat.Deihde,in moribus:ſi præter decorum & ueritatem perſonæ mores fingantur. Tertiò, in eloquutione:ut ſi importunis figuris, tropiſq; omnia deformes: dictionibuſq; uel obſoletis frequens, uel ſemper proprijs utaris. Nam uitium imperitiæ eſt, aut certè indicium ὀψιμαθίας, inſolentia uocabulorum.nam qui ſerò literis initiati ſunt, quoniam rara hæc admirantur,ſic & imitantur:nec poſſunt poetica ab hiſtoricis,aut hęc à ciuilibus philoſophicis & alijs ſecernere,propter imperitiā.Quartò autem, uitium affectationis in œconomia accidit, & diſpoſitione tam capitum quàm argumentorum: cum ſint omnia pro neceſſitate rei diſponenda. Sic uideas nonnullos, quia legunt apud præceptores,partes eſſe orationis, exordium, narrationem, & harum quædam capita:nunquam audent ab huiuſmodi præceptis recedere,ſed ubiq; ambitione magna beneuolentiam & attentionē uenantur,affectus mouent,atq; alia ineptè multa. Alij uerò contrà, nuſq; à rei continuatione recedūt,uni tantum probandæ inſiſtentes:cum liceat tamen egredi,& redire nonnunquam. Obſcurantur ad hęc ſæpe argumenta fortiora à debilioribus,dum(quò plurimi impingunt)multa uolumus dicere atq; inuenire. Neque multa aut pauca dicere bonum eſt,ſed neceſſaria,aut utilia. Nonnulli poetæ omnia, quęcunq; aliqua de re norunt,ubicunq; poſſunt, illic inculcant. ut qui omnes cœli & terræ tractus arrepta occaſione enarrant,oſtentandi cauſa:alij armorum genera,alij indumentorum,alij diſciplinarum. In quo dupliciter peccant, affectatione & aſchematiſmo, coacti diu ſub una figura laborare:& (quod turpius eſt)cum quædam prætermittant legentibus alioqui notiora,in imperitię opinionem recidūt,quam timebant. Aliud iudicium eſt,ſi rem ex inſtituto tractas: quia ſcribens de agricultura Heſiodus,non potuit non recenſere inſtrumenta omnia agricolarū. Iubet ex Ariſtotele Dionyſius,ut generales ſententias paucis concipiamus,& quæcūq; uidentur eſſe potentiſſima:debilia multis uerbis egent.qua de re in exordijs moleſtæ rei, longi ſumus, & obliqui. Itaq; in uniuerſum cauendum eſt,non ſolum in ſentētia & moribus, ſed in ornatu etiam, & omni dictionis cura,ne quid dicatur iniquum, inuidioſum, turpe,humile,audax,impoſſibile, aut ſuperuacuum, etſi prima fronte bellum uideatur. Quod ſi perdere non potes,ſaltem emollito præmunitione.ut,

ὀψιμαθίας indiciū, inſolentia uocabulorum.

Cautio generalis.

Dædalus(ut fama eſt) fugiens Minoia regna.

Et, Totum penè orbem repleuit. Eſt autem duplex hæc,quā dixi προθεραπείαν: per confirmationem,ut illa ſuperior, *Dædalus,ut fama eſt:* & illud: Nam qui non poteſt, qui uitioſe facit, quem denique non decet,

προθεραπεία duplex.

decet,hunc(ut Apollonius iubebat)ad id quod facere poſsit,detru "
dendum puto. Altera,per correctionem:quæ cum præmittitur,ap
pellari ſolet προδιόρθωσις:cum ſequitur,ἐπιδιόρθωσις. Quę non pro- προδιόρθω
fectò incommoda cenſetur,quoties dictum humile & uitioſum, ue σις.
nuſtior aliqua grauiorq́ꝫ ſententia & dictio ſequetur. In rebus ergo ἐπιδιόρθω
duris παῤῥησίᾳ,id eſt audaciæ confeſsione utemur. ut, Dicam enim σις.
liberè. Item appoſitione horum & ſimilium aduerbiorum,tanquã, παῤῥησία.
ueluti,propè, ferè:quæ in hyperbolis, ne inſolens omnino fiat men
dacium,magnæ dignitatis eſſe ſolent:Quaſi cœlum digito tãgeret.
In odioſis autem,ætiologia.ut,Quem honoris cauſa nomino. In pa
radoxis ſententiæ adhibentur generales.ut, Quæ eſt omnium na-
tura animantium. In dubijs,approbationes.ut, Ita fertur, ut aiunt,
ut eſt ſagaci ingenio. Vocatur quoqꝫ προδιόρθωσις illa occupatio
Soſtratæ apud Terentium,Primùm hoc te oro,ne quid credas me
aduerſum edictũ tuum facere eſſe auſam: & ἐπιδιόρθωσις, ſi dictum
ex iracundia,aut dolore,aut uoluptate,aliaq́ꝫ animi perturbatione
ineptum ſit,cuius ueniam petas. Suntq́ꝫ omnes figuræ occupatio-
nis. Igitur, ut ad inſtitutum reuertamur,cauendum modis omnib.
eſt ab affectatione: ut quæ iudicij parum oſtendat, ambitionis ſæ-
pe multum. Et, ut unde digreſſa eſt eò reuertatur oratio: In o-
mni ductu figurato, maximè uerò in obliquo, à propoſitione ea-
rum rerum abſtinebis,quas cupis efficere. Nam ſi iudex pręuideat,
non aliter præformidabit,quàm qui ferrum medici (ut ait Fabius)
antequam curetur,aſpexit. Docent hoc ipſum interrogationes illæ Socratis o-
Socratis obliquæ & figuratæ. Porrò autem ubi ad figuras & colo- bliquæ et fi
res aduerſarij ſit reſpondendum:ea quæ conniuentibus oculis prę- guratæ in-
teriri poterunt,præteribimus:uehementiores ſuſpiciones denuda terrogatio
bimus eueſtigiò: alias ut ipſe idem aduerſarius exponat ac decla- nes.
ret,exigemus:ueluti ignorantes illud neſcio quid, quod obliquè is
ſignificare deſiderat:qui ſi ſibi eſſet bene conſcius, non quidem ſub
tropis atqꝫ ambagibus,ſed apertè ac palàm protuliſſet. Atqꝫ hoc
etiam pacto omnem affectationem eius tam modeſtè eludemus, q̃
ridiculè. Siſenna,accuſante Caio Ruſcio defendens Chirtilium, di-
xit quædam eius eſſe ſputatilica crimina:tum Caius Ruſcius, Circũ
uenior (inquit) Iudices, niſi ſubuenitis: Siſenna quid dicas neſcio:
metuo inſidias:ſputatilica,quid hoc eſt? Sputa quid ſit,ſcio:tilica ne
ſcio. Sicq́ꝫ affectationem nouationis uerbi prodidit,&
extenuationem factam per tro-
pum eluſit.

De quinq; generibus cauſarum. Cap. 3.

Ductus orationis quomodo inſtituendus.

CENSENT Hermagorei, ex uero uel non uero conſilio inſtituendam formam orationis atq; ductum: hoc eſt, ex eo quod cauſa litis, qua de agitur, præteriti temporis eſt, uel præſentis, uel futuri. Nam ſi uerum eſt conſilium, hoc eſt præteriti temporis argumentorũ ductus ſimplex eſſe debet: ut, Iuxta cadauer inuentus es, ergo hominem occidiſti. Si uerò nòn uerum (hoc eſt, præſentis temporis, uel futuri: ut, Alit quis concubinam, & abdicatur à patre) oratio ducetur ſimulatè. Non enim abdicare uult, ſed ut mittat concubinam. Nec aliter loquuntur de futuro. Et hæc quidem uera ſunt & optima. Verùm, niſi fallor, certius promptiusq; de inducendo ductu monebimur à diſcrimine controuerſiarum: ſi quinq; illa genera (inquam) cauſarum, ſeu figuras mauis dicere controuerſiarum, ſedulò conſideres. Quæ cum in exordijs uiderentur præcipuè obſeruanda, diligenter quoque ſunt ab artis profeſſoribus definita. Et quanquã horum nec numerus, nec ratio eadem ab omnibus teneatur (ut patet multorum ſcripta legentibus) tamen Græci nomina indidere, εὔδοξον, ἄδοξον, παράδοξον, ἀμφίδοξον, δυσπαρακολούθητον. Exiſtimãdum enim eſt res quaſdam eſſe, quæ inſtar pulchritudinis & formæ, apertè cupiunt uideri, & palàm oculis exponi: alias uerò, quæ aſpectum non ſuſtinent, quæ tractari uolunt tanquã ab aliud agente. Rurſum aliæ ſunt, quæ inſtar uoluptatis, nõ protinus quidem audent apparere: ſed occultè primùm irrepere ſi poſſint, totas poſtea ſeſe & exponũt, & effundunt. Neq; admodum difficile eſt experiri. Etenim ſi ſtatim in orationis principio in eum uitium conferas, contumeliam'que, de quo ſemper magnificè honeſteq; ſenſerunt auditores: offendantur quidem probi, & tuam accuſent improbitatem. Plebs quoq; ſi in conſilio protinus periculum aut incommodum proponas, abhorrebit: & improbi hominis laudes honeſti reijcient in principio. Itaq; facta rerum ſunt diuerſa genera: & ex rebus, non aliunde, deſumuntur. ut ſi res honeſta, uel turpis, qua de agitur: tale dicitur & genus cauſæ honeſtũ aut turpe. ut, de uictoria ſi agatur, cauſa honeſta eſt: ſi de parricidio, aut adulterio, turpis. Si de diluuio, admirabilis: de ſucceſsione hereditatis, obſcura, & ita anceps ac difficilis. Honeſtis ergo fauet auditor. ideo hæc cum pompa, fiduciaq; magna exhibẽtur. Talia ſunt, liberos à parentibus educari: Deum uereri: omnib. prodeſſe. Humile uerò ac turpe abiectum cum ſit, & deſpiciatur, attentione indiget. Paradoxum, admirabile, & à communi ſenſu alienum eſt: ut, ſolum ſapientẽ eſſe diuitem. Ancipitis porrò dubium eſt iudicium: partim turpi, partim honeſta re. Obſcuris omnia adhibentur, quæ lucem adferunt: ut diuiſiones, finitiones, interpretationes.

Cauſarũ figuræ quinque.

tiones. Rurſum in ancipiti argumentis opus eſt: humile tum audiatur, ſi ſubinde excitentur auditores. Quos ad admirabile tandem deducemus obliquitate, & per ambages, longè petitis inductionibus. Hæc (uti dixi) ex re quæ tractatur, definies. ut ſi res turpis, & genus cauſæ turpe: ſi honeſta, honeſtum. Alij tamen utriuſque uolunt rationem haberi, & rei & perſonæ. út honeſta ſit, cum Scipio uictis Pœnis præmium petit, ut ludos in theatro ſpectet laurea coronatus. Perſona enim honeſta eſt, Scipionis: & quod petitur, non improbum. Sed ἀμφίδοξον erit, in quo uel honeſtatem perſonæ rei ἀμφίδοξον
turpitudo maculat, uel rei honeſtatē perſonę turpitudo. ut ſi idem Scipio præmij nomine mortem poſtulet Tiberij Aſelli, aut abdicatus hæreditatem. παράδοξον & rem & perſonam turpem continet. παράδοξον
ut, reus impudicitię mortem petit inimici propter factum egregiū. ἄδοξον hoc exemplo docent. Pauper uendebat ueſtimēta: alius pau ἄδοξον.
per ea uendicat, tanquam furto ſibi ablata: ille, detraxiſſe ſe ab eo autumat, quem in adulterio deprehendit. itaque ſe mutuò accuſant, alter furti, alter adulterij. Hæc itaque ferè in hunc modum finiūt. Quæ etiam non modò genera, ſed figuras etiam, Græcè σχήματα contro- Cōtrouerſiarum figuræ, ſeu σχήματα.
uerſiarum nominant. Mihi certè ſufficit rei qualitas. Alia enim genera controuerſiarum inuenio quæ potius figuras dixerim, quàm hæc: quæ non ex rebus tantum quæ tractantur, ſed ex rebus & tractatione ipſa naturam ſortiuntur: quorum ut nomina quoque habeas, hæc ſunt, ἠθικὸν, παθητικὸν, ἀποδεικτικὸν, διαπορητικὸν: & ex his quod miſceri poteſt, μικτὸν. In morali cernuntur perſonæ moratæ ἠθικὸν genus.
& logiſmi: ut ſunt comœdiæ, dialogi, ſympoſia. Patheticum motus παθητικὸν
habet, animique impetus uehementiores: perſonas indignas, res atroces, ut Tragœdia. Demonſtratiuum nō uoco hîc genus illud cauſę, ἀποδεικτικόν.
in quo laus aut uituperium: ſed quod argumentis conſtat, & demōſtrationibus ἐπιστημονικοῖς. Dubium præterea nihil certi habebit, διαπορητικόν.
quòd caret certa ratione. Poſſent & hæc in tria genera contrahi, ut & nonnulli contraxere, ἠθικὸν, παθητικὸν, & διαλεκτικόν. Quorū primum ad mores dicentis facit, alterum ad mouendum auditorē, tertium ad docendum. Quanquam non hæc attulimus quaſi huius loci propria (nam de characterib. & decoro tractantes, qualia quęque eorum ſint docebimus) ſed quia figuras controuerſiarum nominarunt quidam, quæ alij genera cauſarum: & in dandis exemplis confuſa pleraque inueniuntur: ideo obiter pauca attigimus, ut ſuperioribus generum formis definitis, capita pro cuiuſque ratione deligantur: nec apodictico ſyngnomen, nec pathetico paſſim aut ſyllogiſmos aut partitiones, nec omnino in re ſeria ludos & in lætitia lachrymas miſceamus. Vnum illud monere hîc occurrit, cum ita paſſim genera cauſarum diuiſerint autores, non prorſus cauſam eſ-

Cauſæ nomen ad ſtatum referendum. ſe quã Cicero hypotheſin eſt interpretatus. Mihi enim nomen cauſę ad ſtatum potius referendum uidetur, quàm ad relationem theſis & hypotheſis, aut ad complexionem perſonæ & negotij. Nam quod dicunt in iudiciali genere factum & perſonam ſimul uenire in iudiciũ: propterea quòd ſi perſona in iudiciũ uocetur, nec factum eius aliquod afferatur: aut contrà factum & nulla perſona: nullum fit iudicium. Idem eſt in alijs generibus, mea ſententia. Oportet enim, ut ſimul perſona ſit & factũ, aut aliquid quod perſonæ locum teneat. ut in laudanda pulchritudine, pulchritudinem ipſam perſona induimus: & in laudando amore, amorem facimus unum quendam è numero Deorum. Nec omnis hypotheſis cauſa eſt. Sed maluit Cicero abuti uoce Romana, quàm nouam obtrudere, qua uis uocis Græcæ propriè referretur.

De figura, quid ſit, & quotuplex inueniatur. *Cap.* 4.

PROXIMA ſequitur figura poſt methodum. De qua cum ſint innumeris penè libris multa perſcripta atq; tradita: nuſquam tamen inuenire potui certam rationem, quam ſequi deberem: ſed ut quiſq; obſeruaſſe uiſus eſt ſibi & ad aliorum fines iam traditos referre potuiſſe, ita omnia temerè ac tumultuariè coniecit in unum: ut ſecuritas magis eorum in diligentia prodatur, quàm in quærendo diligentia. Quapropter repetendum altius nobis eſt principium, ſi qua poteſt arte inueſtigari natura figurarum. Felix namq; eſt, qui rerum potuit cognoſcere cauſas.
Figura quid. Ergo à definitione ſumẽtes initium, ſermonem à communi naturaliq; modo loquendi nonnihil recedentem, hoc nos in præſentia figuram appellabimus. Addunt quidam, ornatus, ſeu utilitatis cauſa fictione aliqua immutatum. Sed ſufficit nobis data definitio: ut ſit, ſermo à cõmuni ac naturali modo loquendi recedens. alioqui enim qualiſcunq; ſententiæ forma figura dicitur. Sed cõmunem quidem modum tenet ſua cuiuſq; linguæ proprietas. Naturalis autem eſt, ut nomen, & uerbum, & cæteræ partes orationis, iuxta rem quam naturaliter & primò ſignificãt: uel cum reflexa noticia, ita ab humano intellectu formentur. Itaque ſi rei noticiam anima prorſus ſicut format & componit, ſic naturaliter uerbis exponat: nulla erit figura (ſaltem ficta) nec tropus. Nihil enim à naturali modo receſsit oratio. Sed ſi pro malo bonum dicas (ut, ô bone uir) aut quod perſona caret, quaſi perſonatum inducas (ut, *Ipſa te hæc arbuſta uocabant*) aut ſi conquiſitis undiq; nominibus & uerbis, quod uno uerbo poteras, multis proſequare: tum demum figura cernetur: facies inquam, ac geſtus quidam alius, quàm quem tenebat λόγος ille ἐν τῇ διανοίᾳ, ſiue ἐνδιάθετος: hoc eſt, mentalis ille, in ipſa cogitatione, innatus ſermo. Et figura quidẽ dicitur, ſi compoſita eſt noticia: tropus autem, ſi ſim-

ſi ſimplex. Quoniam figura in coniunctis, tropus in ſingulis uerbis ſita ſunt. Nec tamē aliter quàm ornatus aut neceſsitatis cauſa fiunt. Secus enim non figura, ſed uitium: nec tropus, ſed deprauatio dicatur. Ex his ergo ducemus tria genera figurarum: unum λέξεως, id eſt dictionis, quod propriè Grāmaticorum eſt, & conſtructionem cernit. ut, *Nuda genu: Alter in alterius mactatos ſanguine cernam.* Sūt enim hæ ac ſimiles loquutiones à recta & communi forma atque ratione dicendi, licentia quadam deflexæ atque immutatæ, adeò ut nouitate ſua ilicò mentem feriant. Cæterùm cum ſuæ cuiuſque idiomatis figuræ habeantur, & alia ſit Græcorum phraſis ab Hebraica & Latina: haudquaquam præſentis ſit inſtituti phraſes atque idiomata ſectari. Nos enim Latinam aut Græcam, aut aliam linguam non docemus: ſed orationem demonſtramus, & eius uim, quatenus poteſt hæc omni lingua etiam uernacula cognoſci.

Figuræ & tropus quo differant.

Figurarum tria genera

Ergo reſtāt ex tribus duo genera: unum uocant orationis, alterum ſententiæ, & Græcè, λόγȣ καὶ διανοίας: uel, ut alij, λέξεως καὶ γνώμης. In illo ponunt quidam tres figuras dicendi: rotundam, planam, & grauem. Alij politum, auſterum, & inter utrunque medium. Alij item, pingue & aridum, breue & copioſum. Sed de his, cum de ſtylo & idea, ſuo loco: nunc genus hoc, λόγȣ, de quo paulo pòſt dicturi ſumus, propriè figurā, & Græcè σχῆμα, non autem ideam aut characterem nuncupabimus.

Orationis & ſententiæ, ſiue λόγȣ καὶ διανοίας figuræ.

Dicendi figuræ.

De oratione mentali, & de affatu. Cap. 5.

A Philoſophia ergo initium ſumētes, an uera ſint hæc, necne, & quæ ſint cuiuſque rationes, inſpiciamus. Claudius Galenus, ex communi Græcorum ſententia, duos logos tradit: unum uocans προφορικὸν, alterū ἐνδιάθετον. Hunc in animō totum ſiſtit, in uoce alterum. Nos, ſi lubet, eam orationē quæ ab animo efficitur ſine uoce, dicamus mentalē: eam quæ in ſermone eſt, & uoce, uocalem. Et quanquam non ſatis inter ipſos philoſophos conuenit ſuper ea oratione, quam uocant mentalē: tamen Ariſtotelem intelligenti, ſummum in ea re philoſophum, longè ueriſsima uidebuntur, quæ nos hoc loco præcipimus. Intelligendum itaque eſt, quoniā animus noſter noticias omnes ex quinque ſenſibus mutuatur: ex quibus primum, & (ut ita dicam) immediatè, nō aliud percipit, quàm rerum obiectarum naturas, & tanquam ſubſtantiā illam uiſibilem abſque differentia aliqua aut oppoſitione aliarum rerum. Quorum namque nullum ſubeſt quaſi corpus, eorum tamen eſt conformatio quædam inſignita & impreſſa in intelligentia, quā ex rerum collatione cōponimus. id genus ſunt, genera, & ſpecies, & propria, & differētiæ, & accidens, quod in ſubiecto corpore cōſideratur. Neque enim genera, neque ſpecies, ut uniuerſales notiones, in uiſum cadunt, aut alium quēuis ſenſum (neque enim geometra ſpeciē

λόγος προφορικὸς καὶ ἐνδιάθετος.

Oratio mētalis & uocalis.

aut

aut genus depingit trianguli, cum quid de genere demonſtrat, ſed unum) ſed ex conformatione tantum intelliguntur, & mente ſola concipiuntur. Quapropter ſi quid præterea uidetur animus intelligere, quod neq; ſubiectum ſit, neq; de ſubiecto aliquo dicatur: id non primùm, & (uti dixi) immediatè cognoſcit, aut proximè: ſed repetita, & quodam modo reflexa ad uocem attentione. Atque huius quidem generis ſunt ſigna illa, quæ non multo antè philoſophi appellabant ſyncategorematica: quorum negabant conceptus fieri ultimatos, tantum uerò non ultimatos fatebãtur: directas per hæc, & proximas conceptiones animi intelligentes. Nam licet in ſermone reperiantur coniunctiones uariæ, atque aduerbia, & uerba ſubſtantiua, & præuerbia: non tamen putandũ eſt formari hæc ab animo, aut concipi, niſi ſecunda quadam operatione & motu: quæ nõ tam naturam ſenſum'ue ipſarum uocum, quas audit, quàm artem & induſtriam humanam, cuius hæc inuenta ſunt, æmulatur. Quid enim hæc uocula ſignificat, Et: aut hæc, Omnis: aut uerbum hoc, Eſſe? aut præpoſitio hæc, Ad: ſi ſola accipias? Nihil profectò, niſi modum quendam intelligendi, quem ſine rebus alijs fruſtra inquiras. Qui uel Eſſe, uel Eſt, nudè dicit (inquit Ariſtoteles) nihil dũ exiſtere ſignificat: tantùm compoſitionem quandam innuit, quam ſine adiunctis compoſitisq; non queas intelligere. Huic noſtræ ſententiæ, imò Ariſtotelis, argumento eſſe poteſt, quod lingua Hebraica (quæ proximè ad naturã accedit, minimeq; fucatur dicendi coloribus) uerbo caret nõ ſolum præſentis temporis, ſed modis etiam quibuſdam. Signa etiam confundit pleraque, quæ ſunt apud alios expreſsiſsima. Si namq; dicendum ſit, Deus eſt fortis: pro uerbo uſurpabit pronomen demonſtratiuum, aut relatiuum, Deus ipſe fortis. Latina etiam, quam quidem admirantur, putas omiſiſſet articulus, ſi ulla eſſet in cogitatione ſpecies, cuius indicio eſſe poſſent? Nam quòd aliæ nationes articulis, aliæ præpoſitionibus, aliæ declinationibus, aliæ ſolo ordine hoc declarant, quod caſum nominis appellamus: non alia quidem ratio eſt, quam quòd intellectus hæc non cernit per ſe, ſed in cernendis alijs tantum & cognoſcendis ſecunda quadam opera aſſequitur. Iam ſi Platoni credimus, oratio (id eſt λόγος) nihil aliud eſt quàm cogitatio, quæ per os emanat: hoc eſt, διανοίας ῥεῦμα διὰ στόματος. διανοια namq; cogitatio dicitur: cogitare autẽ, à cogendo dictum eſt Varroni, quòd mens plura in unum cogit. Siquidẽ opinio ipſi eidem Platoni affirmatio & negatio dicitur in animo: quorum illa noticiarum coniunctio eſt, negatio uerò ſeparatio. Itaq; ſiue opinio, ſiue uoluntas, cum ſono proferatur, oratio dicetur: & figuram aliquam atq; habitum ſonus ille præbebit, quo ſimplex nudaq; cogitatio mentis & rerum ideæ ſimpli-

Syncategorematica ſigna.

Hebraica lingua proximè ad naturam accedit.

Articulis cur Latina lingua careat.

Caſus nominis.

Oratio. λόγος. διανοια. Cogitare.

ſimplices innoteſcant. Præterea pauca uocabulorum initia atq; origines (quæ themata uocamus, & radices) ex quibus tanta multitudo eorum procreata eſt, quantam nulla poteſt humana uis complecti, ſatis profectò declarat, quàm non reperiũtur in mente tales declinationes. Et reuera quatuor ſolùm genera inuenta ſunt cauſę, & principia tam uerborum quàm nominũ, à Varrone: Locus, tẽpus, corpus, & actio. Nec plura uidentur ab intelligentia prima cognoſci, quàm hæc quatuor. Ex quibus ut alia deformantur nomina ſecundo loco in uoce, ita & notiones aliæ nominibus reſpondentes in ſenſu. Nam à loco & à tempore declinantur nomina actionis, & perſonæ: atq; retrò & uiciſsim. Veluti à Romulo uel Remo, Roma: & ab hac, Romanus. Sed non à cogitatione prima atq; intelligentia illa (ſiue una, ſiue plures ſint) quã iudicare & ratiocinari putamus, & res intelligere uerbis demonſtratas: ſed ab alia quadam potentia, quæ ad uerba reſpicit, ſolaq; apprehendit uoces illas nihil ſignificãtes & caſus nominũ, & figuras dictionis: uerba & uoces habens pro obiecto, non aliter quàm literas & ſyllabas in legendo atq; ſcribẽdo. Ac neſcio ſane an cõceptus iſte reflexus, quẽ dixi, ſenſus illius ſit notio, quẽ ſextum addidit Diuus Raymundus noſter: quo ſcilicet uoluntas manifeſtatur alterius, & percipitur, & homo homini conciliatur. Alĳ ſenſus res alias communi referunt: ut odorem, ſaporem, colorem, ſonum. hic animi affectiones & motus, per ſermonem. Ob eam rem uocauit Affatum. Itaque obiectum huius ſexti manifeſtationẽ tradit imaginationis, & in oratione potiſsimũ ſubſiſtere. Vt enim ſermo ſimilitudo eſt imaginationis, & index: ſic imaginatio rurſum ſermonis: licet alĳs ſignis, perinde etiam ſignificantibus, idem aſſequamur (ueluti literis) quod uoce. Potentia quoque & uis illa ubi affatus reſidet, ea eſt quæ ſimilitudinem hanc & manifeſtationem (ut uocat) concipit: & cum conceperit, mouere poteſt organa inſtrũmentaq; orationis. Et ſicut in alĳs ſenſibus uoluptas ineſt, & dolor: ſic confabulatio (quam Greci λέσχην uocant) habet, etiamſi nihil ſubeſt, collocutione ipſa ſuauitatem. ita ſcribit Cicero ad Atticũ. Appelletur ergo, ſi placet, Latinè affatus, & Græcè λέσχη. Cuius obiectum eſt oratio, & quicquid orationis uim tenet: orationisq; pulchritudine tam delectatur, quàm uitĳs offenditur. Nam licet ipſe non iudicet de ueritate ſermonis (quia mentis eſt hoc munus, & rationis) tamen uerborum formas & adaptationem ſicut agnoſcit, ita amplectitur, aut reĳcit, atq; etiam efformat, non tantũ literis & ſyllabis (quod Grãmaticorum tãtum eſt) quàm etiam ſonis & modulatione, quod poetarum & cantorum. Itaque in animo, præter memoriam & uoluntatem, tres aliæ inueniuntur facultates naturales: una ſuprema eſt, in qua intelligentia ponetur, opinio,

Themata. Radices. Affatus. Λέσχη.

Intellectus. opinio, fides, & ſcientia. Hęc intellectus appellari ſolet à Latinis, & à Græcis *νοῦς*. Altera eſt, à qua intellectus ſuas noticias tanquam demetit, concluſionibus adhærens, ſi ueræ ſint, aut eſſe uideãtur. Hæc cogitat & ratiocinatur, rerumq́ſ ſimilitudines (quas Plato *εἰκασίας* nominat) & differentias inquirit: atq; inde numeros colligit. Nam externi ſenſus, uiſus, auditus, atq; alij, non aliud quidem poſſunt, quàm rerũ facies & formas nudè proponere, ſicut & ſoliti ſunt concipere: ueluti duo oua, figuram quadratam. ſed cum plura oſtendunt, tunc cogitatio ſeſe ipſam reflectit, & rationes ſimilitudinis at-

Cogitatio ſiue mens. que diſcrepantiæ perpendens, nunc ſeparat, nunc ratiocinatur, nũc etiam definit. Et uocatur hæc *διάνοια*, id eſt cogitatio: mihi mens et ratiocinãdi facultas dicetur. Hæc prima numeros conſequitur. Propterea enim quod unum aut duo, non poſſunt à uiſu concipi, ſed unum non magis unum quàm cõtrarium uidetur: Iudice, inquit Plato, opus eſt, & tanquam diſceptatore: cogitur'que animus in eo dubitare atque perquirere, cogitationem in ſe ipſo mouẽdo, & interrogando, quid'nam eſt ipſum unum. Itaque unius ſubſtantiam hęc facultas eo modo oſtendit, non ſenſu, ſed conſideratione, & ratione utens. Quæ ſi rerum tãtum modò ſpecies percipit, certè nec uerbis, neque coniunctionibus aut aduerbijs, ſed ſolis tanquam nominibus, ſi qua eſt in cogitatione oratio, ſubſiſtet. Eſt tertia facultàs,

Affatum. quam dixi cum Lullio Affatum. Ex hac alia (cogitatio ſcilicet) tanquam lambit orationum formas, quas ab alijs audimus: eam'q; rurſus mouet atque afficit, ut cogitationis peractæ dictionẽ ipſa efformet, et iuxta uocabulorum ſimilitudinem, quas multo uſu atq; exercitatione concepit, organa moueat omnia ſermonis: non aliter ac citharœdi manus chordas ſæpe tangit, nõ expectato iuſſu citharœdi. Eſt enim idem ſenſus iſte citharœdo in pulſando citharam atque oratori in loquendo, & poetæ in pangendo uerſu. Hæc ſi quis uelit bono animo ſpectare, non abhorrebũt omnino ab illis duobus intellectibus quos alij in homine conſtituerunt, agentem & poſsibilem: nec ab illis tribus facultatibus cognoſcentibus, quas Græci quidem *νοῦν, διάνοιαν* καὶ *δόξαν* appellarunt: quarum quidem in intellectu ſcientiam, in cogitatione artem, in opinione experientiam poſuerunt. Sed errarunt, doxam appellantes facultatem naturalem, quam uſu & exercitatione excolimus, & quam uelut inſtrumẽtum artium & ſcientiarum omnium, præceptis imbuimus: ut cogitatio illa, tanquam in ſpeculo contemplãs, ratiocinetur. Nulla enim ars, teſte Platone, exiſtit abſq; oratione. Concipi igitur debent præcepta ab aliquo ſenſu, antequam mens illa diſcurrat: qui nondum opi-

κατάληψις. nari nouit, aut aliquid probare. Et hæc quidem eſt quam illi, ex uiſionibus & ſenſibus deſumptam, dixerunt *κατάληψιν*: nobis non-

dum

dum reperta uoce,qua idem ſignificemus,niſi fortè perceptionem,
Finierunt namque artem perceptionum quoddam ſyſtema,quibus
ab experientia comparatis adiuncta eſt exercitatio ad aliquẽ uſum
uitæ humanæ, congeriem autem præceptorum. Hanc non dianœa
percipit primò (quæ comparat inter ſe & dirigit in finem)ſed affa-
tus. Atque hinc quidem ars fallere conſueuit. Nam uel perceptio-
nes non bene ſunt exercitio congenitæ,uel dianœa malè ratiocina-
tur,uel certè materia & obiectum artis non eſt idoneum. ita eſt arti
ficis duplex error:unus ſubiecti. Ergo mentis erunt rationes,intel-
lectus notiones & aſſenſus, uoluntatis deſiderium:in memoria nu-
dæ tum rerum,tum uocabulorum noticię,atq; rationum,tanquam
in penu ſeruabuntur. Affatus formas uarias & diuerſos habitus uo
cabulorum non ſolum recipiet, ſed etiam tanquam famulus cogita
tionis ad exponẽdum rationes rerum, quas cogitatio inueſtigauit,
pro peritia atq; inſtitutione,efformabit atq; effabitur. Nam ſicut ſe
habet ſubſtantia ad generationem, & ad opinionem intelligentia,
& ad fidem ſciẽtia,& ad εἰκασίαν (hoc uerbo uſus Plato eſt in ſimili
gradatione, ſeptimo de Repub.)cogitatio, ita ſe habet εἰκασία, hoc
eſt,imaginatio illa per rerum ſimilitudines & comparationes,ad ra
tionum ipſarũ uocabula, quæ in affatu repoſuimus. Ad horũ ergo
uocabulorũ rationẽ cum reſpexerit cogitatio,conceptus ille fiet re-
flexus, & ſecundaria quædam notio, quam omnis ars de oratione
atq; doctrina informat. Neque uerò rerũ eſt hæc prima notio,quæ
per uerba ſignificantur: ſed uerborum & ſignorum aliorum, quate
nus ad ſignificandum applicantur:ſiue id fiet naturaliter,ſiue ex cõ-
ſuetudine: & uerborum atq; ſignorum huiuſmodi ſunt ſimulachra
tanquam impreſſa.quorum ſi amplius ſcruteris naturam, inuenies
genus eſſe ordinem,ſpeciem illius accidentis quod ſub qualitate po
nitur formæ & figuræ. nec alia potentia primùm cognoſcitur or-
do. Sed ut reuertamur unde digreſsi ſumus. Nõ refert articulata'ne
ſint literis uerba, an tonis. Quoniã licet in tonis minus ſignificatio
illa appareat noticiarum,quas habet ex ſermone:magis tamen natu
ra, & prius orta eſt: & orationis non minus rationẽ obtinet iuxta
Platonis finem,quàm illa quam ex nominibus & uerbis fecit huma
na induſtria,& ex coniunctionibus ſimul iunctis. Eſt enim oratio
Platoni(ut dixi)ῥεῦμα τῆς διανοίας διὰ ςόματος. Accentus autem fe
rè ſenſum mutat orationis. Nec deſtituentur alia perfectiora ani-
malia affatu,poſtquam ſeſe mutuò intelligunt,& inter ſe facile con
gregantur ſono uocis. Sed non articulatæ literis tam facile,quia ui-
dentur carere inſtrumentis ad ſermonem. nam canibus imponun-
tur nomina, & elephanti uerba quædam intelligunt: & ad nume-
rum non ſolum mouentur, ſed tympana etiam pulſaſſe quoſdam,

refert Arrianus in uita Alexandri. Qua uerò in parte cerebri reſideat, hoc uiderint medici. Atq; hæc quidē ſatis. Nunc illud tenendum erit, qui facultatem hanc minus habēt uel arte uel exercitatione excultam, eorum minus figuratum deprehendi ſermonem: qui uerò & præceptis rhetorum & multo ſtudio lectionis eam exercuerunt, ſi iudicio careant, temerè omnia coloribus & conformationibus depingunt: ſi prudentes fuerint, eloquentiæ profectò ſoli palmam conſequentur.

Rurſus de oratione mentali, & cogitatione, & de opinione, ſcientia, arte, imaginatione, fide, experientia, ſapientia, prudentia. Cap. 6.

ATQVE ita inuentæ nobis ſunt ſpecies orationis quatuor: duæ in animo, & in ſymbolis earum, quæ ſunt in animo duæ: uocalis inquam, & ſcripta. Quę ore profertur, uox eſt, cuius pars ſeparata aliquid ſignificat. Pari ratione ſcriptam definiemus. Sed cum partem ſeparatam dico, ita uelim accipias, ut uel actu ſubſiſtat pars, uel ſubaudiatur: quia, Abi, oratio eſt, licet ſola uox. Cogitatio autem ſermo eſt mentis, quē anima diſcurrit apud ſe, earum rerum quas conſiderat atque ſpeculatur. Videtur enim (inquit Plato) cogitando anima nihil aliud agere, quàm diſſerere, interrogando ſeipſam, & reſpondendo, affirmādo & negando. Quando uerò definit, & ſiue tardius ſiue celerius excuſſa re: iam idem ait, neque ambigit: hæc eſt opinio. Propterea opinari ego quidem uoco dicere, & opinionem λόγον: dictam tamē non uoce, ſed ſilentio: nec ad alium, ſed ad ſe ipſum. Hæc Plato. Itaque erit quidem (ut mihi uidetur) cogitatio hæc tanquam lectio, ea percurrens motu celeri, quę ab affatu repræſentātur: ſicut uox ea recitat, quæ in charta deſcribuntur. Et affatus oratio nihil aliud erit, quàm nominū & uerborum atque coniunctionum ſpecies una perceptæ. Generaliter uerò orationis ſubſtantia hæc eſt, nominum copulatio & ſeries. Huic definitioni etiam ratio uocabuli aſtipulatur, tam Græci quàm Latini, lego, ideſt colligo. Et ἐιρύσθαι principiò ſignificauit nectere, (à lana ſcilicet) poſtea fuit dicere. Nec tam ut molles arbitror lana coronandos poetas, quàm ut καλῶς ἐιρηκότας: qui non aliter uerbis uerba connecterent, quàm lanam lanæ. Quòd autem in cogitatione ſit opinio, & opinari definiri debeat dicere (ut uoluit Plato) equidem probare ipſe non poſſum. Quoniā opinio omnis aſſenſus eſt, & tanquam nutus quidam iudicis, ſuffragium ſuum apponentis, & hanc uel illam ſententiam, quam audiuit, amplexantis. Opinio autem cum cogitatione eſt, non ipſa ſola cogitatio. Nam ſicut intellectus rationem habet iudicis, non oratoris (auſcultat enim & intelligit, non diſputat) ſic neque fides, necq;

ſcientia

Cogitatio, ſermo. *Opinari, dicere.* *Affatus oratio.* *Orationis ſubſtantia.*

ſcientia, neq; notio, eaq; omnia quæ in intelligentia collocauimus, rationem habent orationis, ſed iudicij ſolummodò quãdam uim. Quid enim ô hominum, nedum philoſophorum, ſapientiſsime Plato, te induxit, ut ſcientiam negares omnino eſſe ſenſum? Omnes enim de tua ſententia ita arbitramur, ut quanuis ſub perſona Socratis, magiſtri tui, & de illius more loquare, ambigendo, & quærẽdo: non adeò tamen inuidiſſe nobis tuam doctrinam, ut quid de ea re ſenſeris, malueris apud temetipſum retinuiſſe, nec ſignificaſſe, uel ſub interrogantis, uel ſub reſpondentis perſona: quàm eadem facilitate cum alijs communicare, qua uſus poſteritatem uniuerſam ad ſtudiũ ueræ ſapientiæ deduxiſti. Quid ergo prohibuit, ne ſenſum eſſe patereris ſcientiam, uel opinionem? Non aliud profectò quàm quòd ſenſui non ſemper adhæret opinio. Videmus nanq; eodem uento rigere hos, alios nihil moueri: & rurſum alios alijs minus. In morbis, & inſomnijs, & mania, multo aliter uidentur res quàm exiſtant. Illis uinum fit amarum, quod ſanis eſt ſuauiſsimũ. Inſomnijs quid fallacius? in melancholia morbo ſe quidam deos eſſe arbitrantur, alij uolare. Quod ſi ſenſus eſſet ſcientia, eſſet & opinio, ſaltem aſſenſus. Cùm uerò contingat ſenſum ab opinione ſeiungi, neceſſe eſt ut etiam à ſcientia ſeparetur. Nam licet uideatur ægrotanti uinum amarum: niſi mente pariter laboret ut corpore, nunquam non ſe falli dicet, & contrà opinabitur quam ſenſus perſuadeat. Ita multo ſecus opinatur, quàm ſentiat. Ab opinione etiam & ſenſu ſimul quid ſeparabat ſcientiam, niſi quòd opinio non ſemper uera ſit, ſed fallatur ſubinde, atque ideo opem ſæpe poſtulet à peritioribus? Proponuntur ſeptem & quinque: putat eſſe undecim, & fallitur. Ægrotat corpus ex pituita: putat quinta (quam nuper inuenerunt) eſſentia poſſe digeri, & fallitur, propter copiam & pertinaciam humoris, quem uini natura feruere, & tanquam furore agitatum tumeſcere & tumultuari facit. Etenim perinde ac ſi cæca ſit intelligẽtia, nec ſatis perſpicere ualens rationem & diſcurſum illum quem in cogitando fecimus: aut licet uiſus quidem perſpicaciſsimi, tamen imperita, atq; infante adhuc cogitatione multa ineptè balbutiente: non audet hoc aut illud probare, metuens ne eodem modo eligendo hallucinetur: quemadmodum re experta eſt ſe aliquando aberraſſe. Quare ſibi haud fidit: & aſſenſionem atq; ſententiam ſuſpendit, donec à ſapientioribus & in arte peritis (tanquam teſtibus) uſa decernat ac ſeligat hanc, reiecta altera ſententia. Adhæret ergo ſententiæ quæ probabilior uidetur, à mente ducta ratione. Itaq; oratio nõ in intellectu, ubi maximè eſt opinio, ſed in cogitatione ponetur. Et oratoris quidẽ munere fungitur cogitatio, intellectus uerò iudicis, affatus clientis. Neque uerò cogitatio (ne hic fallamur) ita addicta

Platonis locus.

Opinio nõ ſemper adhæret ſenſui.

A 2 eſt

eſt uni affatui, quin alia tractet, aut cognoſcat, præter affatus perceptiones. Sunt alia multa in animo obiecta cogitationis. Nam ſenſuum aliorum oblata ſimulachra inter ſe confert, tam quæ rerum præteritarum relicta ſunt in memoria, quàm quæ rerum præſentium in communi ſenſu. Et per hæc omnia uagatur, diſcurrens admodum negotioſa & diligens, perluſtrans omnia & excutiens, ueluti cum face accenſa. Itaq; componit bis tria, & in unum numerũ colligit ſenarium. Ibidem uidet ter duo, quatuor & duo: quæ omnia in eundem numerum ſenarium conſpirare cernit: & ſeptẽ cum quinq; in duodenarium intellectus beneficio huius rationis atque luce. Et adhæret quidem compoſitioni horum numerorum, quatuor & duo, bis tria, in ſenario: à ſeptenario auertitur. Et ſeptem & quinque in duodenario probat, auertitur autẽ ab undenario. Quæ autem non ſunt, aut ſui noticiam ullam exhibent: hæc quia non uidet cogitatio, nec oſtendere certè poteſt intellectui: quamuis face prælucida accedat, & locum, ubi reperiri poſſet, ſcrutetur. propterea quòd eius quod nõ eſt, nulla eſt opinio, iuxta Heraclitum. Nec eadem eſſe quiſquam opinabitur, quæ repugnantia oſtenderit cogitatio: ut pulchrum & turpe, par & impar. Ab his enim non ſecus abhorret intellectus, quoties ſic illuſtrata uidet, quàm lingua ab amaris, uel auris à diſſonantia. Atq; hoc quidem eſt quod dici cõſueuit: imaginari nos poſſe ſicut lubet, non tamen opinari. Quoniam ſimulachra rerum omnium, tanquam è latebris in lucem, proferre poteſt animus è memoria. Sicut enim qui ſeruis apud Turcam præſunt, ex ergaſtulis ubi clauſos captiuos tenent, ad aliud genus operis educere hos conſueuere: nonnunquam ad ſolam oſtẽtationem & pompam, ueluti ut ſpectaculum populo præbeant, indutos producunt ueſtibus nitidis & precioſis, ſed nihilo magis propterea arbitrantur alios eſſe quàm ſeruos: ita cogitatio, etſi multa poſsit imaginari, nec uera, nec ueriſimilia, non alia tamen perſuadere intellectui, quàm quę uidentur uera. Vt ſi equum confingã in medio atrio ſtare ignem ore reiectantem, ceruinaq; cornua gerentem in fronte: aut notum aliquem, ueluti Imperatorem aut regem, in ſutoris officina ſedentem, & calceos ueteres reficientem: non propterea exiſtimato me ita opinari, aut equum eſſe aliquem in atrio, aut Imperatorem in ſutrina: non magis quàm ille mancipia quæ eduxerat ad pompam, eſſe liberos homines, non ſua mãcipia, arbitrabatur. Cogitatio tamen illis utitur idolis, ut alia ab aliis cognoſcat. Signis enim poſitis inſignioribus, alia quædam ſimilia, ſed latentia propter obſcuritatem, inueſtigat in memoria, quæ tractare poſsit ex ordine quãdo uolet. Ergo cogitatio omnis oratio eſt, ut uerè ſenſit Plato: ſed non omnis opinio. Neq; opinio, ſola cogitatio eſt: ſed iũctus

cum

cum cogitatione aſſenſus. In uoce autem ſententia dicitur, & Græcè γνώμη. Quid ergo (quærebat à me quidam) uocas ſcientiam? Non certè (inquam) cogitationem, quam adeò uariam reperimus. Nec opinionem uerã, etiam cum ratione. Nam qui rectè opinatur de literis, & ſcribit ut oportet, etſi ratione utitur, non dicitur tamen habere ſcientiam, ſed potius artem uel uſum. Sit (inquit) opinio nõ rei gerendæ, ſed contemplandæ: ueluti quod ſubtendens rectũ angulum, æquum producit duobus quadratis, quorum lateribus continetur angulus. Hæc ſanè ſcientia eſt: quanquam certè cantare, & ſcribere, & pila ludere, & alia huiuſmodi, ſcire & neſcire nos eodẽ modo loquimur. Sed eſto ut lubet. Qui tamen illam opinionem habet de ſubtendente, non'ne ſcientiam habet? Sanè, inquam, ſi per demonſtrationem illud didicit: non aliter. Ergo (inferebat ille) opinio ſcientia eſt. Nequaquam, ſed id quod ex demonſtratione generatur in intellectu: nempe aſſentiendi promptitudo illi concluſioni, quam ex cauſis primis, & per ſe inueſtigando tandem aſſequimur: id ego ſcientiam appello. Tunc enim ſcire nos arbitramur, cũ cauſam cognoſcimus, per quam res eſt, & quia eius rei eſt cauſa. Quocirca ſi antequam demonſtratio adhiberetur, tu iam putabas æqualem eſſe potentia ſubtendentem duabus (aut quia oculus ita iudicabat diuiſo quadrato dimetientibus, quæ eſt opinio: aut quia uiro in ea arte perito credebas, quæ fides dicitur) nõdum tamẽ ſcire poteras te arbitrari, cum cauſam ignorares. Huius rei inuẽta demonſtratione, Pythagoras fecit (ut dicitur) Apollini & Muſis hecatomben. At (inquit) ſcientia non habitus, ſed poſſeſsio eſt Platoni: quæ ſi promptitudo habeatur, fieret habitus. Parum explicauit eo loco philoſophus naturam ſcientię: & ad ſuam poſitionem reſpectans, qua nos omnibus inſtructos artibus & ſcientijs à natiuitate ſenſit, columbarum neſcio quod ſomnium excogitare mihi uidetur, non tam probabile quidem quàm plauſibile. Ergo ut paucis omnia complectamur, mentis oratio cogitatio eſt. Cui ſi aſſentiatur intellectus, fit opinio: ſi non aſſentiatur, imaginatio. Si timidè aſſentiatur, ſuſpicio, Græcè ὑπόληψις. Rurſum opinio alia uera, alia falſa: & utraꝗ poteſt habitum opinãdi parere. Ex uera fiunt Experientia, Fides, & Ars. Nam ſi ſolo ſenſu edocta (ueluti quòd flante Auſtro pluit: aut quòd canes promiſsis auriculis, ijdem ſint nare ſagaci) atꝗ ſæpius experta, habitum ita exiſtimandi fecerit: Experientia dicitur. Sin uerò hominis alicuius authoritate, & quam Gręci uocant εὐδοξία, perſuaſa ex ea perſuaſione fides exiſtit. Eſt nanꝗ εὐδοξία affectio erga aliquẽ, ut eius magis quàm alterius uerbis credamus, & fidem adhibeamus. Et mea quidem ſententia Apoſtolus Paulus rem hanc ſapientiſsimè definiuit ad Romanos, cum inquit:

Quid ſcientia. *Pythagora hecatombe.* *Experiẽtia* *Fides.* *εὐδοξία.*

Fides ex auditu eſt, auditus autem per uerbũ Dei. Prior enim pars generalis definitionis eſt expoſitio fidei: quod additur, Auditus autem per uerbum Dei, fidei Chriſti ſalutiferæ plena definitio. Quare non minus dici conſueuit fides opinio, ſi inducta ſit perſuaſione, quàm quæ ſenſui aſtipulatur.

Ars. Ars autem aliquando ab experientia, aliquãdo à fide comparatur: alia rurſum à fide ſimul, & experiẽtia. Pictura imitatione cõſtat, grammatica fide, cithariſtica utroq;. nam qui legere & ſcribere diſcunt, magiſtro opus eſt fidem adhibeant, qui hanc alpha, illam beta nuncupandam dicit: citharœdus niſi præceptore uſus, nunquam ritè tonos examinabit, etſi natura multum iuuetur. Eam ob rem definierũt artem, ſyſtema quoddam καταλήψεων (id eſt perceptionum, ut interpretati ſumus) quibus ab experientia comparatis, adiuncta fuit exercitatio ad aliquem uſum uitæ humanæ. Sed non uideo cur experientiæ ſit facta mentio, magis quàm fidei: ſi poſſunt artium quarundam præcepta tradi, quas non experientia docuerit, ſed induſtria. Nec uſum uitę humanæ expectare oportebat: niſi malas artes, & quæ ad perniciem hominum ſunt inuentæ, non artes, ſed maleficia uocaris. Mihi ars uidetur habitus, cum exercitatione iunctus, perceptionum quas ratio inuenit ad agendum aliquid, uel cognoſcendum. Atque hæc quidem de ſcientia, experientia, & arte: quas uera opinio gignit.

Opinio falſa. Falſa autem eſt, & animo decipimur, quum duo extrema cogitatione excuſſa atq; oſtenſa, malè coniunguntur in problemate: & tanquam alienos calceos, figuram unius alteri accommodamus, non ſatis acutè rem intuentes: quòd figuræ attritæ ſint & exoleſcentes, aut inuerſæ, ut in cauis fieri ſpeculis uidemus, quę ſurſum ſunt deorſum apparere. Errorum iſte habitus nondum mihi nomen habuit: niſi uelis ſtultitiam uocare.

Sapientia. Sed quid ſapiẽtia? Sapientia eſt diuinarum & humanarum rerum ſcientia. Vel, ſi mauis, ſyſtema quoddã ſcientiarum diuinarum & humanarum, quæ ad bene beateq; uiuendum conferre poſſunt. Et capacius quidem nomen eſt, quàm prudentiæ.

Prudentia. Siquidem prudentes, quaſi prouidẽtes, in actione magis deprehenduntur quàm in oratione: adeò ut uideantur, qui ſunt prudentiſsimi, inſtinctu magis naturæ quàm doctrina tales eſſe. Vt muta quædam animalia admiramur, quæ natura docuit abſq; ratione ſibi de paſcuis, cubilibus, & medicina proſpicere multo ſapientius, quàm ulla poſſet humana ratio excogitare. Atq; hæc quidem hactenus de oratione mentali: quæ nobis duas orationis facultates reliquere, cogitationem, & affatum: illam quidem rerũ omnium notitias illuſtrantem & comparantem, ſed nudas: hanc uerò, ſolum uocabulorum & ſignorum, quæ ad aliud ſignificandum uſurpari ſolent, quaſi inſtrumentum & officinam.

De

De quatuor diſciplinis logicis uel ſermocinalibus. *Cap. 7.*

SED hic quidem locus eſt, ut expreſsius genera diſciplinarum,quas de oratione ſæpe dixi facultates & artes dicēdi,exponamus,& finem aliquem certum, ſi ratio ulla cōmunis eſſe poteſt omnibus,inueſtigemus. Hoc certè diſtulimus,ne nouitate rei quis offenderetur in initio. Nūc,quia philoſophari cœpimus,abſoluamus argumentum. Omnes quidem philoſophi,ubicunq; de artibus ac ſcientijs diſputarunt,partim inductionibus,partim axiomaticè, ſemper docuerūt, ab obiectis definitiones eſſe eliciendas. Adeò ut, ſi quam uolumus docere artem eſſe appellandam logicam, doceamus oportet eius obiectum eſſe τὸν λόγον,id eſt orationem,uel rationem:& ſi aliquam eodem obiecto uti contigerit,pariter appellandam eſſe logicam. Nihil autē ſeparo ab oratione cogitationē,aut ſermonem: quia utrunq; eſt mentis imago,& tanquam index:& quæ actu in mente eſt, ea dicitur τῇ δυνάμει eſſe in ſermone,atq; etiam in literis. Nos autem quas Græci λογικὰς,intrepidè appellabimus rationales uel ſermocinales,ob eā cauſam. Sed obiectum dupliciter conſiderari poteſt. Nam uel finis eſt, ad quem cognoſcendum artem nobis comparamus (ueluti anima,ſuæ ſcientiæ:& motus ſtellarum, theoricæ planetarum) uel finis,quem non ſolum cognoſcere,ſed efficere perdiſcimus. Citharœdus enim nō tam cognoſcere quidē deſiderat concentus, quàm reddere:politicus non ſolum ſcire in quo ſita eſt reipub. tranquillitas cupit,ſed etiam efficere. idem cenſeto de pictura, agricultura,arte militari. Facultates igitur de oratione appellabimus, & logicas, quæcunque obiectum habent orationem, non ſolum conſiderandam ac cognoſcendam, ſed etiam efficiendam. Experiamur an hoc inueniatur in omnibus. Non'ne Grammaticam in principio diximus,uerborum declinationes & etymologias conſiderare? An hoc perfunctoriè tunc pronunciauimus, nec ita res habet? Non profectò. Nam ſi profeſsoribus grammaticæ quis operam nauet: illum oportet primùm literarum uim obſeruare,& nexum: deinde uocabulorum origines,genera atq; declinationes:tum cognoſcet, an oratio latina ſit, nec ne. Nec aliter Dialecticus de terminis diſputat, quàm ut ſciat qui genus ſignificēt, qui ſpecies,& alia id genus:ut iudicet tandem,quæ oratio uera,quæ falſa haberi debeat. Quid orator? tropos & figuras ab exemplis ſumit infinitis,ut cognoſcat ideā cuiuſque orationis,& iudicare de aliorum ſcriptis poſsit. Præterea Dialecticus connectere ſyllogiſmos didicit ex ſuis terminis : grammaticus orationem cōponere Latinam : rhetor uariam, copioſam, & ornatā. Habent ergo omnes iſtæ diſciplinæ orationem,finē tum efficiendum tum cognoſcendum. Quæ quidem ratio cum una ſit

Obiectum dupliciter cōſiderari.

omnibus, audendum eſt, omnes uno genere atq; nomine definire λογικὰς Græcè, & Latinè ſermocinales. Sed poeticam licet principiò populariter loquentes, cum inter alias inueniſsemus, quartam ſpeciem facultatis huius de oratione fecerimus: tamen hic aliter diceđum eſt. nam genus per ſe diſtinctum inter alias artes orationis. Si quis poeſim nominat, is profectò rationem ignorat diuidendi. Quis enim, ſi ſpecies prunorum uariè reperiātur, genera arborum daturus, ita diſtribuat: arbores ſunt palma, ficus, amygdalus, prunus alba & rubra, & nigra, & uiridis? Nanq; hæ cum poſsint rationem aliquam inter ſe communem habere, qua careant aliæ: genus unum per ſe conſtituent, ab alijs ſeparatum, non multa genera. Ergo redundabat unum genus in illa diſtributione? nimirum, quia facilioris methodi cauſa ſic loquebamur. Sed nunc aliter. Nā rhetoricæ definitio (quā ex ijs quæ dicta ſunt hactenus facile colligimus) poeticę competet. eſt enim facultas, ſiue ars, inueniendi uerîſimilia, inuentaq; eloquendi uariè pro decoro. Separabamus autem hanc quidem actione, & memoria: illam numero & fabula. Quæ ſi ſeparare hæc inter ſe poſſunt, non tamen genus diuerſum facere. Nam & poetæ aliquando recitant ſua carmina tremulo palato: & orator numeros non abijcit, fabulamq; aliquando inueniat. Repetentes igitur diſputationem altius, & demonſtrationem argumenti, quod aſſumpſimus de oratione, quartū fortaſſe genus inueniemus quoddam orationis: nouum quidem multis, ſed à paucis (niſi me fallit opinio) reijciendum. Hoc ſæpe antea uocaui computationem: Græci dicunt λογισμὸν, quaſi conſiderationem: à logo deriuatum, ut nobis ab opinione: & ars ipſa computandi, λογιστική. Eſt enim ratio rationum, ut ſuprà dicebam: qua omnes artes, cogitationes, atq; ſciētiæ conſiſtunt, etiam militaris. Ridiculum ducem Palamedes paſſim in tragœdijs docebat Agamemnonem fuiſſe: qui ne pedes quidem quot haberet cognoſceret. Se uerò aciem ordinaſſe in Ilio, & claſſem numeraſſe & naues, quæ erant antea οὐκ ἀρίθμητα. Adeò autem computatoria rationalis eſt, ut qui eam ignorent, non modò ratione prędíti, ſed ne homines quidem eſſe uideantur. Et homines quidem natura arithmetici acuti omnes habentur, & ad diſciplinas idonei: quiq; tardiores natura huic ſe ſtudio dedidere, ſi nullā utilitatem aliam cæperint, tamen hoc aſſequuntur, ut acutiores quàm antea euadant. Quid, quod Latini rationes reddere, & libros rationum dixere? certè qui numos ſecum computat, aut annos, is cogitatione & ratione utitur, rem ita ſecum conſiderans, ut tam citò ſermone numeros effari poſsit, quàm mēte. Imò uerò ſecum neſcio quæ tacitè murmurans ratiocinatur. Itaq; ſi ratio eſt per os expreſſa, quid aliud definias, quàm orationem? Præco in auctione cū ma-

Logicæ ſiue ſermocinales diſciplinæ.

Rhetoricæ diffinitio.

λογισμός. Computandi ars.

Arithmetica maximè rationalis ars.

gna

gna uoce ſub haſta precia indicat bonorum quæ ucnduntur, an'nõ loquitur? auriga ille, qui ex curru ſimul ſaſciculos aut ligna depo‐nens, non minori uoce numerat, unum, duo, tria, quatuor, ac dein‐ceps, quid'nam agit? loquitur'ne, an tacet? Loquitur, inquies. Quæ nam eius oratio? Rhetorica? Dialectica? Quæ'nã? Latina, inquies. Putabam te dicturum Hebraicam. Ne loquatur uoce, ſed calculis, aut literis, aut ſignis alijs idem exponat: ut inſtitor ille, qui ex foru‐lis nauis ſaccos computat qui ex naui educuntur, & numerum in bacillo ponit: aut quemadmodum quæſtores in reddendis rationi bus ordine & compoſitione calculorũ numeros ita exponũt, per‐inde acſi ſcriberent: quo genere fiet expoſitio? Si nullum aliud inue niri poteſt, & tamen loqui fateris: quid ſupereſt, quàm ut compu‐tatio oratio ſit, & computatoria genus ſermocinalium diſciplina‐rum? Dicam aliquid amplius: nec in ullo quidem ſenſu ſubſiſtere poteſt, nec ab alio formari numerus, quàm à noſtra Leſche, & Affa tu, ſi qua eſt à prima rerum conceptione ſeparata potentia cogno‐ſcendi. Intellectus nanque prima apprehenſione non tres ſaccos di cit, aut tria oua: ſed ſaccum ſaccum ſaccum, & ouum ouum ouum: ſecunda uerò illa uis cogitationis, quæ ratiocinatur, differentiam unius ab altero & à duobus alijs expendens, primùm duo conſide‐rat, uidetque utrumque eſſe unum & alterum (quæ contraria ſunt, & diuerſæ rationis) ideo ambigens quærit, imò iubet ut affatus nomẽ ponat iuxta eam rationem quam didicit eloquendi: qui ſi Latinè di dicit, Latinè unum & duo effatur: ſi græcè, ἓν καὶ δύο. Atque ita ad ter‐tium & alios numeros progreditur, addendo, detrahendo, multi‐plicando, diuidendo. Pronunciat ergo tria oua, quæ nec tria ſunt de ſe, nec quatuor, ſed tantum oua. ſed ex ratione deſumpta noticia, definit, non unum, nec duo tantùm, ſed tria, quæ oratio eſt, & illarũ rerum effatum, quæ quàm multę eſſent ignorari poterat. Quid ſi mutus ſim, inquies? Non carebis tamen illo ſenſu. Nam digitis eadẽ quaſi proloqueris, & animi conceptus demonſtrabis, non minus quàm ſi ſermone eſſes præditus. Sed idem præſtat citharœdus chordarũ ſonitu, & geometra paraſangis. De citharœdo & geometra nõ eo‐dem modo tibi reſpondebo. Ille enim non niſi concentum facere in animo propoſuit, nihil docere animi opinionẽ: at geometra men ſuris utens, in ſubſidium demonſtrationis & tanquam inſtrumen‐tum, arithmeticam aſſumit, ut tam ſuam quàm aliorum mentem in‐ſtruat, & doceat quàm extendatur & pateat terræ atque agri plani‐cies. quod ubi abſoluit, pronunciat tot eſſe agri iugera, uel tantam diſtantiam. Interim tamen metiendo ita loquebatur: unum, duo, tria. ut meritò dixerim computatoriam eſſe inſtrumentum ma‐thematicarum omnium ſcientiarum, ut dialectica eſt cæterarum quæcunque

Computatoria omnium mathematicarum ſcientiarum inſtrumentũ.

quæcunque traduntur ſermone. Siquidem ut genus & ſpeciem rebus apponit dialectica ſermocinando: ſic rationes numerorum applicantur rebus numeratis per computationem, & ex numeris (tanquam terminis, ut dialectica: & uocabulis uel proprijs uel translatis, ut rhetorica) componitur oratio: ſiue id fiat ore, ſiue literis, & elementis illis Arabicis Algorithmi, ſiue calculis, ſiue alio modo. Neque enim minus oratio ſcripta dici debet, ſi naturã ſpectes, cum deductis hinc inde lineis, & in crucẽ ſe ſecantibus, numeri alij ſuppoſiti alijs modum inueſtigandi numerum declarant: quàm illa Ciceronis pro Milone (quam nunquam pronunciauit) uel cum Ægyptij figuris illis ſacris monumenta uetuſtatis inſcripta reliquere. Quid, ſi ne ipſe quidem intellectus, aut cogitatio, multa comprehendit in numeris, quæ uoce tamen eloquimur? nam quis mortalium decies centena milia unquam animo complexus eſt? ſenſus tamen aliquis hoc percipit. Itaq; magis in ſermone eſt computatoria, quàm in mẽte aut intellectu: poſtquam ſermone efferuntur decies centena milia numûm, intellectu præter cumulum quendam magnum pecuniæ, cui nomen iſtud competat, nihil aliud cognoſcente: non magis quidem quàm ſimia aut monedula, quæ aureos aliquot abſconderit. Ergo computatio, orationis eſt forma: & numerus, effatũ quoddam de numis, uel nauibus, uel militibus. Hunc pecudes non aſſequuntur, licet multa opere efficiant, quæ uidentur conſtare ratione: quæ quidem, ſi loqui poſſent, oratione declararent. Nõ propterea tamen diceretur eorum ars rationalis, uel ſermocinalis: quia finem non habent artis ipſum ſermonem, nec actio earum ſermo dici poſſet. Medicatio autem nunquam ſermo dicta eſt, computatio dicta eſt. nam ſermone peragitur, neq; alia actione indiget: niſi fortè ut numeri declarentur, calculos diſponit: ſicut & orator, ut ſenſum declaret magis, geſtum corporis facit. Sed non ideo definit eſſe rationalis, licet actiones alias adhibeat: quoniam ad orationem omnia ſpectant, ueluti finem unicum. Sed numeri, inquies, per ſe ſunt, & res ſeparatæ. Sicut genera & ſpecies, non aliter. Separantur enim ab arithmetico, cum eorum inter ſe rationes inueſtigat: ut qui perfecti, qui imperfecti, qui quadrati, qui cubi, qui rationales, qui irrationales. Iam irrationalium quæ rogo ſubſtãtia, aut hypoſtaſis? Sed lineæ rationem docent eſſe immenſurabilem. Ergo lineæ ratio eſt illa non numerus per ſe ſubſiſtẽs aliquis. Et optimè dicti ſunt à Platone δυνάμεις, id eſt poteſtates. non aliter ergo ſubſiſtunt numeri, quàm ideæ Platonicæ. Nam genera & ſpecies dialecticus, uerba & ſtructuram orationis rhetor conſiderant, tanquam res ſeparatas: ut facilius applicare ad ea quæ reuera ſunt, queant, & ad eas res, quas pro ſubiecto habent. Itaq; cum finis huius artis ſit, poſſe

Numerum beſtias non aſſequi.

declarare

declarare aliquid(quicquid illud ſit)aliarum uerò nulla hunc ſcopũ ſibi proponat:nam ædificatoria,militaris, nauigandi, cantandi, & ſimiles aliæ, non hoc quidem ſpectant, ut declarent quomodo fiat domus,aut uictoria obtineatur:ſed finis eſt domus ipſa,& uictoria, quomodo eam adipiſcamur. Sed multum differunt,artem tradere, atq; arte uti. Illic oratio finis eſt,& demonſtratio:hic uſus. Ergo cõputatio oratio cum ſit,nec aliud eſſe poſsit: eius ars,quam computatoriam, & arithmeticam dixere, ſub ſermocinali atq; ea facultate quã de oratione tractamus,reponetur: eiq; ſubijciemus omnes ſpecies ludi(quæ plurimæ inuentæ ſunt)ſermone utentes, exq; numerorum uarijs comparationibus conflatas. Atq; hæc quidem hactenus. Cum uerò tractaturi ſimus hoc libro, & ſequenti, de figuris orationis politicæ & poeticæ,non abſurdum ſit cõſiderare, ductus & figuræ nomina etiam à Dialectico & computatore uſurpari. Syllogiſmorum nanq; dedimus tres figuras:quarum primę ductus eſt rectiſsimus & ſimplex,aliarum obliqui & contrarij. Et Arithmetica aliquando numerum quærit per regulam falſi, per radicem irrationalem: quod quid eſt aliud quàm ductus nõ rectus aut ſimplex, ſi idem poſsit alio modo facilius inueſtigari? Ibidem non unus modus traditur multiplicandi & diuidendi, & inueſtigandi numeri ignoti.quàm uarias excogitarunt regulas alligationis, mercimoniorum,diuiſionum,æqualitatis,poſitionis,augmenti, & alias, præter auream trium proportionalium, & latiſsimã illam Gebri? Sũt omnes quidem figuræ & ductus non minus quàm ironia uel occupatio, & alia rhetoricæ. Eundem quoque numerum, ueluti ſenariũ, nũc per bis tria exponit,nũc per ter duo, nunc per quatuor & duo, nunc per tria duo & unum:nõ ſolum per unum,duo,tria,quatuor, quinq;,ſex:quod quid aliud eſt,quàm ſermo uarius? Ergo de affatu & de computatoria, deq; ui & natura figuræ ſermonis generaliter, hæc ſufficiet dixiſſe. Supereſt iam ut uarias dicendi formas rhetoricæ enumeremus. Iſti negotio librum hunc & proximum deſtinaui.

Artem tradere, & arte uti, differunt.

De figura ſententiæ. Cap. 8.

Vt à notioribus ſemper ad minus nota progrediar, & ab exemplis apertiſsimis rem deducam,pauca de figura ſententiæ hæc accipito. Figuras ſentẽtiæ in hoc ponemus, quòd animus non prorſus quo res ipſas ſentit,eo modo pronunciat ac profert ſententiam, ſed alio: ut, exempli cauſa, per contrarium,uel aliam formam. Veluti ſi ciuitatem (quę res ſenſu caret omni atq; ſpecie humana)habitu mulıebriquis,& humana uoce loquente faciat:uel multa pręteruittat, aut adiungat multa aliunde extra rem petita. Sed exemplo doceamus perſpicuo. Dirigat quis hoc modo contumeliam:Oblitus'ne es quando ſalſamenta uendebas?

bas? Certè exprobratio erit rei ſordidæ. Verùm ſi ita flectat ſermo
nem: Meminimus quando brachio te emungebas: ſcomma erit nõ
illepidum, quia mentem ad ea deflectit quę in re fiunt ridiculè: qua-
ſi aliud non eſſet obſeruatum turpius. Quintilianus, Omne ſchema
uitium (inquit) eſſet, niſi peteretur, ſed accideret. Non malè ſenſit o-
mnino: licet quacũq; forma proferatur ſentẽtia, ſemper aliqua ſub-
Figura. ſiſtere figura dici queat. Sed figuram putarunt, omnem innouatam
dicendi rationem. Iam ergo ſi ad interpretationem ſenſus uerbis a-
butitur, & indicibus alijs, quàm quæ pro natura reperta ſunt: ſi re-
Tropus. rum ſunt aut nomina aut uerba, tropum dicito: ſi modi loquẽdi, ut
enunciandi, imperandi, interrogandi, optandi, atq; etiam iterandi
ſenſus, aut diſiungendi, aut copulandi, figuram nomino interpreta-
tionis. Atq; hac quidem ratione primùm duo genera reperio figu-
Figurarũ duo genera. rarũ: ſententię atq; interpretationis (Græcè *διανοίας καὶ ἑρμηνείας*.)
Deinde etiam, quid ſit tropus: quorum ſuſcepta nobis eſt hoc loco
diſputatio. Quæ ſi aliter intelligi potuiſſent, nõ equidem petijſſem
tam altè rerũ principia. nec tam anxiè queſijſſem differẽtias, ſi abſq;
Sententiarũ figuræ. diuiſione poſſet & compoſitione tradi ulla inſtitutio. Itaq; ſenten-
tiarũ figuræ tot genera reperies, quot ſpecies methodi. Docuimus
nanq;, unam rectam ſimplicemq́; & tres figuratas. Nec aliter con-
gruunt ſingula figuræ genera ſuis ductibus, nempe ſimplici nuda
Cõmoratio. explicatio: cum diu ac plenè rem tractamus, quæ dicitur commora
tio. Contrarius nunquam ſine diſsimulatione contingit, cui affinis
Ironia. eſt ironia. Obliquus ingreditur per prolepſim: & in proſopopœia
quædam fit ſignificatio. Quare non iniuria quatuor genera ſenſuũ
fiẽt: cõmoratio (Gręcè *διατριβὴ*) ironia. prolepſis, & proſopopœia.
Tot quoq; partes inuentæ ſunt orationis. Nam & exordio apta eſt
prolepſis: narrationi commoratio: probationi & refutationi iro-
nia: concluſioni mores. Neq; uerò ſic iſta præcipimus, quaſi iu-
beam ſingulas ſingulis ductibus ſemper, nec ſecus omnino, ſeruire.
Non ita eſt. Sunt etenim ratione ac ui adeò diuerſæ, ut quemadmo
dum eloquutio diſtat ab inuentione, nec tamen altera poteſt abſq;
altera ſubſtere: ſic licet cõmoratio ab anticipatione differat, & hæc
ab ironia, non minus tamen propterea conſpirant ſæpe omnes figu
ræ in una eademq́; ſententia, atq; congrediuntur: & argumentum
idem quadruplici figura componitur, quod inſigne quippiam mi-
nime'que uulgare oſtendit. Hic enim,

I ſequere Italiam uentis, pete regna per undas.

Si cernas, & occupationem, & commorationem, & proſopopœiã,
& ironiam ſimul inuenies. Sed ſeorſum definiendæ ſingulæ, & exẽ-
plis illuſtrandæ: ut uera eſſe quę diximus intelligas.

De

De Prolepſi. Cap. 9.

PRIMA itaq; fiat prolepſis. Hanc alij anticipationem, alij præſumptionem, alij occupationem uocant. Sic fortè dicta eſt, quòd priuſquàm id quod dicendum aut intelligendum eſt, in medium producatur, aliquid aliud prologuitur ac præmittit: aut, quia auditorem circa alia occupat, cum de alijs loquatur. Vt, *Prolepſis. Anticipatio. Præſumptio. Occupatio.*

Dædalus (ut fama eſt) fugiens Minoia regna: Parentheſis per occupationem facta. Et illa,

Per, ſi qua eſt quæ reſtat adhuc mortalibus uſquam
Intemerata fides, oro.——

Poſſet Grecè dici προϋφήγησις, id eſt, preexpoſitio, uel præſignificatio: ne ſemper argumẽtum uideatur ſignificari hac figura. Sed cum ſit magis uulgare πρόληψις uocabulum, argumẽti occupationem etiam cum uulgo rhetorum uocato προκατάληψιν. Sed facile ſub ſpecie figuræ imponit ductus. Neq; enim figura ſententiæ, ſed potius argumenti erit (quam uocamus methodum obliquam) ea anticipatio, qua integrè & per partes aliquid præmittitur. Sed figura ſententiæ methodi eſt expoſitio, & ueluti uia, per quam iter deductioque fit argumenti. Ideo hæc plerunque confunduntur, & figuram methodum, & methodum figuram compellamus: nec magni refert. nam totius cauſæ atque argumenti figura, ductus eſt: unius ſententiæ ductus figura nominatur. Item ductus præcedente conſilio ac deliberatione capitur: figura ſe inter dicendum atque ſcribendum offert, ductui'que inſeruit. Sed hoc de figura & ductu generaliter. Noſtra autem hæc occupatio uiſa eſt idonea, magis autem neceſſaria inſinuationibus: quoniam dicendo per hanc obliqua methodus uiam ſternit, ut tanquam per inſidias, obliquè ad rem ipſam, & ex improuiſo decidamus. Ea re naturam ſapit inuentionis: & eius præceptio ex inuentionis locis dependet. Nam præmunitiones, diductionesq; ſententiarum, ex locis eruuntur: quoniam non aliter occupamus quàm aut præmuniendo (ut cum probationes propoſitioni præcurrunt: cum defenſio antecedit, aut trãſlatio, aut deprecatio) aut alio modo, cum antè probamus quàm narremus, aut omnino proponamus. Hac eadẽ dubitamus, promittimus, exponimus tum dictorum tum dicendorum cauſas. Diuidimus, declinamus à propoſito, pretermittimus, reuocamus, corrigimus, ac deniq; reticemus. Hac eadem tam cum iudicibus, quàm cũ aduerſario communicamus: nos ipſos & alios interpellamus: inuocamus, teſtamur, rogamus. Tandem, ut uno uerbo dicam, quibuſcunq; modis aliud quid, extrinſecus ab eo quod tractas, preſumptũ prænotatumq; uidebitur, ſine quo ſenſus eſſe ſanus atq; integer poſ- *προϋφήγησις. Procatalepſis. Occupationis uſus.*

ſit, impunè dicito prolepſin. Huc ideo referes tum προεπιπλήξεις, tum quæ dici conſueuerunt palęſtræ iudiciorum, uel ludus ac deceptiones iudicum: quas omnes poſſumus (quia proprium non ſuc-

Præcaſtigationes. currit) præcaſtigationes, aut mitigationes, aut emendationes, aut fomenta, aut medelas, aut definitiones ſentētiarum nominare. Græcorum licentia non ueretur quædam ex his θεραπείας dicere, & προθεραπείας, & παραμυθίας, & προδιορθώσεις, & ἐπανορθώσεις, & ἐπιδιορθώσεις. Cæterùm ne rudibus adhuc & imperitis imponat uocis homonymia, antequam generis huius formas diſtinguamus, ſcito grā-

Prolepſis quid Grammaticis. maticos aliam quandam figuram conſtructionis dixiſſe πρόληψιν: in qua rerum pronunciatio quædam ſummaria præcedit, & congregatio (ſiue totum) cum adiectiuo uel uerbo aptè cohæret, deinde partes totius ad idem uerbum (uel adiectiuū) reducuntur, cum quo tamen non concordant. Vt,

Compulerantq́ greges Corydon & Thyrſis in unum:
Thyrſis oues, Corydon diſtentas lacte capellas.
Interea reges, ingenti mole Latinus. Et illud:
Non tantum Rhodope miratur, & Iſmarus Orphea.

Verbum namq́ præmiſſum utriq́ eſt, quod aliò refertur. Sed hæc grammaticorum ſit contemplatio: illa magis rhetorem cernit, cum in arſi & theſi correctio præcedit. Rectum antitheton eſt, Non furem, ſed latronem: per prolepſin, latronem, non autem furem. Sed hæc figura non huius loci, ſed interpretationis eſto, de qua nos po-

Prolepſis genera. ſtea, hic enim figuras ſententiæ ſolum inquirimus. Et quidem prolepſis quatuor genera inuenio. Primum dabimus omnibus præmunitionibus, argumentisq́ præcurrentibus ſententiam: quam Græ-

Occupatio cè προκατάληψιν lubet appellare, & latinè occupationem. ſecundū locum tenebunt excuſationes, tertium apoſtrophe, quartum prętetitiones: quanquam occupatio quidem omnis aut præmuniendo præparandoq́ aliquid fit, aut emendando. Neq́ id quidem in prin-

Emendatio cipio tantum ſententiæ, ſed in medio, & poſt ſententiam. Sed emendationem diſtinguo ab occupatione hac: quia emendatio eſt ſententiæ dictæ uel dicendæ correctio: occupatio uerò, ſententiæ ab auditore conceptæ, uel aliunde cōcipiendæ reiectio. ut, Si quis fortè mi retur, &c. Sæpius occurrit, ut figuræ diſcrimen, quo hæc ab argumēto differt, proferam: quia facile hic erratur, nec tamen piget ſæpius monere, quod & hoc loco facio. Nam ſi præparatio plena ſit, & ſuis partibus uelut argumentoſa tractetur: non figura, ſed caput

Præparatio quatenus figura. erit. Et pars orationis, ut hypophora, uel præexpoſitio. Tunc autē figuram dixeris, ſi hæc quaſi telum quoddam excras, non uulnerandi animo, ſed deterrendi: quod aduerſarius dum ſe ad alia comparat, obliquè & tanquam limis oculis uideat & παραβλέπῃ. Seruiunt

igitur

igitur priori generi, primùm capita illa quæ diximus generalia: ut cum antè quàm appareat quæſtio, aut cauſa, iam negamus, defendimus, cõparamus, fatemur, concedimus, deprecamur, transferimus. Deinde confirmationes, antequam argumẽti fiat propoſitio: ut cũ exempla, ſimilitudines, cõparationes, ſigna, pronunciata, & ſimilia, unde argumentorum fiunt confirmationes, argumento præponũtur. Frequens igitur eſt atque gratiſsima confeſsio: *Eripui. fateor, leto* Confeßio.
me. Inficiatio hic cernitur: —*Ego te, quæ plurima fando Dinumerare uales, nunquam regina negabo Promeritam.*— Conceſsio, quam Græci παρομολογίαν dicunt, in illo Catonis eſt: Scripſiſti ut ſeruis libertas detur. concedimus nanq; aliquid aduerſario, deinde aliud inferimus quod aut maius ſit, aut quo alia omnia infirmentur. Tranſponit in aliud Dido, antequam probet infirmans: Conceßio.

Anna ſoror, quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent.

Defenſionis eſt illa fictio, qua pleriq; in exordijs utũtur: Si quis fortè miretur. Sed formæ excuſationis, quam Græcè παραμυθίαν dixere, id eſt defenſionem, duæ fiunt: quæ remedia adhibentur ad delinitionem ſententiæ, atq; correctionem. Vna præcedit, & dicitur προδιόρθωσις: altera ſequitur, & dicitur Gręcè μετάνοια, correctio quædam & reuocatio ſui ſermonis. In emendatione quoque duas formas inuenio. Vna dicitur θεραπεία, id eſt remediũ, ſeu mitigatio, atque etiam μείλιγμα, in molliẽda & quodã modo præmitiganda oratione poſita: cum ſcilicet ſententia contumacior, aut uerbũ inſolẽtius, appoſitione aliqua extenuandi emendatur atq; diluitur. ut, Totum propè orbem: Parietes ipſi (ut mihi uidetur) audire geſtiunt. Excuſationis formæ duæ. παραμυθία.

Aut confeſsione audaciæ:

Anna (fatebor enim) miſeri poſt fata Sichæi
Coniugis, & ſparſos fraterna cæde penates,
Solus hic inflexit ſenſus.
—Terq; ipſa ſolo (mirabile dictu,)
Emicuit.—Aut deprecatione inuidiæ. Vt Ouidius:

Cum rapiunt mala fata bonos, (ignoſcite quæſo)
Sollicitor nullos eſſe putare Deos.

Aut interpretatione, ſiue expoſitione. ut illud apoſtoli Pauli ad Romanos, Ad confirmandum uos: id eſt ſimul conſolari in uobis. Aut enthymemate, quod rem efficiat aut conſequentem, aut creditam, aut honeſtam. hanc uocant alij ἐπενθύμησιν, id eſt additam probationem: alij ἐπικύρωσιν melius, id eſt cõfirmationẽ. Vt, Sed poſtquam amans acceſsit precium pollicens unus & item alter (ita ut ingenium eſt hominum, à labore procliue ad libidinem) accepit conditionem. ἐπενθύμησις. ἐπικύρωσις.

Dædalus (ut fama eſt) fugiens Minoia regna.

—*Inuidia poſtquam pellacis Vlyſſis*
(Haud ignota loquor) ſuperis conceſsit ab oris.

Fit hoc genus uel relatione: ut, ita ferunt, ut dicitur, ita dicebat Socrates. uel aſſeueratione & βεβαίωσιν: ut, probabile eſt, haud ignota loquor, nec abhorrēt eius mores ab eo ſcelere. uel epicriſi: ut, Et mihi uidetur, ita putabam. Et adduntur ſibi mutuo nonnunquam: ut, poetæ ita prædicant, & ego credo. Paſsimq́ꝫ inuenias hoc genus occupationes per parentheſim: quoties dictum uidetur durius, inſolens, aut creditu difficile.

Palæſtra. Altera emendatio fient palæſtræ iudiciorum, de quibus ſuprà. Fit enim ludus hic per correctionem aduerſatiuæ ſententiæ, cum ea quæ extra rem poſita ſunt, ita adferuntur, ut quaſi neceſſe ſit ea dicere. Vel contrà etiam, ſi neceſſe non ſit aut facilè, aut decens: tamen ut auditori ſatisfiat, tantum optamus dicere. Poſterioris exemplum eſt,

Quanquam animus meminiſſe horret, luctuq́ refugit,
Incipiam.—Item, Quanquam ſcio quanta cum offenſione dicturus id ſum, tamen dicam. Prioris autem,

Hoc primum, nec ſi miſerum fortuna Sinonem
Finxit, uanum etiam mendacemq́ improba finget. Præceſſerat enim:
Cuncta equidem tibi, rex, fuerint quæcunq́, fatebor
Vera, inquit. & ſequitur, *Hoc primum, nec ſi miſerum*: quaſi id primum dici oportuerit, ut fidem obtineret. Huc referri poteſt figura illa

παρεπιγραφή. occupationis tacitæ, quam Tzetzes apud Lycophronem uocat παρεπιγραφὴν: qua ſermo aliquid præceſsiſſe ſignificat, quod tamē haud apparet. ut, Omnia tibi dicam ab origine quæ interrogas. conſtat autem principium hic eſſe fabulæ: ſed præſupponit poeta aliquid prius dictum à Priamo. Ea ratione Comici ſæpe auſpicantur dramata. Videri etiam poſſent huius loci reſpōſiones illæ breues, quas

βραχυεπίαι. quidam appellant βραχυεπίας: cum interrogatus, an fuſtibus cęſus eſſet, reſpondit, innocens. & Virgilianus paſtor, ne furtū fateretur,

An mihi cantando uictus non redderet ille?

Sed hoc non uidetur ad palæſtras iudiciorum pertinere: quia non orationis dicendæ occupatio eſt, ſed ſententiæ quodam modo conceptę. Quocirca referemus ad προκατάληψιν, qua cauſam facti obijcit, occupando obiectionem: & iuſtè ſe feciſſe probat.

Excuſatio. Si excuſatio ſequatur, Græci dicunt παραίτησιν: & ſumitur ex capite aliquo

παραίτησις. qualitatis aſſumptę. ut, Ne mireris, ſi prolixiorem ſcripſi epiſtolam, colloquij tui deſiderio, &c.

Reuocatio. Correctio. Reuocatio ergo, ſeu correctio ſui ſermonis (Sapphica uenuſtas) quæ Græcis eſt ὑποτίμησις, hoc eſt reprehenſio (quidam dicunt μετάνοιαν, alij ἀφορισμὸν, & idem alij ἐπίπληξιν) ad genus idem redigetur.

ὑποτίμησις. Vt, Imprudens huc incidi, Iudices: emit enim, non abſtulit: nollem dixiſſe. item, Sed quid dixi? Penè excidit:

cidit: Me fugerat: Rectè admones. Et pro Milone: Sed ſtulti ſu- "
mus, qui Druſum, qui Africanũ, qui Pompeium, qui nos ipſos cum "
Clodio cõferre audeamus. Hæc non ſolum aliquãdo reprehẽdit ſe- "
ipſam, ſed & poſteriore ſententia commutat quod dictũ erat prius:
quia uel maius, uel minus dixit quàm oportebat: & dicitur ἐπανόρ- Epanorthoſis.
θωσις: Serò, ſerò loquor: imò uerò nuper. Item, Atq; hic conatus: ni
mium remiſſè loquor: nam qui tantam cædem perfecit, &c. in libro
Offic. Italiam ornare, quàm domũ ſuam, maluit: quãquam Italia or-
nata, domus ipſa mihi uidetur ornatior. Et illud: Ciues inquam, ſi
ciues illos appellare fas eſt. Et, Sed fallor, fruſtra egomet mecũ has
rationes deputo. Per extenuationem: Ne quid dicam grauius. Om-
nia hæc per correctionem inducta ſunt. Itaq; ἐπανόρθωσις aliud ſub-
ſtituere ſolet, uel contrarium, uel minus, uel maius, uel diuerſum. In
tegra uerò correctio caput eſt definiẽs, & conſtare partibus his de
bet: hypotheſi eiuſdem uerbi, & epitaſi oppoſiti uel diuerſi, cum æ-
tiologia. ut, Quas ille leges, ſi modò leges nominandæ ſunt, ac non
faces potius reipub. Nam qui, &c. Huius correctionis figuræ ſym-
bola ſunt hæc: imò, atq; adeò, ſi tamẽ, & ſimiles particulæ. Atq; hæc
quidem hactenus de paramythia. Auerſio autem (quam illi ἀποστρο- Apoſtrophe.
φὴν) tribus in uniuerſum fit modis. Aut enim ſermonem auertimus
ad perſonam, aut ad notum aliquid alludimus, aut ad ſententiam a- Auerſio quot modis fiat.
liam argumentumq; aliud à priori diuertimus, egrediendo, uel trã-
ſcundo: quæ nunc dici poteſt hypoſtrophe. Nec ſine præteritione
tamen contingit fieri tranſitum. Vt, Sed inopinans incidi in cauſam
temporis huius alienam, de qua poſterius dicendum: quapropter
ad aliud quod paulo prius agendum, reuertar. Et hæc quidem trã
ſitio (quam μετάβασιν appellarunt) duplex fieri ſolet: per ἀνάστα- Metabaſis duplex.
σιν, id eſt inſtaurationem: & per ἀποδίωξιν, id eſt reiectionem. ut, Lõ Ap. dioxis.
gius quàm inſtitueram, ſum prouectus: ad reliqua pergamus. Cata
ſtaſis quidem eſt, cum dicturi de re aliqua in parte, generalem infini Cataſtaſis.
tumq; ſermonem, aut tanquam generalem (nec adnexum, inquam,
neq; dependentem ab alio) præmittimus. Quæ rei altior repetitio
Græcè dicitur ἀναβολή: extenſio quædam ſupina, quæ uices gerit, Anabole.
uimq; aliquam procemij. ueluti ſi hoc pacto inciperemus: Cum om
nes homines natura ad ueri inquiſitionem inſtigauerit atq; accen-
derit, multo tamen magis eos uidemus philoſophiæ ſtudio teneri,
quos non patria modò ac parentes, ſed ipſa etiam à puero recta libe
ralisq; inſtitutio ingenuè formauit. Tale eſt principium Belli Iugur
thini apud Saluſtium. Hanc eandem anabolicam cataſtaſin oſten-
dunt principia illa omnia, quæ cauſam rei præmittunt, & quæ per
aduerſatiuas iungunt contrariam propoſito ſententiam: quam ra-
tionem nos in hoc opere, utpote didactico, frequentiſſimè uſurpa-
B 3 mus.

mus.eſt enim demonſtrationi perquàm aptiſsima. Proponēs enim unà cum quæſtione cauſam dubitandi, non patitur ſuſpendi iúdicium auditoris diu, ſi quam fortè habet de contraria ſententia opinionem:ſed ſtatim liberatus errore,ad reliqua intelligenda ſe comparat. Vel ſi nihil dubitabat prius, quæſtionis tamen ipſa difficultate propoſita, uel tractationis, excitari quidē poteſt & doceri per collationem ipſam oppoſitorum. Seruit autem genus hoc anticipationis extenſæ etiam commorationi: imò uerò dominatur & regnat in ea figura.Commoratio eñim totum parti,genus formæ,infinitum finito,& contrarium contrario iubet præponi:ut altius pri mùm repetito principio,poſtea deſcendatur ad cauſam.Quamob-

Syſtaſis. rem dicta Cataſtaſis eſt propoſitio.Huic contraria Syſtaſis:cōmendationem uocant Latini.Cauſæ quoq; expoſitio per uoluntatē, ſeu logiſmum,in eodem genere eſto. Vt,

Sæpe fugam Danai Troia cupiere relicta
Moliri, & longo feſſi diſcedere bello.

Logiſmus:Enimuerò ſpectatum ſatis putabam, & magnum exemplum continentiæ. Hæc autem Apoſtrophe,ſeu(ut dixi)hypoſtrophe,ſemper uerbum habet aut Volebam,aut Putabam: nec minus

Cataſtaſeos munus. de præmunitione,quàm de proſopopœia.Eſt ergo munus Cataſtaſeos(ut hoc interea repetamus)principium aliquod inducere abſq; ulla ratione præcedentium,aut reſpectu. Sed Syſtaſis huic contraria,ſequentia cum præcedentibus connectit;licet altius repetita aliquando ſententia:ut:Cum uiderem homines rebus his circumfluētes,ea tamen deſiderarē maximè quibus abundarent. Hoc principium eſſe poteſt:poteſt & eſſe ratio prioris dicti, atq; ideo tam cataſtaſis quàm ſyſtaſis:ſed propter ſententię axioſin,& generalitatē,dicatur iam anabole.Ergo Apodioxis,miſſa facit prius dicta:Cataſtaſis,proponit dicenda;Syſtaſis, commendat aliquid ex præcedentibus,& ferè cauſam reddit. Porrò autem inter huius Auerſionis ſpecies(quam dixi hypoſtrophen)primas arbitror obtinere excla-

Egreſſiones in locū cōmunem. mationem,omneſq; eruptiones illas in communes locos, quę fiunt ſubitò:κατὰ τὸ ἐξαίφνης dicunt Græci. —*Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames?* —*Tantæ'ne animis cœleſtibus iræ?* Diximus autem de Epiphonemate ſuperius,cum de partibus ageremus orationis iudicialis:quòd ſine exclamatione etiam fieri monſtratum eſt,&ſine loco aut ſentētia generali,ſi definitionem eius expendas, ut etiam hic

» patet,in exemplo Milonianæ:Ab ijs qui P.Clodij morte acquieue-
» runt.Quo deprecante? Me. Quod'nam concepi tantum ſcelus,aut
» quod in me tantum facinus admiſi? Illa quoq; propria eſt huius

Parentheſis. loci auerſio,ubi uel per parentheſin, uel per hypertheſin aliquid interponimus:ubi ſententia producitur & ſecatur, alterius ſententiæ iniectione.

iniectione. Vt: Quid enim de muliere Sanctia? qui quàm crebrò ac "
cidat, experti debemus ſcire. Et illud: Inſtante Phocēſe bello, nō per "
me: nam, &c. Habemus igitur ex ijs quæ dixi, duobus modis con *Ad aliam*
uerti nos ad aliam ſententiam: tranſitione, & egreſsione. In tranſitu *ſententiam conuerſio*
ſunt, Reiectio, & propoſitio. Propoſitio uerò duplex, una extenſa, *duplex.*
quæ anabole dicta eſt: altera ſimplex, promiſsio, quæ dicitur ὑπό-
σχεσις, hoc eſt promiſsio, uel denunciatio. Vt, Dicam enim non au-
gendi criminis gratia. nec uno quidem nomine definiri ſolet à Græ *Promiſsionis diuerſa*
cis. nam & προαναφώνημα uocant, & προκατασκευὴν, & προκατάστασ- *appellatio.*
σιν, & προσοχὴν, & προδιήγησιν. Cæterùm poteſt hæc eadē promiſ-
ſio cum moribus proponi, ſi dubitantes in hunc modum prædica-
mus: Quid dicam? unde incipiam? Græcis eſt ἀπόρησις: cui contra- *ἀπόρησις.*
ria παῤῥησία, uox liberior. Vt, Dicā enim liberè. Pro Ligario: Quā- *παῤῥησία.*
tum potero uoce contendam, ut hoc populus Ro. exaudiat. Apo-
dioxis quoqꝫ per acclamationē non rarò admittitur: ſed ſæpius per
reuocationem & reditum. ut, Longius quàm inſtitueram ſum pro-
uectus. Itaqꝫ tranſitus omnis ſub hypoſtrophen reducitur: maxi-
mè uerò ex ea parte qua extat cataſtaſis. Vt, Videamus nunc locum "
ubi illi congreſsi ſunt. Nec uerò me Clodianum crimen mouet. Sed "
iam ſatis multa de cauſa: extra cauſam etiam nimis fortaſſe multa. "
quamobrē Iudices, ut aliquādo ad cauſam crimenqꝫ ueniamus, &c. "
Hinc ergo diſcimus partes illas orationis, quas propoſitionē, tranſi
tum, egreſsionem, renouationemqꝫ fecimus, omnes per hypoſtro-
phen introduci: quia in omnibus his ſenſus ab una ad aliam conce-
ptionem auertitur, & tanquam migrat. Vt, Expoſui profectionis "
conſilium: nunc reuerſionis, quæ plus admirationis habet. Sed exē "
plorum nimis in re facili. Verùm illud dicendum adhuc ſupereſt:
accōmodationem ſententiæ & exempli & ſimilitudinis (quam Græ *Accommodatio.*
ci ἐφαρμογὴν) non aliud eſſe, quàm quendam reditum cum relatio- *ἐφαρμογή.*
ne, & ueluti epilogo. Vt,

Talis erat Dido, talem ſe læta ferebat.

Et, Hæc ego de cauſa iſta ideo narraui, ut reliqua attentius accipias.
Sic reditus non aliter fiet, quàm per ſyſtaſin: non enim abſqꝫ com-
mendatione. Atqꝫ hæc quidem omnia ſuppeditauit nobis prima
ſpecies auerſionis, quæ eſt ad ſentētiam aliam, & declinatio quædā
à propoſito dici poteſt, quam Græcè nominauimus ἀποστροφὴν.
Iam ergo ſecundam inquiramus. Auerſionis altera ſpecies nobis *Auerſionis altera ſpe-*
dicta eſt Alluſio: quam Græci uocant παρῳδίαν. Hæc duobus modis *cies, Parodia.*
contingit. interdum enim ad memoriam nos reuocat uel fabulæ, *Alluſio.*
uel hiſtoriæ. Vt,

Nec fonte labra prolui caballino,
Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſo

Memini me.—Alludit enim ad ſabulam de Heſiodo. Interdum parte una uerſus recitata ex poeta aliquo, aut ex diuinis literis: reliquũ ipſi conſequimur ſoluta oratione: rurſumq́ꝫ aliquid adijcimus ex noſtro in unum corpus unamq́ꝫ ideam ſermonis. & dicitur hæc mixtio poematis cum ſoluta oratione, παρεμπλοκή. Cicero de Diuinatione lib. 2. Neqꝫ eorum ſimiles, ut apud Ennium eſt, Qui ſui quæſtus

παρεμπλοκή.

» cauſa fictas ſuſcitant ſententias. Sed clari & præſtantes uiri, qui aui-
» bus & ſignis admoniti futura dicebant. Et de Natura Deorum 2.
» Nam & lapidum conflictu atqꝫ tritu elici ignem uidemus, & recen-
» ti foſsione *Terram fumare calentem*. Atqꝫ etiam ex puteis, &c. &
» de Diuinatione: Eodẽ enim modo multa à uaticinantibus ſæpe prę-
» dicta ſunt: neqꝫ ſolum uerbis, ſed etiã uerſibus, quos olim Fauni ua-
» tesq́ꝫ canebãt.

Alio modo uerſum ex poeta celebri deſumptum, inuertimus, mutatis quibuſdam uerbis. Vt,

Δεῦτέ νύ μοι ἔννεπε μῦθον πολύτροπα καὶ μάλα πολλά.

Et Virgilius in fine Georg.

Carmina qui luſi paſtorum, audaxq́ꝫ iuuenta
Tityre te patulæ cecini ſub tegmine fagi.

Apud Græcos qui hoc genere carminis integra uolumina ſcripſerunt, multi ſerũtur: ſed primus inuẽtor celebratur Hegemon Thaſſias cognomento φακῆ. Apud latinos multi idem conati ſunt: & nuper opuſculum ex Virgilianis cẽtonibus, quidam qui ſe Capilupũ, ficto uocabulo, nominauit, cõpoſuit de uita Monachorum. In quo quidem ingenium, & memoriam, & obſeruationem unius Virgiliani operis oſtendit, præterea nihil. Inutilis enim labor ille, & ἰφήμερος, quid laudis mereretur? Sed de centone, deq́ꝫ eius officio, legẽda epiſtola Auſonij ad Paulum. Atqꝫ hæc ſufficient de parode. Iam oppoſitam obiectionẽ & depulſionẽ eadem occupamus apoſtrophe, quæ ad ſententiam conuertitur. ſiquidem remotis partibus quibuſdã, ſi introducatur hypophora, quid aliud eſt quàm occupatio obiectionis? Nam antea qui ſcire poſſem, aut ingenium noſcere, dum

Obiectiõis aut depulſionis occupatio.

» ætas, metus, magiſter prohibebant?

Non ego cum Danais Troianam excindere gentem
Aulide iuraui.—
Huic modò ne proſit, quòd, ut eſt, hebes eſſe uidetur:
Né ue mihi noceat, quòd uobis ſemper Achiui
Profuit ingenium.—Depulſionis hæc eſt occupatio: Noui locum: uideo ubi ſe iactaturus eſt Hortẽſius. Verum enimuerò licet hæc omnia cum apoſtrophe dicantur, non recedunt tamen à præmunitione. nam & præmunitio omnis ad ſententiam aliam diuertit. & hæc quidem hactenus ad ſententiam, & rem aliam conuertuntur. Iam ergo uideamus, quæ ſit auerſio ad perſonam, quãdo inquam uerbi

Auerſio ad perſonam.

perſona

perſona mutatur:ut ſi ad eum uerba cõuertimus,de quo antè loquebamur. Vt illud,

Vt bello egregias idem diſiecerit urbes,
Troiamq́, Oechaliamq́, & duros mille labores,
Rege ſub Euryſtheo,fatis Iunonis iniquæ
Pertulerit,tu nubigenas inuicte bimembris. Et reliqua.

Vel alium quemcunque. Inuenio autem duos hic modos, utrunque tamẽ cum proſopopœia:& interpellationem uocamus.unũ, quando ſermo cum beneuolentia conuertitur, & familiaritate: alterum, cum motu animi uehementiori:& inter hos quidem familiaritas ſecura eſt, atque tranquilla: motus ferè per exclamationem apparet. Interpellatio. Vt inuocatio.

Iuppiter omnipotens audacibus annue ceptis.

Execratio, O' libidinem execrandam. Obteſtatio,

Vos æterni ignes, & non uiolabile ueſtrum
Teſtor numen,ait. — Deploratio,
O' patria, ô diuum domus Ilium, & inclyta bello
Mœnia Dardanidûm. —
Dulces exuuiæ,dum fata Deusq́ ſinebant.

Denique admiratio, cohortatio, querelæ, ac ſimiles proſopopœiæ omnes ſermonem cogunt ad perſonam conuertere. Interrogamus autem non ſolum ſecundam perſonam, & primam, & tertiam, ſed etiam(ut obſeruarunt Grammatici)incertam,ut Æneidos 4.

Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor,
Qui face Dardanios ferroq́ ſequare colonos.

Porrò familiaritatis ſunt πολυτροπὴ & ἀνακοίνωσις. Illa interrogat, urget, & tanquam reſipere compellit aduerſarium: ut quod neſcit intelligat, aut fateri cogatur ipſe idẽ aliquid. Dicatur hic, ſi lubet, reuocatio: alibi fortaſſe inuerſio. ut, Non'ne ita dixiſti? Quid eſt quod uocas ęquitatem? Sed communicatio uix aliter fit, quàm per ironiã. Aduerſarios nunc conſulimus per hanc, nunc etiam monemus: cũ quibus ſeriò tanquam deliberamus. Pro Cæcinna: Te uti in hac re magiſtro uolo: quæro, ſit'ne aliqua huius rei actio, an nulla. Quæſo te Eruci, ut hoc in bonam partem accipias. Sunt qui hanc nõ communicationem, ſed aduerſionem uolunt dici. Verùm ut lubet. Nos æſtimanda relinquimus iudicibus & aduerſarijs, & alijs, tam commoda & euentus proſperos, quàm incommoda & exitus infelices, quaſi omnium ſecuri ac negligentes, ut dictum in perorationis partibus. Vt, Ipſi uiderint. Reliqua eſt præteritio, παράλειψις dicta Gręcis. Hæc ad præparationem quoque referri poteſt. ſemper enim in his aliquid in mẽtem ſuccurrit, propter quod cogitatio dimittitur. Duplex autem habetur præteritio. una dicitur ἀποσιώπησις, id eſt reticentia;

Reuocatio. Inuerſio. Communicatio. Aduerſio. Præteritio. Paralipſis, duplex. ἀποσιώπησις.

Reticentia. reticētia: altera προπαράληψις, id eſt, ficta præteritio. Reticētia porrò
προπαραλήψις. alia quidē dicitur ἀποκοπὴ, id eſt abſciſio. ut, *Quos ego. Sed motos præſtat*
Ficta præteritio. *componere fluctus.* alia προαποσιώπησις, quādo præmittitur ſilētio aliqua
ἀποκοπή. prǽteritio ſeu apodioxis: interruptionē uocare licet, & frequenter
παρασιωπησις. occurrit. Figuratam dico, qua nos omittere aliquid teſtamur, ut ma
ius aliud ſubijci poſsit: ſiue illud à nobis dicatur, ſiue nō. ſæpe enim
negamus nos dicturos, & tamen occultè dicimus interiectione uer
borū. Interruptionis exemplum eſt pro Cteſiphōte Demoſth. ἀλλ' ἐμοὶ μὲν, ὃ βούλομαι ἢ δυσχερὲς εἰπεῖν οὐδὲν, ἀρχόμενος τοῦ λόγου. & apud
Virgilium, *Criminibus terrere nouis* —

— *Donec Calchante miniſtro.*

Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata reuoluo?

Talia ſunt, quæ uel moleſta, uel ſatis nota, tractata'ue, aut planè par
» ua & ſermone indigna cenſentur. Nihil dico de meo ingenio, necꝫ
» eſt quod poſsim dicere: necꝫ ſi eſſet, dicerē. Aut quia non uacat om-
nia dicere: ut, Multa prætereo, & ea præclara. Simulamus, nos
omittere, quaſicꝫ negligere, id quod tamen nō omittimus: *Quid me-*
» *morem portus?* & pro Cluentio: Mitto illam libidinis iniuriam, mitto
» nefarias generi nuptias. Vbi illud prǽceptione dignum eſt, quod in
ficta præteritione, rationem expedit ſubijcere, cur dicere atcꝫ omit
tere illud, quicquid eſt, uelimus. ut, uel quia notum ſatis eſt, aut mo
leſtum, aut nullius momenti. ut,

Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata reuoluo?

Per denunciationem prætereà fit prǽteritio, ſed nulla affectatione.
ut, Non dicam de cauſa belli. Per ǽtiologiam fauorabilior redditur
προαποσιώπησις: ut, Præ lachrymis loqui non poſſum. Itacꝫ omnis
oratio, ut tandem abſoluam, quæ nos de integro propoſitoćꝫ ſen-
ſu detrahere quippiam teſtatur, uocatur impunè Præteritio. Quæ
cum auditorem de re aut dicenda, aut reticenda admoneat, non in-
iuria eſt cū correctione, apoſtrophe atcꝫ prǽmunitione poſita pars
anticipationis. Omnes enim illǽ ſuo quodam modo auſcultantis in-
tentionem anteuertunt ac præueniunt, ut ad aliud aduertat animū
quàm ſit in oratione ſcopus.

Commoratio. *Cap.* 10.

Ἐπιμονὴν, id eſt commorationem à figurarum genere ſe-
cludat fortè quis, quòd non cum figurato ductu, ſed ma
gis cum recto & ſimplici conuenire uideatur. Tractan-
tur enim rectè omnia, atqui pluribus rem exponi, nullā
Commoratio an ſententiæ figura. ſimulationem habet, nullam fraudem præfert. Quare dicendi erit
genus potius & idea orationis, quàm figura ſententiæ. Nam ſiue
ambagibus longis & μεταβολαῖς rem unam altè repetas, ſiue ſingu-
lis ita inſiſtas, ut uel minima quæcꝫ diſquirendo excutiendoćꝫ, unū
atcꝫ

atq; idem argumentum multis complectare: utriuſq; tamen labor atq; induſtria eò uergit, ut pluribus uerbis & copia plenitudinem facias, & eodem in loco diutius immoreris. Verùm lõgè quidē aberras, ſi figuræ uim omnem & naturam putas eſſe in fraude, atq; ſimulatione. Si ſic eſſet, certè una forma ſufficeret ſententiæ, mendacium: & quam ferè docti obtinuerunt opinionē, ualidè confirmaremus, mendaces & impoſtores eſſe ualde diſertos. Abſit autem, ut ſapientię prolem eloquentiam tanti ſceleris accuſemus. Nam ſi abſynthij aut aloes ſaporē melle diſsimulat peritus medicus, ut ægro nõ omnino inſuauis habeatur: aut ſi pueris dant cruſtula blandi doctores, elementa ut poſsint ediſcere prima: tantum abeſt ut ideo mendacij accuſentur, ut magis ex arte & bonæ mentis induſtria laudem mereantur & beneuolentiam. Quanquam (ſi rectè memini) non ita figurā definiuimus, quæ mentem dicentis tegat aut diſsimulet: ſed omnem orationis mutationem ex recta naturaliq; forma dicendi, ſiue illa apertè mentē declaret, ſiue obliquè. Nec ita ſimplex rectaq; eſt commoratio ubiq;, quin etiam longè petens argumenta plerunque circumeat, & in obliquitatē uertat, quæ poſſent alioqui rectiſſima planiſsimaq; eſſe. Quapropter iurè eſt inter figuras connumerata. Eſt ergo Commoratio, (ut nomen etiam importat) figura ſententiæ, qua ſenſum unum eundemq; multis modis uerſantes, atque reſumentes idem tantum, ſed uariè, & tanquam aliud dicimus. Magna eſt uis humanitatis, multum ualet communio ſanguinis, reclamat iſtis ſuſpicionibus ipſa natura. & cõtra Midian Demoſthenes, cum id ſolum uellet, τὴν ὕβριν μειδίου πάντες ἴστε: extendit, τὴν μὲν ἀσέλγειαν, ὦ ἄνδρες δικασταί, καὶ τὴν ὕβριν, ᾗ πρὸς ἅπαντας ἀεὶ χρῆται μειδίας, οὐδένα οὔθ' ὑμῶν, οὔτε τῶν ἄλλων πολιτῶν ἀγνοεῖν οἴομαι. Hanc pleriq; nominant διατριβὴν, id eſt morā, & latini quidā expolitionem. Siquidem expolitio aliud non eſt quàm cõmoratio: ſed humanius quid ſignificat, quàm ut omni commorationi conuenire poſsit. Huius autem munus unicum inuenitur, plenè copioſeq; diſſerere, & uariè. Quod cum ita ſit, nihil profectò magis ineptum, quàm ſi hoc ipſum non habeat, nempe uarietatem. nam ſi plenitudo & copia lucem habent, magis tamen uarietate placent, quàm luce: ut eſt omnium quæ natura profert, illa ſuauiſsima. Quærendum igitur nobis qui fiat commoratio, et quomodo ſimilitudinis ſatietas uitetur: qua ratione inquam eandem rem eloquamur nõ eodem modo. Ac triplex quidem uia, cum eius naturam altius inſcrutarer, mihi reperta eſt: & quēadmodum ſemper quoad potui, Græca uocabula protulimus, ſic hoc loco primam ſpeciem eſſe puto ἐπεξήγησιν, quaſi dicere uelis additam interpretationem. Alteram latinè appella, ſi lubet, diductionē, nam Græcum eſt ἐπίλυσις: niſi malis fortè ἔκφρασις, id eſt

Eloquētia ſapientiæ proles.

Commoratio quid.

Διατριβή.

Expolitio.

Variādi triplex ratio.

Epexegeſis.

Diductio. ἐπίλυσις. ἔκφρασις.

ὄγκος. id eſt explicatio, ſeu deſcriptio. Tertia eſt ὄγκος, apparatum nominant. Hæc quidem commorationis formæ. Sed ut exemplo breui & facili rem teneas, & ad reliqua quæ dicentur poſtea quaſi uexillum erigamus: expende Chreſteriaſmum illum amoris, qui eſt in quarto Virgilij:

At regina graui iamdudum ſaucia cura,
Vulnus alit uenis, & cæco carpitur igni.

Hactenus epexegeſis eſt: ſequitur ἔκφρασις:

Multa uiri uirtus animo, multusq́ue recurſat
Gentis honos: hærent infixi pectore uultus,
Verbaq́ue. — Sequitur tandem apparatus breuis, ex modo ſumptus, quo ceſſat:

Nec placidam membris dat cura quietem.

Atq; ita commoratus eſt Poeta in eodē ſenſu, quē uno uerbo poterat efferre, quòd noctē illam Dido totam in amore duxit. Sunt autem & in ſingulis his generib. ſpeciales quædā aliæ figuræ: quas rurſum in alias formas diuides magis ſpeciales, & typos figuratum. Nā
τὸ αὐτὸ. in epexegeſi quidem eſt quod Græci dicūt τὸ αὐτὸ, hoc eſt, idem. uel
παλιλογία. magis propriè παλιλογίαν, id eſt iterationem. Atq; hæc quidē repe-
Iteratio. titio eſt, eiuſdem uerbi, eiuſdemq́ue orationis. Repetūt idem uerbū,

Ah Corydon Corydon, quæ te dementia cepit?

» Viuis, & uiuis non ad deponendam, ſed ad confirmandā audaciā.
» Nihil te nocturnum præſidium palatij, nihil urbis uigiliæ, nihil po-
» puli timor, nihil conſeſſus iſte iuſtorum, nihil munitiſsimus habēdi
» ſenatus locus, nihil horum ora uultusq́ue mouerunt? & cum uno uerbo in ſecunda Philippica dici potuiſſet, Antonium belli ciuilis cauſam fuiſſe, dilatat propoſitione & enumeratione per epanaphorā:
» Vt igitur in ſeminibus cauſa eſt arborum & ſtirpium, ſic huius lu-
» ctuoſiſsimi belli ſemen tu fuiſti. Doletis tres exercitus populi Ro.
» interfectos, interfecit Antonius: deſideratis clariſsimos ciues, eos
» quoq; eripuit uobis Antonius: autoritas huius ordinis afflicta eſt,
» afflixit Antonius. Et tandem omnia hæc ueluti una crepidine cir-
» cuit: Omnia deniq; quæ poſtea uidimus, quid autem mali non uidi-
» mus? ſi rectè ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio. Vt
» Helena Troianis, ſic iſte Reip. cauſa belli, cauſa peſtis atq; exitij fuit.

Epanalepſis. Cæterum hæc figura repetitionis, quæ & epanalepſis dicitur, etſi commorationis eſt quidam inſignis maximeq́ue perſpicuus modus: concitat tamē magis & mouet animos, quàm ſiſtit dictionē. Quanquam reſumitur rei nomē aut perſonæ, tum ut differētia aliqua mōſtretur, ut Odyſſ. primo,

ἀλλ' ὁ μὲν αἰθίοπας μετεκίαθε τηλόθ' ἐόντας,
αἰθίοπας τοὶ διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν:

tum ut exornatio aliqua apponatur, —*Pulcherrimus*

—Pulcherrimus Aſtur,
Aſtur equo fidens.— Et Muſæus:
—τὸν μάρτυρα λύχνον ἐρώτων,
λύχνον ἔρωτος ἄγαλμα.— Sæpe ut dicentis impetus declaretur, O Thais Thais: & ſuperior epanaphora. Palilogia integræ orationis quatuor fiet modis. Si quod rectè dictum eſt, ſurſum uerſus, & interciſè iterum dicatur. ut, *—An puer improbus ille,*
Improbus ille puer,—apud Vergilium.

Palilogia quatuor modi.

Aut mutata actione: quod tamen ſcripto nō apparet. Cæterùm maximè propria eſt epexegeſeos ſynonymia. Hæc fiet quatuor modis. Dictionibus idem ſignificantibus: ut, Rogat oratq́ uos Iudices: & illud Treboniani, Tutela ius eſt atq́ poteſtas. Definitis & definitionibus iunctis: ut, Exire atq́ in uulgus emanare: Hoc conſilio, atque adeò hac amentia: quæ eſt interpretatio ironica. Accidente etiam, ueluti ſi res per nomen accidentis ſignatur, unà cum ſubſtantiæ nomine. ut, Ita ſenſit philoſophus, ea mēs eſt Ariſtotelis. Et hęc quidem ſynonymia dupliciter exprimitur. cum ἀλλοιώσει, per nomē formale, quod Latini nomen adiectiuum: ut, Poeta ille, diues ille, ſapiens ille. aut per nomen ſubſtantiæ (quod quidam abſtractum, alij quoq́ contrà formale nominant) ut, Illius carmina, illius diuitiæ, illius ſapientia, furor P. Clodij, Iſthmiorum ſolennitas, ſyluę folia. Et cum ſatis eſſet cupiditas, dicimus animi cupiditas, quod aliud etiam epithetum poteſt admittere: ut, Impotens animi cupiditas. Idq́ rurſus per metaphorā et propriè. Proprium namq́ eſt, obſcuritas orationis: metaphoricum, tenebræ: longius ac remotius, noctes. Tropis inſuper diuerſis idem ſignificamus abſq́ proprio: ut metaphoris pluribus eundem ſignat amorem Didonis:

Synonymiæ quatuor modi.

At regina graui iamdudum ſaucia cura,
Vulnus alit uenis, & cæco carpitur igni. Et Martialis:
—Scelus eſt iugulare Falernum,
Et dare Campano toxica ſæua mero.

Et etiam alijs, ut multis circumloquutionibus, hypallagis, ſynecdochis. Quę omnia dici ſynonyma, & partes interpretationis poſſunt: licet à Grammaticis dicantur ferè ſemper τὸ αὐτὸ. Potes addere & τὸ ἰσοδύναμον, hoc eſt æquipollentiam: ut, Non auarus, ſed liberalis. Sed quia hæc per contentionem fit, ideo rurſum de ea mox paulo latius. Hæc igitur hactenus de prima commorationis forma. Alteram autem latinè diductionem appellant, dum aliud non ſuccurrebat nomen, uoca ſi lubet, dilatationem. Græci, certum eſt, dixerunt ἐπίλυσιν: quoniam uel uerbi eſt unius in multa diductio & reſolutio, uel ſenſus unius. Diducitur autem uerbum unum per ἔκφρασιν, quam deſcriptionem uocant: & πλῆθος, id eſt frequentationem. Et

Aequipollentia.

Diductio.
Dilatatio.
ἐπίλυσις.

Ἰνφρασις. ἔκφρασις quidem (ſeu expreſsionem dicas, ſeu deſcriptionẽ) per nominum deflexiones immutationesq́ elegans eſt, & poetica. Primũ cum ſynecdoche: ueluti cum relicto rei nomine, accidentia atq; adiuncta enarramus. nam dicturus cum eſſet Virgilius, Initio ueris incipe arare: pro initio ueris, quid?

Vere nouo, gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſoluit.

Pro aratione autem, quid? *Depreſſo incipiat iam tum mihi taurus aratro*
Ingemere, & ſulco attritus ſplendeſcere uomer.

Hæc nanq; uerba non aliter rem ſignificant, quàm quia contingunt frequenter cum ipſa. Eidem ergo ſeruit Metonymia & Antonomaſia, ueluti & Periphraſis abſq; definitione: cum ſcilicet pluribus ex proprietate ſumptis uocabulis rẽ deſcribo, non addito rei nomine. ut, *Regina Deûm*, cum pro Iunone ponitur: *Deûm pater atq; hominũ rex*, pro Ioue: Carthaginis euerſor, pro Scipione: exeſę arboris antro, pro cauerna: dona laboratę Cereris, pro pane. Vel addito nomine, ſed non tanquam definito, ſed ut differentia quæ accidenti adiungitur. ut, pro Cancro, Sidus Cancri: pro Iſthmijs, Iſthmiorum ſolennitatem: pro ramis, ſyluæ ramos. Hoc ergo differt periphraſis à finitione, quòd ὅρος, id eſt finis, protinus interpretatur definitum. ut, Exire atq; in uulgus emanare, Vir gregis ipſe caper: Qui ſector eſt & ſicarius. id eſt, qui & illorum ipſorum honorum de quibus agitur emptor atq; poſſeſſor eſt. Itaq; definitionem in ſynonymia, & periphraſin in diductione meritò poſuimus. Vtrunq; autem, & periphraſis & definitio, uel ex ui uocabuli ſumitur, uel ex rei natura, uel ab accidente. Etenim ſapientiæ ſtudioſus, definitio eſt nominis philoſophi: Clodij furor, ab accidente ſumpta periphraſis: Iſthmiorum ſolennitas, Sidus Cancri, & ſimilia (quę genus cum ſpecie coniungunt) à ſubſtantia. Ergo πλῆθος iam, id eſt multitudo ſeu frequentatio, altera pars diductionis, ſuas quoq; habeat differentias: diſtributionem partium, comprehenſionem, redundantiam. Diſtributio quidem partium eſt in his, Luget ſenatus, mœret equeſter ordo: id eſt, totus populus in mœrore eſt. Comprehenſio uerò partium cum toto, in his:

Metonymia. *Antonomaſia.* *Periphraſis.* *πλῆθος.* *Frequentatio.* *Diſtributio.* *Comprehẽſio.*

Troiaq; nunc ſtares, Priamiq; arx alta maneres.

Hac eadem uniuerſales ſermones cum particularibus coniunguntur, quę prę́ſumptione concipitur. Hæc eſt, quam ſuprà in prolepſi μετάβασιν nominauimus. ut, Cùm omnes homines, &c. tum uerò maximè, &c. & illud primo de Diuinatione: Cum omnibus in rebus temeritas in aſſentiendo, errorq́ turpis eſt: tum in eo loco maximè, in quo iudicandum eſt quantum auſpicijs rebuſq́ diuinis religioniq́ tribuatur. Diuiſio etiam πῦρ ἀπ' ἀρχῆς ἄχει τέλους. Vt,

Præſumptio. *μετάβασις.*

Incumbens

Incumbens aræ, atq; umbra complexa penates. Et illud,
Hærent parietibus ſcalæ, poſteſq; ſub ipſos
Nituntur gradibus, clypeoſq; ad tela ſiniſtris
Proiecti obijciunt, prenſant faſtigia dextris.

Et illa per incrementum: Necq; uerò ſe populo ſolùm, ſed etiam ſena
tui tradidit: necq; ſenatui modò, ſed etiā publicis præſidijs & armis.
Et illa: Scelus eſt uincire ciuem Romanū, facinus uerberare, &c. Et
gradatio, quæ à generibus ad ſpecies deſcendit, uel contrà aſcendit: *Gradatio.*
omnes in diuiſione partium collocantur: quia quod uno uerbo po-
terant, pluribus diſpertiunt: & in plura, quod unum eſt genere atq;
notione, diducūt. Quanquam diuiſio per incrementum, pars quan *Diuiſio per*
titatis eſt, & argumenti expolitio. hoc tamē ſub commoratione po- *incremētū.*
nitur, quatenus unam (ut dixi) notionem in plura diſpertit: quod e-
tiam ſine incremento poterat ſola eorum quæ ſunt ab imo ad ſum-
mum diuiſione. Senſum porrò diſtrahit in multos plenitudo, ſeu
redundantia: Græci dicunt περισσότητα: ueluti ſi unum argumentū *Redundan*
per plures locos, per plura capita, per plures aggreſsiones dedu- *tia.*
cas, ut & locos & capita & aggreſsiones ſuprà in prioribus libris et *περισσό-*
partibus orationis tradidi. Exemplis huius figuræ præter cæteros *της.*
quidem abundat Ouidius: & maximè tum in ijs quę ſunt ab imo ad
ſummum, tum in fabularum enarratione quæ quouis modo rem
cernunt, multus eſt & redundat. Supereſt tertia cōmoratio appa *Appara-*
ratus: Græcè ὄγκος. Hæc primas obtinet in hoc genere. Eſt enim or- *tus.*
natus quidam excellens, in quo mentis atq; animi ſumma tranquil- *ὄγκος.*
litas apparet. Synonymia ſępe commota eſt: iteratio ardet: diductio
ſæpius ſolicitudinem habet: hic tanquā in loco amœniori ſe diſten-
dit & iactat eloquutio. Quapropter, cum reliquis ſuæ ſpeciei no-
mina tribuantur, & proprijs, non generalibus notionibus ſingula
magis declarari ſoleant: apparatū tamen ferè commorationem ge-
neraliter definiere. Videtur autem mihi in quatuor ſpecies diſtin- *Appara-*
gui: licet alij unicum modum ei ſubijciant. Nam commorari in eo- *tū cōmo-*
dem, primùm per epitheta ſolenne eſt, maximè poetis, quorum de- *rationis ſpe*
ficiente adimplendi carminis materia, numerum undecunq; adie- *cies.*
ctiuo accito ſuffulciūt. Deinde modus ipſe pleniorem facit oratio
nem. Tum commoramur in antitheto: & præter hæc, in epembole:
interpoſitionem uocabo. Quæ ſi omnia, uel pro maiori parte con-
currūt, figura ſeu idea fit περιπλοκή, id eſt circuitio. res enim turpis *περιπλο-*
aut moleſta auditori aut dicenti odioſa, multis gaudet ambagibus: *κή.*
& relicto proprio nomine, ſermo circumducitur, ut ſuprà diximus *Circuitio.*
in ductu figurato. Etenim quia odioſum erat, Occiſus ab ſeruis Mi-
lonis fuit: qua uſus circuitione rem odioſam dixit? Fecerunt ſerui "
Milonis quod in tali re ſuos quiſq; facere uoluiſſet, &c. Igitur epi- "

Epitheta adiectiua. theta quædam Latinis dicuntur adiectiua; Hebræis grãmaticis for malia: uelut, Felix imperator. In his modum excedunt poetæ, præſertim Græci: qui ut uerſum impleãt ocioſis, nec ſępe proprijs abutuntur: & uinum dicunt humidum, album lac, cauam buccinam, Iouem ὑψιβρεμίτην. Adeoq́ licentioſus uiſus eſt Homerus præter cæteros, ut incertos reddat aliquando interpretes, nomen ſit an epithetum ſuperuacuum quod appoſuit: ueluti quòd appellat Inſulas ἴξεις, cum cæteris ſit epithetum, Heliodorus nomen proprium exiſtimauit. Sed hæc adiectiua dicentur. *Epith. ſubſtantiuum.* Additur & epithetum ſubſtantiuum. ut, Fabius unicum patriæ columen: CHRISTVS IESVS ſpes & ſalus noſtra. Atq; in hunc quidem modum tam ſubſtantiua quàm adiectiua ſuppoſitis ſubiectisq́ adhæreſcunt, ſed hæc ut accidentia: illa uel per appoſitionem, uel κατ᾽ ἀφήγησιν καὶ ἀναφορικῶς, id eſt per relationem, quæ rem declarat. ut, Fabius qui unicum eſt columen patriæ: affinis definitioni ratio. ut & illud, periphraſi, *Inſignem pietate uirum.* Poteſtq́ non ſolum adiuncta perſonæ declarare *ἀφήγησις.* ἀφήγησις, ſed & rei etiam omnes circunſtãtias. ueluti locum, tẽpus, *ὑφήγησις.* cauſam, modum. Idcirco & pars huius loci erit ὑφήγησις illa, pars productioris ſententiæ, de qua poſtea in interpretatione. Sed nos ſemel hæc omnia dicemus epitheta: quibus cum nihil ſit quo magis impleri ac redundare oratio queat, nihil tamen, quàm hæc, inuentu facilius inuenias. Quare non mirum eſt, ſi frequentius adhibitum friget. His (ut iubet Ariſtoteles) non tanquam cibis, ſed tanquam *Modus.* bellarijs eſt utendum. De modo autem tractatum eſt multis ſuprà. Hunc ferè docent aduerbia, quæ & ab omnibus quoq; circunſtantijs duci poſſunt. ut, tempeſtiuè, imprudenter, lugente matre, proſtratus humi: & ſimiliter per omnia prædicamenta, quemad- *Antitheſis formæ.* modum ſuprà dictum eſt, modo diſcurrente. Antitheſis autem, quæ & inter ornamenta primas tenet, duæ formæ erunt. Vna dicitur contrarium, propterea quòd oppoſitis oppoſita componit. ut, Periculoſum eſt loqui, tutum autem tacere. Item, Neq; timeant, qui nihil commiſere: & pœnam ſemper ante oculos uerſari putent, qui peccarint. Vel eadem tanquam oppoſita. ut, Non eſt tutum loqui, & periculoſum eſt tacere. Et illud, Nõ ſemper uiator à latrone, nonnunquam etiam latro à uiatore occiditur. Altera fit per remotionem aſſumpti, hoc eſt, per arſin & theſin. De qua etiam hoc loco quæ tradimus, ſeruire poterunt tàm ijs quæ ſuprà, cum de partibus argumentationis ageremus, indicaui, quàm quæ pòſt dicturi in figura ſumus Apartiſeos, & omnino, ut contrarium, uel oppoſita oppoſitis opponit, uel tanquam oppoſita. Differt tamen, quòd hæc alterum ab altero remouet, illud coniungit. Et obſeruandum quidem eſt, remoueri nonnunquam aſſumptum, ut per correctionem

nem aliud tanquam oppoſitū ſubſtituatur: aliquando idem. Exemplis omnia patebunt. Interea tamen non diſtinguo inter contraria, repugnantia, oppoſita: ſed omnia uoco nunc oppoſita, quæcunque ſunt quomodocunq; contrapoſita: quoniam de his ſuo loco iam copioſius. Non auarum, ſed liberalem: non furem, ſed latronem: eloquentem, non autem diſertum. Et eodem pacto poteſt uniuerſale particulari, & totum parti obſiſtere. Vocant propriè hypomonen quidam grammatici illam figuram, qua ſubijcimus interrogationi correctionem. ut, Quid dico euerſam? imò, &c. Quid ergo ſyngraphæ non ſunt? imò, &c. Idem quoq; per traductionem ſibi opponitur. ut, Par labor, non par uictoria. Porrò autem illa contentio, quæ tanquam oppoſitas ſententias, partes committit, ſi per arſin & theſin diuidat negotium, incrementum faciet, & quātitatis propria erit definitio. ut, Nō furem, ſed latronem. Si per ἰσοδυναμίαν, id eſt æquipollentiam, huius loci maximè propria eſt. ut, Non diſplicet, ſed placet. Sunt autem huius palilogiæ duo modi: ambo quidē per contentionem, ſed per negationem unus contrarij, alter per cōmutationem. illius exempla ſint hæc: Nō diſplicet, ſed placet: Non auarum, ſed liberalem: Non omnes aſſenſerunt, ſed aliqui contradixere. Atq; hoc quidem modo æquipollent, Non omnis, & Aliquis non: Nullus non, & Omnis: Non nullus, & Aliquis: Non neceſſarium, Poſſe non eſſe. Alter ergo modus qui commutando fit, non quidem negat contrarium, ſed relatiua, & ea quæ cōparantur, commutat & inuertit. ut, Gener uxorem duxit ſocrum ſuam, ſocruſq; genero nupſit: Audit præceptorem diſcipulus, & diſcipulum docet præceptor: Virtus fortunę imperat, fortunaq; uirtuti cedit: Pluris facit diuitias quàm famam, & minoris famam quàm diuitias. Reliqua ergo iam declaranda parentheſis eſt, cuius ratio duplex eſſe poteſt. Nam ſi extrinſecus inſeras nonnulla, nihil pertinentia ad inſtitutum: quæ ſi quis ademerit ex ſententia, nihil tamen ſenſui decedat, aut conſtructioni: uoca παρεμβολὴν, id eſt interiectionem. ut,

—Voluentibus annis
Hinc fore ductores.—Breuis autem confirmatio, quæ ad occupandum aliquid aut curandum inſeritur, ἐνθύμημα, & aliter ἐπενθύμησις appellari poteſt: de qua ſuperius in prolepſi latius. Nam occupatio alia ratione dicitur, alia commoratio. Siquidem in quo argumentum anticipat & præuertit (ſiue inſeratur per parentheſin, ſiue aliter addatur) occupationis naturam non deſerit: ſi uerò per parentheſin adijciatur, tum quia multa ſimul refert, & orationis contextum producit, huc ſpectabit: nec alio ferè in loco ponitur quàm enthymema tum. quāquam non cupio tam enthymema dici, quàm, ut ſuprà, medelam, aut remedium, aut mitigationem, ne in illud expolitionis genus

Oppoſita generaliter quæ.
Hypomone.
Palilogia duo modi.
Parēbole. Parētheſis.
Enthymema.
[illegible]

nus recidat, quam in probatione definiebamus contrarijs. nã ut cõmoratio omnis occupationem faciat, non adeò tamẽ expreſſam, atque epiplexis. Atque hæc quidem quæ diximus de commoratione, facilè declarant, quàm ex puſillis indicijs quanta dicendi ſupellex explicetur. Quod ſi, quibus non niſi una eſt in promptu forma dicendi, tanto orationis tamq́ue pleno flumine feruntur, quid exiſtimãdum de eo fuerit, qui nõ uno aut altero modo, ſed omnibus in tempore cum delectu ſermonem uariabit? Licet enim non in eodem nomine ſolùm, per contrariorum inquiſitionem diutius hærere: ſed in eadam etiam ſententia. ut, ſi (quod iam dixi) compoſitum ex contrarijs negemus. Multiplicatis etiam nominibus, cæſa pullulabunt: uerbis, membra: & ſententijs, periodi atque ſpiritus. Quanquam nec ubique ea ratio habetur. nam & uerba hic in cæſis habes: *Facile omnes perferre ac pati, cum quibus erat: cumq́ue unà his ſeſe dedere: eorum obſequi ſtudijs, aduerſus nemini, nuſquam illis præponens ſe.* Tria cum commendet Terentius, patientem, obſequioſum, & modeſtum: ſynonymia facta eſt, in *perferre ac pati*: definitio, *His ſeſe dedere, eorum obſequi ſtudijs*: contrarium negatum, *Aduerſus nemini.* Sed locupletãdæ orationis modos in lib. de Copia uerborum plurimos collegit Eraſmus, & exempla poſuit:
Breuitas cõmorationi contraria. ad quem nunc plura deſiderantem remittimus. Contraria porrò commorationi erit breuitas, ſeu emphaſis: *Et campos, ubi Troia fuit.* Ea multos locos, multaq́ue argumenta in unam comprehenſionem, & ſæpe membrum unum cogit: nec patitur lectorem animo uagari: quin relegere attentius, & ad eadem redire, ut quæ non ſatis notata præterfluxerant, compellit.

Ironia. *Cap.* 11.

Diſſimulatio. εἰρωνεία. Simulatio. QVAM Græci εἰρωνείαν, nos Latinè diſſimulationem appellabimus. Hæc autem prorſus in fingẽdis tum noſtris, tum alienis opinionibus ſita eſt. Nam etſi Quintilianus diſcrimen faciat inter hanc & ſimulationem: nempe quòd ſimulatio certæ opinionis imitatio ſit animi tui, diſſimulatione nobis aliena fingentibus parum intelligere: tamen ut unum ſit unius rei nomen, etſi plurium ex analogia, unũ ſi lubet accipito. Quid ſentis, inquit, de eo qui deprehẽditur in adulterio? Reſpõdit ironicós (quaſi parũ intellecta mente interrogantis) tardum eſſe. Simulamus ergo laudẽ, cum uituperamus: Bone uir. exhortari, cum dehortamur.
I, ſequere Italiam uentis, pete regna per undas.
augere, quod paruum eſſe ſentimus:
Egregiam uerò laudem & ſpolia ampla refertis,
Tuq́ue puerq́ue tuus.— Sic maius, quod minus eſt: facile, quod difficile: uerũ, quod falſum: ſimilia, quæ maximè diſſimilia: cauſam, quæ cauſa non eſt: ac denique omni ſenſus uerborumq́ue deprauatione, cum aliud

liud ex uerborum ſonitu uidemur intelligere, quàm conſtat: ſiue id
fiat negando, ſiue confitendo, ſiue defendendo, ſiue accuſando, ira-
ſcendo, metuendo, optando, gaudendo, miſerẽdo: demum quibuſ-
cunq; ex locis & capitibus duci ſolet oratio (ſi in diuerſum interpre
teris, quàm te appareat intelligere) ἐιρωνεύεις. Mimi quoq;, mo- *Mimi.*
tum animi ſimulantes, ut ſtultitiæ aut ſimplicitatis: aut uitium cor-
poris imitantes, eandem faciunt, ſed ſcurrilitatis propriam: quoniã
quaſi ui quadam maiore riſum extorquent. Nos liberalem, quantũ
licet ediſcamus. Siquidem ut uerba per aures immiſſa acceptáq; fi-
deliter, mentem natura ſua immutant, & formis ſimulachrisq́; recẽ-
tibus quaſi depingunt atq; afficiunt: geſtus tamen motusq́; corpo-
ris, ſi cum perfectæ imitationis arte fiant, multo quidem efficaciori-
bus expreſsioribusq́; ideis, cùm ſimplicitatẽ, tum uitium repræſen-
tabunt. Adeò autem uel noſtram uel alterius mentẽ diſsimulamus,
ut apertum ſæpenumero mendacium, atq; impudens, pro ioco &
cum uoluptate audiatur, nec improbetur. Dicenti cuidam, ſe in Si-
cilia quinq; pedes longam murænam emiſſe: Nihil mirum, (reſpon-
dit alter) nam ibi tam longæ naſcuntur, ut piſcatores utantur pro re
ſtibus. Caput alius ad fornicem Fabium offendiſſe, cum dixiſſet de
homine prælongo, riſu exceptus fuit. Atq; eam ob rem Hyperbole, *Hyperbo-*
quanquam fide carent quæ dicimus, tamen fateri cogit multum eſſe *le.*
quod uero ſuperſit: & licet ſolam hæc quantitatem augeat, & à ple-
riſq; tropus exiſtimetur, ego tamẽ figuram magis eſſe definio, & ſpe
ciem ironiæ: ſicut & allegoriam, id eſt inuerſionem. Tropus enim *Allegoria.*
in uerbis ſingulis ponetur paulo pòſt, non in ſententijs: & transla-
tione uel immutatione dictionum, nõ ſimulatione efficitur. Atqui
hyperbole & allegoria totam ſententiam complectuntur, non par-
tem, etſi à parte, tota ſequantur aliquando. Quàm ergo ſimplex ra- *Ironiæ ſim-*
tio omnis ironiæ? quanquam ad delectandos mouendosq́; homi- *plex ratio.*
nes uim habet ineffabilem: & ad reſiſtendum, laceſſendumq́; maxi
mè præſentaneam. Nec mirum, quòd inter alia uitæ inſtituta Lace-
dæmoniorum hoc quoq; exercitij genus à Lycurgo inſtitutum fuit,
ut adoleſcentes diſcerent ſcommata ſine morſu (ut tradit Macro-
bius) tam dicere, quàm ab alijs dicta in ſe perpeti. Et mea quidẽ ſen-
tentia, riſus, quem rerum omnium difficillimum exiſtimant, & cu-
ius facultatem arte negat uulgus obtineri (ſi altius rem introſpi-
cias) non aliunde quidem elicitur, quàm ex huius figuræ ui, & qua-
ſi penetralibus: nec aliud unquam præcipiendũ duco de riſu, quàm
ut ἐιρωνεύων uitium notes hominis, neq; chari, neq; miſeri, nec pla-
nè facinoroſi: aliorum omnium copia ſatis ampla eſt ſuggillandi. Fa
cinoroſi quidẽ maiore quadam ui, quàm ridiculo, uulnerari uolũt.
miſerorum autẽ inſectatio inhumana eſt: & eorum qui chari ſunt,

ſtulta. Turpitudo autem quæ notari debet, ea eſt uel corporis, uel animi. Eam quæ in animo eſt, facilè ex dictis & factis conijcimus. Hinc fit, ut ſola interdum ſimplicitatis narratio, uel ſtultitiæ, riſum moueat. Ac talis certè eſt illa Fabricij fugæ expoſitio, pro Cluentio:
» Itaqꝫ cum callidiſsimè ſe putaret dicere, & cum illa uerba grauiſsi-
» ma ex intimo artificio deprompſiſſet: Reſpicite (inquit) hominum
» fortunas, reſpicite uarios duroſqꝫ caſus, reſpicite C. Fabricij ſene-
» ctutem: cum hoc Reſpicite ornandæ orationis cauſa ſæpe dixiſſet,
» reſpexit ipſe. at Fabricius à ſubſellijs demiſſo capite diſceſſerat. Di-
ctum autem huiuſce generis ridiculum, ſi laceſſendo proferatur, di-
Dictum. cacitatis erit proprium, & ipſum, dictum Latinè, Græcis nomina-
σκῶμμα. tur σκῶμμα: facetiæ autem & ſales, mihi eſt omnis ſermo hilarior.
Facetiæ. Sales. Vrbanitas. Sed urbanitas cum ex uno genere conſtet, & duobus & pluribus, nimirum ſerio & graui, tum ſoluto & molli, ac præterea modeſto: ab illis duobus neutiquam ſeparatur. Quapropter & guſtum quēdam urbis habet, & ex doctorū (inquit Fabius) conuerſatione tacitā eruditionem.
Iocus. Iocum denicꝫ in decipiendis expectationibus deprehendas.
παράδοξον. ὑπομονή. hunc dicunt Græci quidam παράδοξον, alij ὑπομονὴν. Demetrius γρῖφον, cōmuniter τὴν ὑπόνοιαν: utrumqꝫ optima ratione. quia ſuſpendit animos audientium, donec aliquid ſubijcitur inopinatū.
Suſtētatio. Poſſumus hanc ſpeciem dicere Latinè ſuſtētationem. ut, Quid huic deeſt, quàm res & uirtus? Item: Seruorum meorum omnium fideliſſimum & furaciſsimum.
Diſsimulationum genera. Supereſt ut diſsimulationū genera, quod alij etiam moliti ſunt, ipſi definiamus: nimirū ut cognoſcamus, quæ cuiqꝫ negotio conueniat ironia. Quod ſi fortè minus probabitur omnibus qui hæc noſtra lecturi ſunt, mea opinio: tamen cum repreheſum à me neminem uelim, nec ipſe ex alterius (ut dicitur) compendio ditari, ſed ſimpliciſsimè quod ſentio in medio relinquere: uitio certè uerti non debet, ſi quod multa inquiſitione ſtudioqꝫ inueni, aut inueniſſe mihi uideor, id bona fide liberaliterqꝫ demōſtrem.
Humanitas uera quæ. Ea nancꝫ uera humanitas eſt: quæ & ſui detractores arguit imperitiæ, nedum inhumanitatis. Sed ego omnē iamdudū culpā deprecatus ſum. Quare miſſa hæc facio, & tria genera pono, quæ finē reſpiciunt τῆς εἰρωνείας. Quorum nomenclatura primùm Græca abutemur, quòd ſemper fuit hæc magis nota profeſſoribus.
Ironiæ ſpecies. Ea ſunt διασυρμὸς, χαριεντισμὸς, ἀστυσμὸς, uel ἀστεισμὸς cum diphthongo. Latinè, Inſectatio, Lepos, & Vrbanitas. Partior autem & inſectationem
Cauillum. Dictum. in cauillum & dictum: quorum hoc quidem breui & acuta conſtat dicacitate, ſcomma Græcè appellatum eſt: illud autē fuſum & æquabile apparet per totam orationem, aut partem eius integram. Sepa-
Scomma. ro rurſum ſcomma in μυκτηρισμὸν, quę ſubſannatio: & σαρκασμὸν, quæ acris eſt hoſtiliſqꝫ inſectatio. Cauillum quocꝫ, id eſt σόφισμα,

in

in ἐπικερτόμησιν, & χλευασίαν, ſeu χλεύην: non reperio apud Græcos χλευασμόν. Atq; in his propriè iocus eſt Latinorum: ſemperq́; fit cum inductione aliqua erroris, & deceptione auditoris. Altera uerò per allegoriam, uel hyperbolen. Appellaui prçterea lepôrem χαριεντισμόν: quia non eſt lepos (ut pleriq; putant) uirtus compoſitionis, ſed ſententiæ: facetiarum inquam, & gratæ mentis diſsimulata ſignificatio. Fauet nobis hac in re Tullius de Oratore ſecundo: Facetiarum, inquiens, quidam lepos. Et alio loco: Multa erat in homine iucunditas, magnus in iocando lepos. Dictus autem eſt à gratia: quia ad gratiam planè ſpectat, & ingenioſæ cuiuſdam elegãtiæ commendationem. Cæterùm urbanitas ſola feſtiuitate & acumine ingenij delectat: nec aliud quærit quàm delectare. Ergo ſarcaſmus, irriſio hoſtilis & quaſi canina, μέχρι τοῦ σεσηρέναι τοὺς ὀδόντας: (qua more canum irridemus, ore ac dentibus renidentes) quoniam graue aliquid fœdumq́; obijcit, exprobratq́;, inhumanus eſt, aut amarulentus: neq; riſum ullo pacto uenatur, ſed offenſionem, ſæpiſſimè inſultando petulantius. Lepos. χαριεντισμός. Vrbanitas. Sarcaſmus.

En agros, & quam bello Troiane petiſti
Heſperiam metire iacens.— Item:
—*Referes ergo hæc, & nuncius ibis*
Pelidæ genitori.— Item,—*Meq; timoris*
Argue tu Drance.— Item,
Egregiam uerò laudem & ſpolia ampla refertis
Tuq; puerq; tuus.— Item:
I ſequere Italiam uentis.— *Dijs ſcilicet is labor eſt.*
Nouimus & qui te tranſuerſa tuentibus hircis.

Sed hæc exempla ſatis, ad oſtendendã amarulẽtiam ſarcaſmi. Nam ferè uel concedit, quod iniquum eſt: uel laudat, quod turpe: uel ſimiliter contra ſententiam ſuam loquitur. Μυκτηρισμὸς alium irridet, quem cupimus cõtemptum, & tanquam à tergo ſubſannat: unde & nomen deriuatum, & naſutos, naſumq́; habere dicimus, homines natura ironicos. Facite enim, ut uultum ipſius, & illam uſque ad talos demiſſam purpuram cogitetis. item: Quod facerem uehementius, niſi mihi intercederent inimicitiæ cum iſtius mulieris uiro: fratrem uolui dicere: ſemper hic erro. Talis eſt narratio fugæ Fabricij. Cauillum, quî fiat cum allegoria uel hyperbole, iam dixi ἐπικερτόμησιν: Latinè appelles licet mordacitatem. *Strepit anſer inter olores.* Execrabatur Sacerdotem, qui talem Verrem reliquiſſet. Petis tanq; Cæſaris candidatus, de eo dictum, qui negligenter & quaſi ſecurè pilam peteret. Χλεύη iocus eſt, & per deceptionem ridet: ita, ut is qui audit, meritò poſsit quærere, Mén' ergo ludis? Homo in agendis cauſis optimè ueſtitus. Cui nihil deeſt niſi res & uirtus. Ex ani- Myctериſmus. ἐπικερτόμησις. Mordacitas. χλεύη.

mi

mi tui ſententia uxorem habes? & reſpondet, Non hercle ex animi tui ſentētia. Itaq; iocus ſicuti tractatur, ita naturam recipit. et in amphibologia acutus eſt, in paragrāmate naſutus, in allegoria elegās, in hyperbole ſplendidus: & ridiculus deniq; in ijs quæ præter expectationem adfert. Hoc genere tam nobilitatus, quàm certè delectatus eſt Diogenes ille Cynicus: qui cum pauper eſſet, nō propria tantum fruebatur ſapientia, quantum aliena ſtultitia. Charientiſmus prætcrea ſi molliat uel minuat, quod alioqui durū uideri poſ-
ὑποκορισ- ſet, uocatur ab Ariſtotele ὑποκορισμὸς. ut illa, Nō indoctus homo.
μός. Et illud Daui, Edormiſcam hoc uilli: pro, hoc uini. Huic ſeruit ille tropus, qui pro fuga peregrinationem, pro petulanti hilarem po-
» nit. Illud autem, Siquid eſt in me ingenij, iudices, quod ſcio quàm ſit
» exiguum: magis propriè ſubmiſsio, ſi lubet, dicetur: id eſt, συγκατά-
Submiſsio. βασις. nec ironiæ pars eſt ullo modo: quia uideri uult ita ſentire, qui
συγκατάβασις. dicit. Contraria eſt ſuperlatio uel nimietas, quæ & hyperbole, ſi ſupra ueritatem extollit. Extollit autem & deprimit duobus modis,
Superlatio. rebus ſupra fidem acceptis: ut, Quaſi digito cœlum tāgat. & uerbis
Hyperbole grauioribus appoſitis: ueluti qui occiſum dicat cæſum, latronē mediocriter malum hominem. In utraq; autem, & hyperbole, & hypocoriſmo, ſæpe inuenias parrheſiā. atq; eam ob rem mitigamus ferè hyperbolen, ne nimis audax uideatur, ac libera. Quod ſi quid extenuandum ſit, figuram exprimēt illa aduerbia: Ferè, fortaſſe, nonnihil, neſcio quid.

Huic uni forſan potui ſuccumbere culpæ.

Et figuræ ſunt ironię in extenuando, ſicut illa paragrammatos, Scilicet, uidelicet, quaſi uerò, ita ſanè, ſi Deo placet, atq; id genus alia. Vrbanitas demum tota (ut dixi) ad auditorum uoluptatem inſtruitur: idcirco metaphoris utitur acutiſsimis, & deceptionibus, prouerbijs, deprauationibus uerborū & ſenſuum (quæ dicuntur Græcè, quia ſæpius ex deprauatione dictionis & paracheſi fierent, παρα-
παραγράμματα. γράμματα) ſed abſq; magna affectatione inſectandi: Quid ſentis de eo qui in adulterio deprehenditur? tardum fuiſſe.

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui:
Atq; idem iungat uulpes, & mulgeat hircos.

Nero idem in ſeruum furacem fecit, cum dixit ei nihil eſſe neq; cluſum, neq; ſignatum. Et de eo qui retiarium nō feriret, alius, Viuum capere uult. Hæc ciuitalitis referunt honorē quendam ac dignitatem. Quo genere plurimum, atq; etiam chleuaſia, propterea quòd
Socrates εἴρων dictus. frequenter Socrates uteretur, uulgò dictus eſt εἴρων. Habes igitur in ironia ſpecies quatuor, ſi rectè perpendiſti omnia quæ diximus.
Ironiæ ſpecies quatuor. Sunt autem hę, allegoria, hyperbole, amphibologia, & paragrāma, id eſt deprauatio. Et ex quatuor locis deſumi poteſt: quia fieri poteſt

teſt per cõtraria, per ſimilia, per relata, per maiora, & minora. Du-
cuntur præterea non ſolum riſus ex ironia, ſed & prouerbia: illi qui *Prouerbia*
dem moribus ſeruientes orationis, hæc uerò fidei. Eſt enim prouer *ex ironia ducta.*
bium, non parabola ſolum (ut falluntur quidam) ſed ſententia gene *Prouerbiũ*
ralis, cum figura ironiæ paucis cõcepta. Cum enim dico, In uino ue- *quid.*
ritas: non ita ſentio, quaſi ſit in poculo mixta ueritas: ſed quòd ſolẽt
ebrij, quaſi cum uino ebiberint ueritatem, ucra ſecretaq; omnia ef-
futire. Ita paragrammate rem aliam in uerbis poſui, quàm in mente
habebam. Et, quòd plus dimidium toto ſit, certè ſenſui cõmuni re-
luctatur, & ſupra ueritatem eſt: ſed intelligendum, quo ſenſu adeò
eleganter dixit Heſiodus, ut in multos alios poſtea detorqueretur.
Deniq; (ut per omnes figuras ducatur) cum dicimus per metapho-
ram, Similes habent labra lactucas: certè non hoc affirmo quod in
uerbis eſt, ſed aliud ſimile lactucis. Ideo dictum adagium, quaſi aba- *Adagium*
gium: ab ambage, teſte Varrone: quia ambit orationem, neq; in una *unde dictũ*
aliqua re conſiſtit. Canis caninam non eſt, prouerbium eſt, quia in
re alia dictum eſt. Pares cum paribus, quoq; prouerbium eſt, quia
nec uniuerſaliter uerum eſt: At ſimilitudo morum conciliat amici-
tiam: ſententia. Sed quia prouerbia tempore & uſu ſubſiſtunt: hinc
eſt, ut breues ſententiæ, etiam abſq; ironia, in prouerbiorum ordi-
nem aſciſcantur, ut, Nequid nimis, uita breuis, turpe eſt in bello di-
cere, Non putabam: & ſimilia, quæ re uera prouerbia non ſunt, ſed
ſententiæ prouerbiales. prouerbia tamen appellantur, propterea
quòd tãquam ſignata moneta in cõmunem uſum uenere. Quapro-
pter ſi eſſet aliter definiendũ prouerbiũ, Sentẽtia breuis dici poſſet,
cõmuni uſu recepta. Sed uis in illis eſt, in his cõſuetudo nominãdi.

De Proſopopœia. Cap. 12.

VICINA eſt ironiæ proſopopœia: quarum naturę cum eſ-
ſent euidentiores, nemo fuit unquam ferè qui nõ ſtatim,
ſi quid eſſet per hãs efformatum, definierit, uel proſopo-
pœiam uel ironiam eſſe. Sed ſi quando ſimul coiuiſſent,
contenti altera, nihil amplius illi quæſierunt. Mihi uerò conſilium
eſt, ita omnium uires & naturam perſequi, ut tam coniuncta quàm
ſeparata omnia uideri & cognoſci poſsint: ſecus fruſtra tantum la-
borem ſuſcepiſſem in reſoluenda oratione. Ergo proſopopœiam *Proſopopœia.*
in primis Latinè interpretabimur fictionem perſonæ: nam & Lati- *Perſonæ fictio.*
ni, facere pro fingere atq; introducere, ſæpe uſurpant. Hæc eſt, cùm
rei alicui formam, aut ſenſum, aut motum tribuimus, quibus natura
caret, aut alioqui uidetur debere carere. Nam ſi terra conqueratur,
montes ſaliant, flumina & paludes producant capita: non ſolum fi-
cta ponuntur pro ueris, ſed etiam quæ propria ſunt perſonarum,
rebus ſenſu uacuis tribuuntur. Sic in omni exclamatione motus eſt
inſolitus:

tamen idolopœia, ut eadem famæ deſcriptio apud Virgilium, & illa furoris:

—Furor impius intus
Sæua ſedens ſuper arma, & centum uinctus ahenis
Poſt tergum nodis, fremit horridus ore cruento.

Itaq; in eodem deſcriptio eſt, & idolopœia. poterãt nanq; aliter & furor & fama enarrari, abſq; fictione. Sed duobus modis idoli figuram complector. Vno, quẽ uocant hypotypoſin, id eſt demonſtrationem, ſeu mauis ſubiectionem: ſubijcit enim oculis quæ narrãtur, *Hypotypoſis.* altero, quem σχεδιασμὸν, id eſt effictionem: quia imperfecta & quaſi *σχεδιασμός.* extẽporalis eſt & incerta opinio. Et hypotypoſis quidẽ rem ponit ob oculos quatuor modis: per μεταμόρφωσιν, per διατύπωσιν, per *Hypotypoſis quadruplex.* ἐνέργειαν, perq; εἰκόνα: Latinè deformationem, lineamentum, effectionem, & imaginem. Deformatio, membra hominis aut rei alterius, ijs tribuit quæ prorſus abhorrent ab eorum natura. ut Famæ *Metamorphoſis.* illius Virgilianæ deſcriptio, & Inuidiæ apud Ouidium, apud Menandrũ Elenchi. Diatypoſis autem deſcriptio eſt, & quaſi lineamen *Diatypoſis.* tum perſonæ, alterius'ue rei per eas qualitates corporis quæ admirationem habent, & oculis cerni poſſunt. ut,

Squalentem barbam, & concretos ſanguine crines.

Hunc dico rubrum, breuem, incuruum, canum, cui magna in mento cicatrix. Hac eadem forma reuocantur mortui ab inferis: ut Hector apud Virgilium, & Polydorus apud Euripidem. Et differt à Deformatione, quòd illa perſonam ſimul & mores fingit: hæc ſolã perſonam, quia mores ſuos ei relinquit, & ex adnexis multa exponit, quæ oculis cognoſci poſſunt. Ideo grammatici in Polydoro dicunt eſſe idolopœiam, in Fama illa Virgilij proſopopœiã. Sed partita & in formas diuiſa ratio à nobis eſt. Fit itaq; & alia ratione idolopœia atq; hypotypoſis, per energiam: hoc eſt, per effectionẽ, ſeu *Energia.* actionem aliquam eximiam. id'q; tam futuri temporis, quàm præteriti & præſentis. Siquidẽ futura deſcribimus & demonſtramus per ea quæ fieri ſolent. ut, illud Senecæ,

Quis ſtatus mentis miſeris, ubi omnis
Terra decreſcet, pelagusq; creſcet?
Celſa cum longè latitabit Ida?
Tum puer matri, genitrixq; nato,
Troia qua iacet regione monſtrans,
Dicet, & longè digito notabit:
Ilium eſt illic, ubi fumus altè
Serpit in cœlum, nebulæq; turpes.

Præſentis temporis eſſe poteſt illa: Stat ſoleatus Prætor populi Ro. «
cum purpureo pallio, tunicaq; talari, muliercula innixus in litore. «

item illud: Ipſe inflammatus ſcelere et furore, in forum uenit. Hac figura Pomponius Mela ſæpe excitat orationem, quæ alioqui futura erat & languens & arida, propter argumenti impedimẽta. ut de Aſia loquens, ſtatim ſecundo capite: Ipſa ingenti ac perpetua fronte uerſa ad Oriẽtem, tantum ibi ſe in latitudinem effundit, quantũ Europa & Africa, & quod inter ambas pelagus immiſſum eſt. Inde cum aliquatenus ſolida proceſsit, ex illo oceano quem Indicum diximus, Arabicum mare, & Perſicũ, ex Scythico Caſpium recipit: & ideo qua recipit, anguſtior rurſum expanditur, & fit tam lata quàm fuerat. Deinde cum iam in ſuum finẽ aliarumq́ꝫ terrarũ confinia deuenit, media noſtris ęquoribus excipitur, reliqua altero cornu pergit ad Nilũ, altero ad Tanaim. Mixta ex diatypoſi et energia eſt illa:

—Iamq́ꝫ uolans apicem & latera ardua cernit
Atlantis duri, cælum qui uertice fulcit
Cinctus aſsiduè niuibus.

Quartus modus Demonſtrationis ex utroq́ꝫ efficitur, adhibita collatione. ideo Quintilianus ſimilitudinem uocat. eſt enim εἰκὼν, id eſt imago, deſcriptio probabilis perſonarum. & factorum, quę ponit ob oculos, cum approbatione aliqua, & collatione unius ad alteram. Illius exemplum ſit,

εἰκὼν. Imago.

—Os humeroſq́ꝫ Deo ſimilis: alterius, Inde lupi ſeu raptores atra in nebula. Debet autem hæc collatio breuis eſſe, per aduerbia hæc, tanquam, ut, aut ſimilia uerba quę uim habeant eandẽ: ut, Latus lectica per oppidum ut mortuus. Et hoc differt à ſimilitudine imago. Fit enim hæc et ſimilitudine, quando res breuiter conferuntur, & tanq́ꝫ apponuntur ſibi cum dictionibus illis, tanquã, ſimilis, par, atq́ꝫ huiuſmodi aliȷs. ideo putarũt nonnulli formæ ad formam eſſe tantum collationem, ſed falſò: quia non minus actiones conferre licet per illa aduerbia ſimilitudinis. Eadem fit etiam per diſsimile:

Qualis erat, quantum mutatus ab illo
Hectore. —

Conuertuntur autem in imaginem lubricæ omnes audacesq́ꝫ metaphoræ, ut excuſentur uel à temeritate, uel ab audacia. Quæ quidem eo fuerit tutior in ſoluta oratione, quo breuior. Aliæ nanq́ꝫ in quibus integra collatione ſimilitudo diſsimilitudoq́ꝫ exponitur, non oratorem, ſed poetam decent, qui ſplendori & uoluptati ſimul, non tam ueritati ſtudet: & parabolam dicunt. Nam illa Ciceronis pro Murena, quàm eſt poetico ſpiritu prolata? Vt tempeſtates ſæpe certo aliquo cœli ſigno commouẽtur, ſæpe improuiſo, nulla ex certa ratione, obſcura aliqua ex cauſa excitantur: ſic in hac comitiorum tempeſtate populari ſæpe intelligas, quo ſigno commota ſit: ſæpe etiam obſcura, ut caſu excitata eſſe uideatur. Hanc Cicero: ſed quanto elegantior Virgilius?

Parabola.

Ac ueluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt

Seditio.

Seditio.— Et illa,
Ac ueluti annoſam ualido cum robore quercum.
Quanquam nec potuit omnino poeta Homericæ ſimilitudinis gra
tiam ubiq; reddidiſſe:
Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros.— Deprehendas ex his, cur nunc populus ab
eccleſiaſte nihil ferè potius requirat, quàm ſimilitudines. Quoniam
horum pleriq; ritu poetarum ad ſolam uoluptatem inſtituunt ſer-
monem: nonnulli ad doctrinam, contentionem faſtidiente multitu
dine. Eſt autem in præceptis magna uis parabolæ, tum propter uo *Parabolæ uis.*
luptatem, qua tędium excutitur difficultatis: tum uerò maximè pro
pter diluciditatem, quam procliuius eſt accipere ex ſimilibus & cõ-
paratis, quàm ex definitionibus. Platonis igitur dictionem, quãuis
in hac parte poetam agat, quoniam nõ modò docere, ſed etiam de-
lectare uoluit, nemo damnauit hactenus. Differunt etiam εἰκὼν & *εἰκὼν & parabola quid differant.*
παραβολὴ, id eſt imago & ſimilitudo, ſeu collatio: quòd parabola in re
ſimili quippiam agi aut eſſe declarat, & propoſitioni non detrahit
adiunctum. ut, Quemadmodum in tempeſtate nauim non ami-
ciſsimo trades gubernandam, ſed nauigandi peritiſsimo: ſic ne-
que rempublicam ei qui ſit chariſsimus, ſed quem ſapientia præſta-
re credideris. Imago rem rei ſimilem imperfectè dicit, ob habitum
aut affectionem, aut modum actionis aliquem, aut aliud accidens.
ut quod in Platone dicitur, Qui mortuos ſpoliant, ſimiles eſſe cani-
bus quę lapides mordent, eos à quibus ij proiecti ſunt, non tangũt.
Et quod Pericles dicebat, Samios ſimiles eſſe pueris, qui panẽ qui-
dem accipiunt, ſed plorantes. Imago igitur in ipſa potius redditio-
ne ſita eſt: & per nomina ſimile, diſsimile, talis, tantus: uel aduerbia,
ſic, & alia redditiua, efficitur. Vt,
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.
Atq; hæc quidem omnia intra ambitum ſint hypotypoſis. Cui præ
terea ſeruire ſolet, quam nonnulli uocant Atteſtationem, quia nihil *Atteſtatio.*
planè eſt quod oculis ſubijci & quaſi demonſtrari nõ queat, modò
aſpectum excitare ratione aliqua uideatur oratio. ut, Credite uos ui
dere in media luce diei, ſpectante curia, miſerabile uiſu, ponite ante
oculos Rullum haſta poſita in Pompeij caſtris cum ſuis finitoribus
auctionantem: cerno ſepultam patriam: & ſimilia, quæ tu ipſe finxe
ris, aſpectum (ut dixi) aliqua ratione excitando per uerba illa, Aſpi-
cite, ipſe uideo, & alia. Ergo ſupereſt altera idolopœiæ ſpecies effi *Effictio triplex.*
ctio. Hæc pariter in rem ipſam & ſermonẽ cadit: eademq; nunc ſim
pliciter, nunc abſolutè, nũc infinitè. Simplex fictio eſt, ſi patria nunc
loquatur: Quod ſi nunc Lucius ille Brutus reuiuiſcat, & hic ante pe «
des ueſtros adſit, non hac utatur oratione? Ego reges eieci, uos ty- «

» rannos introducitis: ego libertatem peperi, &c. Abſoluta eſt: Quę tecum Catilina ſic loquitur. Indefinita: Dicet fortaſſe aliquis ex ijs qui apud inferos torquentur. Et cum metaphora. ut,

—Nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos. Cum apoſtrophe. ut, *O' patria, ô Diuûm domus Ilium.* Rei igitur effictio non formã aliquam imponit, aut deſcribit, ut deformatio: ſed quod propriũ atq; adnexum perſonæ eſt, de rebus alijs pronũciat uel abſolutè (ut dixi) uel aliter. Exemplis iterum oſtendo. Abſoluta effictio ſit hęc: In regno uoluptatis uirtus non poteſt conſiſtere. & illa,

Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos.

Et illa: *—Furor impius intus*

Sæua ſedens ſuper arma.— Simplex autem illa, Si furor pater eſt. Atq; ex hac quidem effictione omnes illæ translationes manant, & tropi qui pro perſonis accidentia, inſtrumentaq; uerbis ſupponunt. Cum etenim perſonæ ſit agere & pati: ſæpe tamen quæ huic adiacent, in recto caſu poſita, uerbo dominantur: ut, Color iſte ſeruilis » bonos omnes territat. Silent leges inter arma.

Ex illo fluere, ac retrò ſublapſa referri

Spes Danaûm.— In qua re maximam ego uim ubertatemq; dicendi ſemper conſtitui: nec immeritò. Facit enim ea ratio uel ſola plerunq;, ut ſine affectatione, aut diligentiæ ſtudio, ſupra uulgi ſermonem, noſter exurgat, & quaſi ſua ſponte natus efferatur. Ideo, quod ſæpe dixi, inſpicienda hic adiacentia, antecedentia, cõſequentia, cauſæ, effecta: & pro poeta, ſubſtituatur laurus: pro uiro forti, ſudores, puluis, cruor: pro ſacerdote, altaria, infulæ, ſacramenta: pro muliere, colus, mundus, peplum, choreæ, & alia pari proportione: quibus tanquam perſonis, uerba cuiuſcunq; generis inſeruient. Quæ ſufficiant hactenus ad primam proſopopœiæ ſpeciem. Sed priuſq; locum hunc dimittã, illud ſcire oportet, quòd hypotypoſis ſemper uel expreſſam uel tacitã habet admonitionẽ, in qua eſt ſita uis ipſius figuræ. ut, Credite uos intueri, ponite ante oculos, nõ uerſatur ante oculos: uidebar uidere, & ſimilia. Sequãtur iã, ſi placet, duæ inter ſe cognatę formæ ἠθοποιΐα, & παθοποιΐα. Quarum hęc quidem notior eſt, illa elegantior. Et ad eloquutionẽ ideo plurimum pertinere eadem cenſetur, interq; ſchemata poni debere maximè: quòd ſit tota in habitu & quaſi geſtu poſita dictionis. facit enim, ut alacris ſit oratio lætantis, tumens uani, breuis & conciſa properantis, ſenum grauis, ſeria matronæ, temeraria pueri, miſera humilis, longa & cõplexa confidẽtis, paraſiti faceta, mollis blandaq; meretriculæ, anxia matris, incondita ruſtici, oratoris ornata: demum ſic perſonæ propria atq; accommodata, ut & naturam & mores, & uitę conſuetudinem oſtendat. Quanquam Alexandrum ſequuti in libro de figuris,

ἠθοποιΐα & παθοποιΐα cognatæ formæ.

&

& Apſinem in rhetorica, Ethopœiã eſſe uolunt, cum perſonis ſubſiſtentibus ſermones effingimus: qui fide digniores habeãtur, quàm ſi nos ipſi enunciaremus. ut, Quid dicent eius ſepulchrum prætereũtes? hic in Marathone uictoriam, &c. Itaq; tres diſtinctas figuras dicunt: idolopœiam, ethopœiam & proſopopœiam. Quarum quidẽ ethopœia certam perſonam habet, & notam: idolopœia quoq; notam, ſed mortuam, & quæ loqui deſierit: omnia & mores & perſonam fingente proſopopœia, ut Elenchus ille apud Menandrũ. Dicunt præterea, ethopœiam aliam eſſe patheticam, aliam ethicam, & aliam ex his mixtam. Atq; hæc ſanè non ſine iudicio magno atq; animaduerſione. Verùm quia nomen proſopopœiæ generalius nobis iam factum eſt, à qua tanquam ab ſpecie genus pathopœiam ſeiunximus: non eſt cur rationem iam inſtitutã deſeramus: et ethopœiam, id eſt morum fictionem cenſebimus, in qua, ſicut in pathopœia, ſenſus quidam atq; affectio animi apparet. Sed hoc intereſt, quòd in pathopœia ſenſus perturbatiores & quodam modo uehementiores fiunt: hic autem ſedatiores, ac ſoliti. Quare ſi interſeras adiudicationes huiuſmodi (quas ἐπικρίσεις diximus) Mihi uidetur, quæ mea eſt ſententia, ſic ſperabam fore, deceptus ſum, adhuc quidem dubito, quid agam neſcio, quod mihi moleſtum eſt, uel gratũ, admirabile & ſimilia: mores exeret ſententia. Eſt autem duplex Epicriſis, ut in prioribus libris tradidi. confirmant enim illæ, Ab omnibus ita fertur, & ita eſt: Lex iubet, & rectè iubet. Incertæ ſunt illæ: Lex, ut mihi uidetur, rectè iubet: item, niſi fallor, & ſimiles. Vbi præceptum hoc prætermittendum non puto, quod alij etiam dedere Græci authores, ut ea omnia cum addubitatione loquaris, quę te ſcire nec neceſſe eſt, nec utile præſenti cauſæ. Itaq; moralis figura in logiſmo eſt, in epicriſi, in aporia, in apoſiopeſi, in parrheſia. qualis illa prædictio pro Milone, quã διαβολὴν appellauit Ruffinus: Erit enim illud profectò tempus, & illuceſcet aliquãdo ille dies, cum tu ſalutaribus, &c. Apparent etiam mores per epitheta omnia, in quibus ſenſus aliquis animi cõtinetur, (ut, Vxorem chariſsimam, ſuauiſsimum filium, dulces natos, exoptatumq; parentem.) uel perſonæ circunſtantia: ut,

Ethopœia. Pathopœia. Epicriſis duplex. Διαβολή.

——Paruumq; patri tendebat Iulum:
——Et parui caſus Iuli:
Ducitur infelix æuo confectus Aletes.

Per iuſiurãdum quoq;, & omnem affirmationem: ueluti per aduerbia, Quidem, profectò, ædepol, ita me Deus adiuuet. Per uocatiuum caſum: Cura ut ualeas, mi Tiro: Quo'nam meo fato fieri dicã, Patres conſcripti. Per conceſsionem. ut, Eſto, ita ſit, uel Fac ita eſſe. Moratum præterea eſt, quicquid de nobis ipſis dicimus, tum

ROMA VITTORIO EMANU

etiam de ijs qui nobis chari habentur. Nam & uerbum omne primæ & ſecundę perſonæ ſimplicitatem notat: ſermo de ijs qui nobis chari ſunt, amorem. Hinc eſt, ut omnis ſententia, quantumuis communis atq; axiomatica, ſi ad primam uel ſecundam perſonam reducatur, nō ſolum fit propria, ſed etiam morata. Atq; hæc quidē, quæ dixi, mores omnia declarant, & moratæ dictioni ſeruiunt. Verùm imitatio morum alterius, ſi nimia eſt, certè reprehenditur, quaſi res inimica, & parum liberalis: ſobria uerò & modeſta, quę abſq; omni ſcurrilitate refert alterius uel ſermonem, uel facta, uel naturā, illa cōmendari ſolet propter enargian. ut ſi recitans quæ dixit Hercules imperante Euryſtheo, ijſdem uerbis atq; oratione utaris quibus ille uſus eſt. Et licet nobis fingere (modò à fide non abhorreant) aduerſariorum cogitationes, & noſtros cum alijs ſermones. Hæc igitur qua aliorum mores ita imitamur, factaq; recenſemus, à Rutilio
χρηστοηθι-σμός. dicta eſt χρηστοηθισμὸς, quaſi probitatis dicas deſcriptionē. ut, Ex lachrymis horum, Iudices, exiſtimare poteſtis, omnes hæc decuriones decreuiſſe lachrymantes. Et duplex inuenitur: deſcriptio perſo-
Pathopœia nę, & ſermocinatio, id eſt recitatio ſermonis. Iam igitur pathopœia quid ſit, & quomodo fiat, ex ijs quæ dixi facilè apparet. Habet enim pathos (ut ſuprà demonſtratum multis in locis eſt) affectum incidentem: quo is qui loquit̃, à proprio more loquendi declinat. Sic Achilles, quamuis ſemper minax & aſper apud Homerum, circumuentū tamen ſe à flumine gemit. Quare omnis exclamatio, quæcunq; illa ſit, ſiue addita, ſiue detracta interiectione, hoc habet quod dixi πάθος. Nā ſi expreſſa non ſit, neceſſe eſt ſubaudiri. Facta truculētiora & immania, terroresq;, ac ſimiles animi, motus perturbatiores, ſi c ui loquendo appareant, idem præſtabunt, ut alibi etiam dictum à nobis eſt. itaq; omnis interiectio dolentis, lętātis, & eiuſdem rationis, figuram facit pathopœiam. Supereſt declárandum quartum genus, quod tamē tertio loco poſueramus. Hoc Gręcè diximus πραγ-
Pragmaticū ſiue dramaticū genus. Alloquutio. Dialogiſmi. ματικὸν: aliter quoq; δραματικὸν dici poteſt. Latinè iam uerti alloquutionem: alij exuſcitationē uocant. continet enim ſciſcitationes, interrogationesq; & reſponſiones perſonarum, & denunciationes: quas illi ἐπαγγελίας, & uno uerbo ſimul ſumpta colloquia dici potuere. Quòd ſi uel aliorū colloquia referimus, uel nobis ipſi reſpōdemus, διαλογισμοὶ, id eſt ſermocinationes. ut multa Platonis inuenies, in quibus aliorum tam interrogationes quàm reſpōſiones autor forma eadem recitat: & ſæpe inquam, & inquit, reſumitur. Vbi uerò ſibi ipſi reſpondet, hęc eſt: Agè uerò, quę erat, aut qualis quæſtio? Heus ubi Ruſcio? Vbi Caſca? Clodius inſidias fecit? fecit: certa crux. Nullas fecit: ſperata libertas. & illud, Quis eos poſtulauit? Appius. Quis produxit? Appius. Item Cleomenem nominare non licet,

licet, at cauſa cogit: moriere, ſi appellaueris, at remiges non erant: Prætorem tu accuſas, frange ceruicem. Ad pragmaticen referes exhortationes, & dehortationes, & iuſſa, & obiurgationes, deprecationes, interpellationes, cõceſsiones, familiaritates, cõſolationes, gratulationes, & quæcunq; ſuprà ſuo loco enumeraui. Figuræ huic ſeruiẽt, & propriã ſpeciem referẽt, uel unico uerbo expreſſam. nam ſolo aduerbio hoc Agè, fiet oratio exhortatoria, quę nihil minus ſit. Iubeo Chremetem ſaluere, aliã figurã habet, quàm ſenſum. Itaq; ſemper opus aduerbio aliquo, aut uoce effictitia, quæ figurã faciat. quę ſi expreſſa non eſt, poteſt tamen intelligi ex prolatione. Sed de figuris ſententiarum hæc dicta ſufficiãt. Vbi ſi ſæpius uideor, cum capitibus & locis rerum eadem referre exempla: eò ſpectaui tamẽ, ut ſcires ex rerum exemplis figuras exiſtere: etſi rerum ueros habitus alijs adhibeas, & geſtu rei alterius alteram producas, tum demum figuram eſſe intellige, quo pacto figuræ nomen uſurpant uulgo.

De onomaſia, & uerbis ſingulis. Cap. 13.

QVONIAM igitur habemus ſententiæ figurarum modos, omniaq; genera in uniuerſum paruo numero comprehẽſa: quanquam fortaſſe locus uideretur, ut de alio genere (interpretationis inquam) continuò diſſerendum eſſet (poſitum namq; unum genus nobis figurarũ eſt, & nomen unum:) tamen quia ijs quæ diximus de figura ſententiæ magis coniunctæ ſunt translationes, & natura ſimiliores (ut quæ animum huc illuc mouentes, rerum ſola cõſideratione delectent) multo commodius fuerit, quę natura proxima ſunt ilicò tractare, quàm ſi in aliud tempus reiecta, noua prorſus atq; aliena ab intelligentia quam haberemus poſtea offenderẽtur. Interpretatio enim uerborum tantum curam gerit, totáq; in ſignis, rerumq; indicijs occupatur: Tropi rerum ſunt ſimilitudines: uel ex reſpectu aliquo intelligentiæ rerum ingenioſæ inflexiones. Itaq; cum fiat omnis eloquutio per uerba ſimplicia & coniuncta: ſciendum eſt, ſimplicium quædam eſſe natiua, quędam reperta. Voco autem reperta, quę ab aliquo nouè fabricãtur. Quapropter uniuerſa hæc præſentis loci induſtria circa duo uerſabitur: facienda nomina (quam ὀνοματοποιΐαν uocant) & tranſponẽda (quam τροπὴν & τρόπον) Vtrumq; uerò ὀνομασίαν iam dixere. ὀνοματοποιΐα. τροπὴ. τρόπος. ὀνομασία.

—*Nam licuit, ſemperq́; licebit,* inquit Horatius,
Signatum præſente nota producere nomen.

Itaq; naturam rei contemplantes, à uoce nunc Bombardam non aliter produximus, quàm olim ſibilum, cuculum, upupam, bubonẽ, ranam, columbam, hirũdinem, coruum, tarantara, & tuſsire, coaxare, pipilare. Et multa ferarum, auium, inſtrumentorum, fluminum, fluctuum atq; uẽtorum inuenit Homerus, eo quidem tempore nõ

abſurda: quæ tamen ſi nunc fingerentur, res planè uideretur puerilis: qualia collegerunt aliqui, καναχὰς, βόμβους, κλύπους, δοῦπον, ἄῤῥαβον, μορμύροντα, κλάζοντας, βοῶντας, χαλεπαίνοντας: quę tamen facta uſu ſunt iam naturalia. Per analogiam formauit Cicero Beatitatē à beatus, & qualitatem à qualis: ut bonitatem ueteres à bonus, & crudelitatem à crudelis. Et Pacuuius declinauit, clamyde clypeat brachium: ut à calceus calceat, ab armis armat. Nec alia ratione à Græcis tranſtulerunt ad nos dialecticam, rhetoricam, & ſimilia ſexcēta peregrina uocabula, quàm nouando: non quidem imitatione naturæ, aut declinatione, ſed mutuò. Vbi enim penuria laboramus, nullum uitium eſt noua mendicare, ut fiat ſermo locupletior noua ſupellectile. Quod quàm neceſſe ſit, omnes omnium artium profeſſores teſtes eſſe poſſunt. Ariſtoteles αὐτοπτλὼ fecit, Xenophon ἀλλήλουσι. Nec minus nouè nuper ad me ſcribens meus inflexit Moriſotus, de libello quodam ſuo: Exiturit, inquit, nec queo retinere. imitatus

παραγόμενα.

illa (ut puto) Sullaturit, proſcripturit: quæ Græci uocāt παραγόμενα. Et ad eundem quidem locum referes diminutiua uocabula, uilium pro uino, ocellum pro oculo: frequētatiua, & quæ copiam uel abūdantiam, officium, materiam, atque id genus deriuatiua: quæ non in

Componendi licentia apud Græcos.

uſu communi habeantur, ſed formata recens uideantur. Componēdorū denique magna eſt licentia, præſertim Græcis: qui non ex duobus modò (quale Veliuolum) ſed ex tribus, & quatuor dictionibus aliquando unam componunt: ut apud Ariſtophanem, medicos ridiculè nominat Socrates σφραγιδονυχαργοκομήτας. Pacuuius rudētiſibilus, & incuruiceruicum pecus dixit. Sed pauci imitati ſunt.

Onomatopœiæ quatuor modi.

Atque his quidem quatuor rationibus fit onomatopœia, Græcis inter maximas habita uirtutes: imitatione, ſimilitudine, inflexione, atque adiunctione. Generaliter autem omnia uerba conſiſtunt uel uſu, uel arte. Gręci uocant συνήθειαν καὶ ἀναλογίαν. Sunt enim quędam impoſititia & primigenia, alia declinata & propagata ab alijs: ut à Roma Romanus. Sed nouè dictum appellāt grammatici eam propagationem nominum uel uerborum, quæ partim uoluntaria declinatione fiunt, partim naturali: ut illa, Exiturit, bonitas, epiſcopatus, rudentiſibilus. Sed in adiunctione certè Graijs cedunt Latini, magis etiam Hebræi: ut & Germanis Itali, Hiſpani & Galli. Porrò autem quæ natiua ſunt, (hoc eſt propria) ea duobus modis in orationem ueniunt. Aut enim proprio naturalique ſenſu ſeruato, aut mutato atque inflexo. Propria quidem primò ſunt ſua cuique rei impoſita nomina, uulgóque aliquādo trita: ut cum equum uocamus equū, ſolem ſolem. Sunt deinde epitheta, quæ à uulgi cōſuetudine iam neſcio quid ſeſe extollunt, & ex eo quod rei ineſt oriuntur: ut generoſus equus, turgidum mare. Atque horum quidem alia non ita pridem

(ut

(ut dixi) inuenta ſunt alia iam pridem exoleta, ab uſuꜩ ſegregata. Vtraꜩ tamen ſi in tempore adhibeantur, tanquam ſigna quædam rara in theatro, & peregrini habitus mimorum, dictionem ornant, & lectorē uoluptate afficiunt. Etenim ut in magna domo uaſa quędam uetuſtiſsima, etiamſi nullius uſus ſint, dignitatem habēt, & gentis familiæꜩ antiquitatem teſtantur: recētia, opes & rerum affluentiam: ſic priſca uocabula, & ab uſu quotidiano intermiſſa, grandiorem atꜩ antiquiorem uideri orationē faciunt ſæpenumero: & noua facultatem oratoris docent, atꜩ uſum dicendi. Sed quemadmodum ubiꜩ fugienda affectatio, ſic & in hac parte obſcuritas timenda: & illud quod antiquarijs iſtis obijci ſolet, Cum Euādri matre loquitur. Illud autem minimè prætermittendū eſt, quòd cum quędam uocabula ſint grandia & ſonora, alia exilia: quibuſdam placet, ſemper eſſe eligenda grauia, plena, & (ut dixi) ſonora. Sed fallūtur. Verùm hæc præceptio nunc quidem omittenda, quia nec uniuerſalis eſſe poteſt: niſi illud reprehendas, quod poeta conſequi uerborum celeritate uoluit, —*Procumbit humi bos*: &, —*Ruit oceano nox*. Pro argumento & tempore, nunc ſonora, nunc grauia, nunc plena: & rurſum exilia, aſpera, mollia atꜩ humilia decebunt. Iam ergo omiſſa in aliud tempus ea diſputatione, de tropis dicamus.

De immutatione nominum, ſeu tropis, hypallage, metonymia, antonomaſia, & ſynecdoche. Cap. 14.

SVNT quidem uerba in oratione (uti diximus) naturalia quædam, quędam nouata. Sed naturalium alia ſunt propria (κύρια uocant Græci, id eſt uernacula, & dominantia) alia modificata, & quodā modo ab oratore aut poeta inflexa. Hoc eſt quod nos appellamus tropum: nonnulli tropen, genere fœminino. Et minus quidem propriè uidentur loquuti Caius Auſtaricus & Proclus, figuram uerborum definientes. per metaphoram enim, uel hypallagen nullius uerbi formæ mutatio fieri dicitur, ſed tātum uerbi uſurpatio eſt unius pro altero. Potius mea ſententia dicetur figura uerborum ipſa onomatopœia & dictionū metaplaſmus. Quod quàm uerum ſit, ex hoc & ſequenti capite demōſtrabitur. Sit nunc tropus (ſi definitionem cupis) uox à proprio in alienum ſenſum deflexa. Atꜩ huius quidem mihi duplex ratio eſt prorſus: translatio & immutatio. Aut enim uerbum ex proprio & naturali loco in alienum tranſponitur, propter rerum aliquam ſimilitudinem & analogiam (ut cum per ignem intelligimus amorem) aut ſine ſimilitudine, cum propter affinitatem aliquam rerum inter ſe, & conſequutionem, alterum ab altero intelligitur. Veluti cum ſignatur totum à parte, cauſa ab effectis, poſſeſſor à re poſſeſſa, continens à re contenta, res inuēta ab inuētore, à ſigno res ſignata, Tropus.

ſpecies

ſpecies à genere, antecedentia deniq; à ſubſequentibus: & contrà. In
Metaphora. priori illa ratione ſita eſt Metaphora, id eſt translatio: in altera hac poſteriori (quãquam unum & idem munus ſit omnibus: nẽpe ut aliud pro alio propter relationẽ & reſpectũ aliquem mutuum acci-
μεταποίησις. ὑπαλλαγή. piatur: & nomen unum dari poſsit μετεποίησις, id eſt commutatio: aut ὑπαλλαγὴ, id eſt immutatio, ut pleriq; uocant) tamen deflexionis ipſius nomina ex fine in quem deformant orationẽ, diſtinguuntur: & per ſpecies magis, quàm ex genere uocabis hypallagẽ (id eſt
Metonymia. Synecdoche. ſubmutationem) ſi amplificationis cauſa fiat: metonymiam, id eſt transnominationem, ſi propter copiam: ſynecdochen, id eſt intellectionem, ſi propter euidentiam. Si ergo augendæ uel minuendæ rei cauſa numerũ ponas pro numero, tempus pro tempore, genus pro ſpecie, rem poſſeſſam pro poſſeſſore, accidens pro ſubiecto, ſignum pro re ſignata, continens pro re cõtenta, cauſam pro effectis: uel è diuerſo, effecta pro cauſis, ſpeciem pro genere, poſſeſſorẽ pro re poſſeſſa, atq; alia ſimili modo (ut perij, pro pereo: quem accipiẽt de ſuis poſteris nũcium illi ueteres Africani, Maximi, Pauli, Scipiones? Romanus prælio uictor: pueros præficere reipub. hoc eſt, Octauium: tota Italia concuſſa eſt: furor Clodij: cedant arma togæ) dicantur hęc omnia nunc hypallage. Metonymia circa eadẽ erit. Quo fit, ut pro ſe mutuò contingat hæc nomina accipi: eo tamen diſcrimine, quòd Metonymia, id eſt denominatio, uariandæ tantum cauſa atq; locupletandæ dictionis adhibetur, ſicut illa augendæ: & frequentior hæc in poetis, quàm oratoribus aut philoſophis. Vt ſi uuam pro uino ponas, ſicut Iuuenalis fecit,

Bibit calcatas bellis ſocialibus uuas:

aut ſpeciem pro genere, ut Gnatonẽ pro paraſito, Neronem pro crudeli,

Tunc alnos primùm fluuij ſenſere cauatas:

Currere uenas, pro moueri arterias. Materiam pro forma:

—*Vaginaq; eripe ferrum.* Continens pro contento, Bene moratas urbes. poſſeſſor pro re poſſeſſa:

Iam proximus ardet Vcalegon.—Inuentor pro re inuenta:

—*Cererem corruptam undis, cerealiaq; arma Expediunt.*—

Effecta pro cauſis (apud Homerum, Malum incendium ferẽs: pallida mors, triſtisq; ſenectus, præceps ira) epitheta ſunt ab effectis dicta. Idem efficiunt antecedentia, conſequentia, & coniuncta:

Si non pertæſum thalami tædæq; fuiſſet.

Antonomaſia. Epitheta uerò pro ſubiectis poſita ſeorſum & in paraphraſi, antonomaſiam dices, id eſt pronominationem. periphraſis eſt,

Tunc alnos primùm fluuij ſenſere cauatas:

—*Deûm pater atq; hominum rex:* Pelides Neoptolemus, pro Pyrrho.

Solum

Solum autem epitheton κατ' ἐξοχὴν pro re certa ponitur: quam ex natura ſua, non propriè ſignificat, ſed communiter. Vt poeta ſi pro Virgilio accipiatur, Pelides pro Achille, Æneadę pro Troianis, bidentes pro ouibus. —*Thalamo quæ fixa reliquit Impius,* id eſt Æneas. omnia hæc dicunt ut κατ' ἐξοχὴν. At cōtrà proprium pro cōmuni: ut pro ſapiente Cato, pro paraſito Gnato: metonymia dicta eſt. Synecdochen ergo licet alij præficiant utricꝫ, & hypallagę & metonymiæ: tamen cum totum pro parte, aut pars pro toto, ſpecies pro genere, ſignum pro re ſignata, & alia ad enargiam orationis reſpiciut, eſto ſi placet ſynecdoche. Ideo latini intellectionem reddidere: quia plus aut minus dicit quàm intelligit: & aptus ad emphaſin tropus eſt. Vt cum ea quæ dicimus, magis nota ſunt, quàm quę intelligi uolumus: Vt quanquam notū eſt ueſci: tamen quia in mordendo eſt quidam geſtus, quem oculis magis cernimus: dixit ille, *Intellectio.*

—*Sordes farris mordere canini.* Pars pro toto:—*Flammas cum regia puppis Extulit.*—*Hæret lateri fatalis arundo.* Effecta pro cauſis:—*Pedibusꝗ rotarum Subijciunt lapſus.*—Materia:—*Pinea furtim Laxat clauſtra Sinon.*—Inuentor pro re inuenta:

Implentur ueteris Bacchi, pinguisꝗ ferinæ.

Sic totum pro parte, continens pro contento. Atcꝫ hæc quidem uerior mihi inuentorum nominum ratio eſt: ſimplicior tamen illa, & magis uſu percepta, quæ in hypallage omnes numerorum mutationes, & temporum, perſonarum, modorum, generumcꝫ collocat: & in metonymia inuentorem pro re inuenta, poſſeſſorem pro re poſſeſſa, accidens pro ſubiecto, ſignum pro re ſignata, cauſam pro effectis, materiam & genus pro ſpecie: demum quæcuncꝫ inter ſe relationem habēt. In Antonomaſia autem periphraſin pro proprio nomine, & epithetum propter excellentiam. In ſynecdoche, quando aliud eiuſdem generis intelligitur, aut proximum quid, ex eo quod propriè ſignificat dictio: ut totum à parte, continens à contento, conſequentia à præcedentibus. Vt,

Virgineam ſoluit zonam.— Et ab adiunctis dixit ille, ab Apolline datum arcum, hoc eſt ſcientiam iaculandi: & contrà. Quo loco etiā illud licet admirari, rationē & uim quaternarij numeri in rebus omnibus ſic eſſe ac dominari, ut neceſſe ſit Pythagorā laudare, qui primus diuinitatem eius animaduerterit. necꝫ enim plures immutationes inuenias, & extra ſimilitudinem tropos, quàm quatuor: nec in metaphora pauciores, ut mox edocebimus. *Quaternarij ratio & uis.*

De

De metaphora, catachreſi, metalepſi, & antiphraſi. Cap. 15.

OMNIS autem metaphora ex proprio loco in alienū trāſponit dictionem propter ſimilitudinem, & nouum ſenſum excogitat: ut, —*Ferrum armare ueneno:* *Cultuſq́; feras mollire colendo.* Quod interdum quidem nos cogit uerbi penuria: ſæpius autem optamus ad orationis claritatem & ſplendorem, non rarò etiam breuitatis cauſa. Quare cum dicendi plurima ſint ornamenta, multaq́; inueniri poſsit & lautiſsima ſupellex: nihil tamen oratorem perinde cōmendat, quàm ut aptè poſſit ex rebus ſimilibus, & diuerſorum generum, ad res alias, aliqua tamen ratione comparabiles, ſenſus cogitationemq́; trāsferre. Quāquam ſanè à natura adeò nobis inſita eſt mētis iſta agitatio, tantaq́; cum uoluptate non ſolum audiuntur tranſlationes, ſed etiam inueniuntur: ut nihilo frequentius ſeſe ingerant atq; exhibeant omni loco in urbanorum eruditorumq́; ſermonem, quàm in ruſticorū atq; imperitorum. Quin etiam ab eruditis ipſis (adeò familiaris eſt naturæ) plerunq; imprudentibus, nullaq́; obſeruatione, adhibita flectuntur, occultâ quadam ui, quæ tranſlatis potius & alienis nos demulcet, quàm proprijs atq; ſuis. Verba etenim cum è medio ſumat tranſlatio, quócunque mentis cogitatio inciderit, unde elicere ſimilitudinem uel minimam queas (uerbis ſuapte ſponte ſuppetētibus, ut neq; ſuſpicio artis metuatur) mirum eſt quàm ſibi placet tum ex inuentione orator, tum ex celeri motu intelligentiæ auditor. Præſtat hæc eadem (quod difficilimum habetur) ut nulli rei nomen deſit: quęq; natura turpiſsima uidentur, ut eadem honeſtiſsima ſentētia ueſtiat. Nam ruſtici unde quæſo gemmam inuenêre in uitibus? & medici cur quod aliter obſcœnum erat, naturam appellarūt? Omitto ornatum illum, Segetem gloriæ ſuæ, flumen eloquentiæ, lumen orationis, & ſimiles, quorum eſt cum luce quadam ingens uis.

Metaphorę usus.

Metaphorę natura.

Ergo, ut metaphoræ naturam cognoſcas, uno uerbo definiam. Cōtinetur hæc ſimilitudine. Aliud tamen eſſe diximus ſimilitudinem, quam Græci uocant εἰκόνα, id eſt imaginem. Nam rei comparatur ſimilitudo illa, quam uolumus exponere cum figura ſententię: hæc pro re ipſa ponitur per tropum: nec aliud omnino eſt tranſlatio, quàm breuis ſimilitudo. Vt cum Homerus dixit de Achille, Vt leo quidam irruebat: ſimilitudinem fecit, uel (ut dixi) imaginem. Sed tranſlatio erit, ſi de eodem Achille ſic loquaris: Leo irruebat. Ergo continetur ſimilitudine metaphora. Et poſſet, ſi ulterius progrediare, non ſolum rerum, ſed & uerborum ſimilium fieri tranſlatio. Nā qui pro amante amentem, pro oratore aratorē dicit, transfert quidem uoces, occaſionē nactus ex ſimilitudine. Sed hæc ad parecheſin poſtea: nā & à notatione alia quam uerbi ueritas habeat, licebit ludere.

εἰκών.

Quid ab imagine differat Metaphora.

dere. Sed noſtri nunc operis eſt eas trãslationes exponerẽ, quæ ab omnibus ſub ea ratione intelligunt̃ & notãtur. Sunt autẽ quatuor. Siquidẽ uerbũ uel ex proprio loco in alienũ trãsfertur ex analogia (ſimilitudinẽ uocãt rationis) aut ex rei ipſius ſimilitudine, aut ex dictionis homonymia, aut (quod ultimũ reſtat) ex repugnãtia. Primã propriè & κατ' ἐξοχὴν appellamus μεταφορὰν: alteram κατάχρησιν, hoc eſt abuſionẽ: tertiam μετάληψιν, id eſt trãſſumptionem: ultimã ἀντίφρασιν, contrariũ ſermonẽ dicemus Latinè. Metaphora igit̃ per analogiã, in re diſsimili ſimilẽ rationẽ ad aliud quid inueniat quod rei ꝓpoſitę ſimile quid habeat, uel contrariũ aliqua ratione. Exẽplo Ariſtotelis fiet planũ. Mars et Bacchus uterq; Deus habet̃. Martis inſignia ſunt, gladius, ſcutũ, & arma: Bacchi uerò, amphora, lacus, uitis, & ſimilia. Quã ergo rationem habẽt ſcutũ & arma, ad Martẽ: eandẽ habẽt amphora & alia, ad Bacchum. Quapropter cõmutata ratione (ut norũt Geometrę & Arithmetici) ſic inter ſe habebũt ſcutũ & amphora, ut Mars & Bacchus. colligemus ergo hinc trãslationem, & metaphoricè dicemus amphorã, ſcutum Bacchi: & rurſum ſcutũ, amphorã Martis. Vergilius eadẽ ratione cũ Ennio tranſtulit, *Duo fulmina belli Scipiadas.* Nam ſicut in tẽpeſtate fulmina coruſcãt, fragore edunt, terrore afficiũt animalia, arbores turres, atq; alia demoliunt̃: ſic in bello terribiles fuere duo illi Scipiones Romani. Et quẽadmodũ ſe habent in tẽpeſtate fulmina, ſic in bello Scipiadę. Et rurſum: Sicut ſimile eſt tẽpeſtati bellũ, ſic fulminibus Scipiones. Erũt ergo duo fulmina belli Scipiadę. Eodẽ modo ueſperã uitæ dices ſeniũ: & cõtrà, ſeniũ diei, ueſperã. nam diem ſequitur ueſpera, ut uitã ſeniũ. Eſt autẽ multo omnium tutiſsima translatio, quæ apparet in epithetis, aut uerbis: ut, accenſus ira, inflãmatus cupiditate. Per uerba facit proſopopœiã hic tropus frequenter: ut, Ferrumq; armare ueneno. Datur enim rei, quę ſenſu caret, rei uiuẽtis actio, per analogiam. Atq; id eſt, propter quod tantopere delectat metaphora, cæteriſq; meritò præfertur tropis: quia & acutam & euidentẽ reddit orationẽ, ſine magna artis (ut uidetur) affectatione. Itaque quoties duabus rebus diuerſis ſimilia tribuuntur, res ipſas ſimiles eſſe dixeris, quæ eſt Imago: aut aliã pro alia accipies, & fiet Metaphora, quoniam idem ſunt termini & metaphoræ & ſimilitudinis. Si laudare ergo, uel uituperare opus ſit, ſimile uel contrarium exquires: ex quo proprium aliquid, cum tua re collatum, eam ipſam rationem translationis efficiat, quam quæris. Contraria nanq; inter ſe comparata, maximè ſe declarant. Vt laudaturus Thucydidem cõparatione Herodoti, qui fabulas poetarum more compoſuit, quid dices? Herodotum ſcilicet ad uoluptatem omnia ſic enarraſſe, ut Thucydides omnia cum ueritate cecinit. Cantus nanq; poetarum eſt ſine culpa:

Metaphora quadruplex.

Per analogiam.

narratio hiſtoricorum:ſed uoluptas ueritati cedit. cedit ergo Hero dotus, qui quaſi hiſtoricus narrat, & quaſi poeta uoluptatem ſecta tur, Thucydidi, qui ueritatē eleganter expreſsit. Atq; hæc quidem de translatione per analogiam: quæ omnium acutiſsima in propor tione continetur(ut oſtendimus)quatuor terminorum. Sequitur

Catachreſis. alia, per abuſionem uocabuli: quam Græci κατάχρησιν ideo dixere. Hæc dictionem ex eo loco ubi propriè ſignificat, in alium ſimilem transfert, qui proprio nomine caret, aut uidetur carere. Sæpe enim ad maiorem lucem aut efficaciam, relicto proprio quaſi minus effi caci, aut minus commodo, aliud mutuatum nomen, aut uerbum, aliunde ſubſtituimus: & auarum pro parco, temerarium pro for ti, ſi uituperare uoles. Si laudare, quoque inuenies ex proximo quæ laudem afferant. ut ſuprà dictum de Simonide poeta: qui cum ui tuperare uellet, ſemiaſinos dixit mulas: cum laudare, Salucte (in quit) alipedum ſoboles equarum. Illa ergo quæ neceſsitas induxit, gemmam in uite, pyxides ex quacunq; materia, parricidam pro eo qui matrem interemit, Grammaticis relinquemus, ut ex etymolo gia hæc ipſa doceāt: nos rationē tropi declarauimus, qui tam in uer bis quàm in nominibus frequentiſsimus occurrit. ut, Litora boant: Aduolat cum equitatu Cæſar: & Iuuenalis dixit, Fuligine teſte, pro

Metalepſis. ſitu amphoræ. Metalepſis autem Latinè trāſſumptio eſt. quæ quo difficilior inuentu, quàm abuſio: eo quoq; & rarior, atq; argutior. Fit enim per cognominationem: cum res diuerſæ, quaſi gradatim, alia ex alia cognoſcuntur, ita ut uerbum ipſum(quod tamen non di citur)ex homonymia uiam muniat, tanquam medius quidā gradus inter id quod intelligitur, atq; id quod dicitur: & (ut ita dicam) in ter linguam & intellectum. Nam quod Virgilius ait, *Speluncis abdidit atris*, per atras nigras ſignificans: cum ſit nigrum in coloribus, & idē obſcurum in aere: quæ uerò profundiſsima, ea ſunt obſcuriſsima: a tris ergo tranſtulit per Metalepſin, pro profundiſsimis. Prætermiſ ſo igitur ambiguo, & eo quo res propriè ſignificari potuit: alterum tranſſumimus, quod unum tantum intellectum habet, alium tamen ab illo. Sic pro uerre ſuem dixit Tullius: quaſi nō de homine, ſed de porco loqueretur. Ea re cum generale nomen plures inter ſe diffe rentes formas complectatur & contineat, quoties una ſpecies pro alia accipitur, mihi tropus uidetur ex hac tranſſumptione nominan dus. Nam mouere genus, eſt ad afficere & impellere(ut norunt phy ſici) quorum illud ſenſibus congruit, hoc ijs quæ locum mutant. Si igitur dicas ſenſus impelli, metalepſis erit: quia non ſolum proprio relicto uocabulo, ſed etiam communi, alienum uſurpatur. Atq; hæc eſto tropi huius definitio. Sunt enim, quibus omnis longè quæſita translatio metalepſis nominatur. Sed uitium illud eſt tropi: hæc in

genij

genij maxima commendatio. Oboriuntur tamen & in tranſlatione non pauciora uitia, quàm in reliquis locis: hoc tamen differunt ab alijs, quòd cum affectatio ubiq; reprehendatur, nuſquam in metaphora peccatur, niſi ex affectatione. Aut enim longiſsimè petuntur, & ex rebus uix cuiquam notis, aut ex rebus diſsimillimis. Quæ omnia tenebras offundunt orationi, cum acyrologia. Quid commune clauæ eſt cum naue Salaminia? Inuentus tamen eſt qui diceret, τὼ πάραλον ξόπαλον εἶναι τοῦ δήμου: paralon clauam eſſe populi. Et potius uult Cicero dicēdum, uoraginem bonorū, quàm Charybdin: quia nunquam uidimus Charybdin, uoragines ſæpius. Iam fœdas & ſordidas, quis niſi ipſe ſatyricus uſurpabit? Affectationis uitium.

—Si teſticuli uena ulla paterni Viueret in nobis.—

Longè petitas, & obſcuras, poetis permittimus, quos metri neceſsitas excuſat: ut regem dicant, paſtorem populi: & gubernatorem, aurigam nauis: & ex illa abuſione uerbi aduolat, remigium alarum in aue, & in naue alas pro uelis ponant: & quibus eſt (dicant) Mezentius iræ, pro odio. Satyricis uerò omnium audaciſsimæ conceduntur: quòd ludere auditorem uelint impudenti trāslationis audacia. Ergo qui uolet rectè uti metaphora, is ſeligat multo uſu trita uocabula in ea ſignificatione. Nā ſi ſunt receptæ illæ metonymię, tectum pro domo, Venus pro coitu: non tamen puppis pro naui, nec Bacchus pro uino, niſi poeticè. Et Fabij conſilium tenendum planè, ut metaphora uel uacātem locum occupet: uel ſi in alienum ueniat, ut plus ualeat eo quē expellit. Nec ſolum obſcœnas uitabimus: ſed eas etiam quas cauillator aliquis obſcœnè queat interpretari, aut ridiculè. Reliquas licet undecunq; petere: nec quicquam eſt in rerum natura, ex quo non licet nobis, tanquam ex penu refertiſsimo, tam laudis quàm uituperij ſimilitudines depromere. Quid enim magis in promptu, quàm ſol, luna, & ſtellæ? Et ſi ad inferiora deſcēdas, aere, pluuia, niue, nubibus, nimbis, fulgure? ad hęc, terra, plantis, mari, piſcibus, nauibus? Quàm multa transferuntur à montibus, uallibus, atq; antris? Ab animalibus demum, & eorum partibus? Cæterùm quæ ad ſenſus attinent, ea maximè ad laudem & uituperium eligentur: ut ab oculis candidum, roſeum, purpureum: aut contrà (ſi uituperes) nigrum, obſcurum, tenebroſum. à naribus, ſuauem odorem, aut grauem traduco. ab elementis, eadem ratione: ut ab igne, ſplendens, ardens, flagrans. Aura ſuauis delectat, procella uerò territat mortaleis: ſic actiones aliarum rerum alijs conueniunt. Et quæ propria ſenſuū corporis ſunt, de animo prędicamus: ueluti uidere pro intelligere, odorari pro inueſtigare, deuorare pro perferre. Atque innumera eiuſmodi paſsim: quæ cū ſint propria alterius animantis aut rei, alteri tamen conueniunt. Vocant autem Græci ἀλληγορίαν, ſi pluribus

Rectus metaphoræ uſus.

Allegoria.

ſi pluribus uerbis à propria ſignificatione translatis, cõtinuè exponantur, ſenſu tamē in promptu poſito,& facili: nos latinè,inuerſionem ſermonis. aliud nanq; dicitur,quàm intelligatur. Quod ſi obſcurus omnino ſit,nec ſine Oedipo intelligendus, Ænigma. Illius exemplū ſit ex Diogene, in duobus uerbis tantum. qui cum diutiſſimè legentem quendam nō ſine tædio audiſſet, illeq; ad exitum tandem perueniens, paginam non ſcriptam monſtraſſet, exclamauit: Bono animo eſtote uiri,terram uideo. Hic proſus aliud ſignificat, Terram uideo,quod nauigantium eſt,quàm finem libri. Pluribus illa continetur:

Aenigma.

Hoc faciunt,nimio ne luxu obtuſior uſus
Sit genitali aruo, & ſulcos oblimet inertes.

Vno uerbo etiam totum ſermonem inuertit:

Omnia carminibus ueſtrum ſeruaſſe Menalcam.

Ænigma eſt illud eiuſdem: *Dic quibus in terris.* — Et illud Ciceronis pro Roſcio: Multos cæſos,non ad Thraſimenum lacum,ſed ad Seruilium uidimus. quis ibi non eſt uulneratus ferro Phrygio? Per cōtinuam metaphoram multæ fiunt energiæ & proſopopœiæ: ut illa omnia quæ de apibus in Georg. cum uirorū fortium ſimilitudinem adfert:& perſtans in metaphora,mores addit,& ſtudia,& populos & prælia, & Romana cōſuetudine Quirites uocat. Inuerſionis huius lepóre commendatur parœmia. Generales enim ſententiæ, cum uerbis non ſuis, aut non proprijs efferuntur, adeò probari in uulgus ſolent, ut ſemel auditæ nunquam poſtea excidant. Boui clitellas, Mouere Camarinam, Ad coruos, Sacra anchora,& ſimiliū quæ habentur ſexcentæ myriades. Verùm enimuerò licet allegoria plerunq; per metaphoram fiat, nō rarò tamē per metonymiā & alios tropos: ut, Sine Cerere & Baccho friget Venus. Et allegoriarum quidem maximè,quibus poetæ res naturales intelligi uoluere interpretes etiamnū extant Nicocles,Porphyrius,Proclus, Fulgētius. Sed hæc ſufficiant de continua metaphora: quæ quidem quantumuis explicetur,nunquam poteſt ſic facilis inueniri,quin difficultatis plurimum contineat: Perſiumq; ideo reprehendas, qui totus eſt in transferendis mutandiſq; nominibus,& inuertēdo ſermone, & in argumento planè triuiali ſententiam obſcurat. Neq; enim parum noctis in illis eſt, cum ex ſatyræ decoro nuſquam ſubſiſtit, ſed ſenſus,tanquam ſaltus,huc atq; illuc ſpargit. At uerò quis in principio ſtatim ferat,—*Ipſe ſemipaganus*

Paroemia.

Ad ſacra uatum carmen affero noſtrum.
Quis expediuit pſittaco ſuum χαῖρε.

Aut enim ſine metaphora ſaliendum fuerat, aut in metaphora commorandum. Audaces quidam poetæ in ſententijs ſunt, alij in uerbis

bis.Sed perniciores illi:ideo exploſus Lucretius,& ab adoleſcentũ
manibus iurè abſtractus:Perſij,propter acumẽ, multa uerba habẽ-
tur in ore uulgo,& autoritatem ſententiæ obtinet audacia inflexio
nis. Illud ergo nullatenus ignorandũ,inſolentes metaphoras mol *Inſolentes*
liri debere aliquo medicamine:quemadmodum ſæpe dictum. Vnũ *metaphoræ mollien-*
autem reperio opportuniſsimum, ſi per antitheton proferas, hoc *dæ.*
pacto:Amphora ſcutum eſt, non quidem Martis, ſed Bacchi: Rex
paſtor eſt,nõ gregis,ſed populi. Atq; hinc quidem orta quarta ſpe-
cies translationis,quę per *ἀντίφρασιν*.Fit autem duobus modis:uno *Metaphora per an-*
κατὰ στέρησιν,id eſt priuatione:ut illaudatus,pro contẽptus:inamabilẽ *tiphraſin.*
Stygiã paludẽ.alio,per ęquipollentiã:ut ſi pro doluit,dicas quod æ-
què pollet,nõ lętatus eſt Achilles.Omiſſa nanq; parte altera cõten-
tionis,forma illa exprimitur ſentẽtiæ,quã ſuprà diximus hypocori-
ſmũ.minus nãq; eſt, Vir minimè malus,q̃ ſit,uir bonus. Contrariũ
poſuit Terẽtius, Donato autore, cũ ſeruitutẽ dixit pro dominatu:
ut & Saluſtius ſupplicia,pro re diuerſa protulit. Vitãdi ominis cau
ſa ueteres Romani uocabant hoſpitẽ,hoſtem:Parcas,quę nõ parce-
rent. Et cum mordacitate nunc,Bone uir,quẽ minimè bonũ ſentis,
appellare ſoles:quia uel maximè inter tropos ironiã facit antiphra-
ſis. Habemus itaq; quatuor transferendi modos:Metaphorã,cata-
chreſin,metalepſin,& antiphraſin. Ex quo rurſum uides, omnia ut
numero conſtant,pondere & mẽſura:ita quaternarium (de quo ſu *Quaternarij uis.*
perius)uel ſolum numerum eſſe,uel in eo ipſo cæteros omnes con-
tineri.Etenim unitas numerus nõ eſt,ſed principium numeri.Duo
nondum integer numerus:caret enim medio,cum habeat extrema.
Vnum ergo & duo coniuncta,quaſi mas & fœmina,ternionem gi-
gnunt,primum numerum.Qui rurſus duo extrema cum habeat,et
medium,integrum dicitur eſſe & abſolutum quiddam:uerùm ſi ſo-
lus,utcq; extitit conſideretur,nihil poſtea numeret.Siquidem unum
& duo,ſunt tres:ſed quartus ubi eſt?Eſt tamen in ternario quartus:
quem(ut iſtud obiter doceamus)hac ratione inuenias. Medium in
tribus ad utrunq; extremum comparatum,diſtrahi uaricariq; quo-
dam modo,& in duo ſeparari uidetur.Nam ſi unum ſequitur extre
mum,alterum præcedit,& prorſum alia ratione ad unum atq; alte-
rum refertur. Duplex igit̃ ea de cauſa cum ſit,cumq; extremis duo-
bus coniunctum, quaternerij uim atq; naturam generat. Iam inci-
pe,unum,duo, tres, quatuor: denarium conſtituiſti. In quem om-
nium deinceps numerorum fit recurſus & reuolutio. Adeò, ut di-
ctum eſt, quaternione conſtãt omnia. Nónne doctiſsimi philoſo-
phorum quatuor inuenerunt elementa rerum? quatuor qualitates
primas?quatuor cauſas?quatuor differẽtias in oppoſitione ſenten-
tiarum cõtrarias,cõtradicentes,& duas his ſubiectas? totidem ſanè

enunciandi genera ex commixtione quantitatis & qualitatis inuenit Dialectica. Quatuor elementa orationis: perſona, res ſeu actio, locus, & tempus, inuēta ſunt Varroni. Ita ut quadripartita ſint omnia quæ ſunt, & ea æterna: ſi quid excidat ex hac quadripartitione, non tamen in ea comprehēdatur. Non'ne ſunt quatuor in motu ſpecies Ariſtoteli, & loci differentiæ? Elementa literarum, quibus hæc tam multa deſcribimus, omnia in quatuor genera diſtribuuntur: uocales, mutas, liquidas, & unā apud nos & Græcos ſemiuocalem, ſigma. Quid ego de muſica diſputē? Hæc & pedes, & metra, & concentus, & modos (quos barbari tonos) omnia definit atq; numerat quaternario: quoniam uel ad tetrada omnia ſpectant, uel ex tetrade producuntur, intra quam etiam omnino cōtinentur. Quare nulli mirum uideri debet, ſi nobis tam crebra hæc ſe offert in hoc De oratione Opere, & facultate dicendi. Cuius etſi ſuprà partes quinq; fecimus: una tamen earum, (ſi propius inſpicias) in alijs inuenitur. Rei circunſtātias (ſi propius quoq; accedas) quatuor tantum agnoſces: cauſam, modum, tempus, & locum. quoniam perſona cauſa eſt efficiens, ſi agit: materialis, ſi patitur. Capita illa prima quatuor pleriq; fecerunt: contraria, differentia, ſimilia, comparata. capita extrema: poſsibile, honeſtum, utile, iucundum. Status quatuor ſunt reuera: Coniectura, finitio, qualitas, & trāslatio. Et qualitatis altera pars in relationem, remotionem, comparationem, & ueniam diuiſa eſt: uti & exceptio quatuor legalibus eſt tractanda. Partes orationis forenſis quatuor fuerunt: exordium, narratio, probatio, & concluſio. Exordij rurſum quatuor: protaſis, apodoſis, baſis, & concluſio. Et Narrationis pariter quatuor: factum, omiſſum, cauſa, & conſideratio. In hypophora item quatuor: & in probatione non plura quàm decem ſeiuncta reperimus: in quem numerum quaternio ſe ipſum colligens, ac numerans, euadit. Nam alioqui ſi cogas compendio, erūt: capitis propoſitio, deinde ratio, poſt hæc cōfirmatio rationis, deniq; exornatio. Perorationem quoq; partibus quatuor explebis, ſi tranſitum (qui alijs partibus orationis cōmunis eſt) ſeponas. relinquuntur enim enumeratio, ęquitas, motus uel ἦθος, & ſuffragiū. Hæc autem partes orationis demonſtratę ſunt. Sed & eloquutionem conſtare diximus, ductu, figura, tropo, & ſtructura. Ductus quatuor reperti: unus ſimplex, & tres figurati. Figuras ſententiarū in quatuor genera diſtinximus. tropus etiam utercq; quadruplex: ut omnia hactenus ea ratione concluſa eſſe non ſine admiratione conſiderem. nam neq; aliam in ijs quæ ſequuntur ſperare poſſum. Et in ſtructura illud mihi in mentem uenit, quod Cicero omnes iubet in quadrum redigere numerum'q; ſententias. Quare poſthac cadē uia inſiſtemus; niſi fortaſſe (ut tenebris ignorantiæ multa demerſa latent)

tent) ubi inquiſitio noſtra parum diligens aberrabit: aut ubi ad rerum utiliorum demonſtrationem properantes, hæc quæ admirationis fortaſſe quàm utilitatis plus habere uidentur, alijs minus occupatis relinquemus: ſatis eſſe rati, ut tanquam indice fontem hunc atq; originem doctrinarum omnium longè uberrimum demõſtrauerim. Nam ut ad quaternionem ſuperius ſingula retulerim, aut in eundem omnia recidant, nulla certè me myſterij ratio adduxit. uerùm cum omnia ſic in eum redacta conſidero, neſcio quid de noſtra nunc diligentia maius mihi pollicetur. Neq; enim ueriſimile eſt nos omnino deceptos eſſe, inuentis adeò noſtris cum natura ipſa conſentientibus, cum poſsit ex tam multis indicijs fieri generale theorema: nec alia procedãt ratione omnes doctrinę philoſophorũ. Atq; equidem (ut ingenuè dicam quod ſentio) ſi denuò hæc ipſa quæ tractaui, nunc ab initio, & (ut dicitur) à calce ad caput inueſtiganda eſſent: non iam dubitarem, poſtquam adeò certi rerum fontes quaternario numero oſtẽduntur, hunc ipſum poſthac in omnibus proponere pro regula & arte atq; exemplari totius inuentionis.

De interpretatione, & eius figuris. Cap. 16.

DECLARATIS igitur omnibus ſententiarum figuris, tropiſq; uerborum, quibus mens intelligentiaq; dicentis alio atque alio poteſt quaſi nutu informari: quia poteſt etiam, eadem ſeruata figura ſententiæ diuerſis, neq; una tantum forma ſermonis interpretari: potes inquam occupare interrogando, imperando, affirmando, negando, & multis alijs ſimilibus enunciandi modis: conſequens eſt, ut de interpretatione dicamus, altero genere figurarum. Sic enim partem hãc appellare decreuimus, à Græcis pariter deſumpto nomine ἑρμηνείας. Non quòd ſolam tenere debeant interpretes alienorum operũ: nam & tropos, & figuras ſententiarum, & cætera demum inuentionis præcepta, niſi calleat interpres, nihil rectè traduxerit: quoniam multa hunc fugere neceſſe eſt alienæ inuentionis, cui ars ſit ignota inueniendi. Verùm enimuero quia illa ſermone egent: ſermo autem ex uerbis, nominibus, & horum coniunctionibus componitur: quærendum hic eſt, qua ratione hæc in uſum ueniant, præter illam translationẽ ſignificati, de qua modò dictum eſt. Nam uel ruſtici hoc norunt, ex proximis & ſimilibus declarare ſimilia. At uerò rectũ in obliquum, & imperatiuum in interrogationem, & diſſolutũ in continuatum conuertere: aut ſurſum uerſus totam dictionem ſic commutare, ut nihil prior inde ſententia detrimenti patiatur: niſi magiſtros dicendi coluerit, & multa obſeruatione facultatem hanc ſibi comparauerit: nemo ſine dubio ſe poſſe ſperet. Sed ut melius intelligas, quod narro, exiſtimandum tibi eſt orationẽ eſſe quoddam ueluti animal:

Oratio quaſi animal.

quod ſi nudum pingatur, tamē aliquo eſt cum geſtu corporis. Vt, exempli cauſa, ſit homo: qui ſublato brachio diſcū torquet, aut arcum tēdit, aut cum cæſtibus ambobus pugnis auras uerberat. Vel, ſi lubet, fingamus Herculem, dum orbem ſuſtinet mūdi pro Atlante, aut Acheloum tenet cornibus: aut eundem pingamus cum hydra laborantem, aut certè trahentem Cerberum ab inferis. In his omnibus ſuum habet motum Hercules, & figurā. Neceſſe eſt. Iam ſi eundem ſpolio induis leonis, potes & hoc alio atq; alio modo Herculi adaptare: & rurſum depoſita leonte, cum ueſte etiā muliebri introducere: eaq; uel ſuccincta, uel laxa, uel cum longo ſyrmate. Quæ omnia extra corpus cum ſint Herculis, tamen ut ei adiuncta, diligenter notantur à pictore, atq; obſeruantur: ut cum corporis motu ne diſſentiant, ſed ita geſtum efficiant, ut neceſſe uideatur ita ſinus cadere & duci, quemadmodum crurum & corporis muſculorumq; nixus proximè inducunt. Non aliter quidem conſiſtit oratio. Nam figuræ illæ ſententiarum, quidam ueluti geſtus motusq; exiſtimandi ſunt Herculis: modus autem leontes (ut uel reiecta eſt ab humero, uel caput cum reliquo tegit corpore, uel inuerſo uellere conſtricta riget) figuram puta interpretationis. Eſt enim facultatis huius, ſentētiam cuiuſcunq; figuræ, ex uerborum ratione extrinſecus arte inuēta uario modo ornare, ſeruata ſententiæ figura. Exemplo fiet planum.

Interpretationis facultas.

Occupatio hæc eſt per confeſsionem: Fateor me genere Græcum eſſe. Figura melius interpretatur Poeta negationis, quæ idē pollet,

—*Nec me Argolica de gente negabo.*

Licuiſſet & interrogando dicere: Cur me Argolica de gente negabo? Licet & optando: Vtinam Argolica de gente non eſſem. Licet & imperando: Ne nega Sinon, Argolica te de gente eſſe. Vel denunciando: Scitote me Argolica de gente eſſe. Itaq; & ſubijciendo poterat: Etſi mihi timendum ſit, nunquam tamen me Argolica de gente negabo: uel, Fallerē uos, ſi me Argolica de gente negarē. Poſſet & geminando: Fateor, fateor inquam, me Argolica de gēte: uel, Græcus ſum fateor, de gente Argolica. Et per antitheton: Non ego Troianus ſum, aut Phrygius, ſed Græcus (fateor) de gēte Argolica. Potes & cōtinuata, & ſeiuncta non ſecus oratione: Nec me Græcū, nec hoſtē fuiſſe Troianorū unquā negabo: uel, fateor Græcus ſum, comes Vlyſsis, hoſtis Troianorum. Nec diſsimili ratione, ſi ſumas eiuſdē querimoniā: *Heu quæ me tellus*, (inquit) *quæ me æquora poſſunt Accipere?*—motus eſt proſopopœiæ, quē percontādo interpretatus eſt. Poterat et negādo dicere: Heu nulla tellus, nulla me æquora poſſunt accipere. Poterat affirmando: Heu omnis tellus, omnia me æquora eijciunt. Itē, Nec tellus, nec æquora poſſunt accipere: atq; alijs multis modis. Sed hæc ſufficiēt, ut rudiori doctrina cognoſcas mentem noſtram,

noſtram,atq; inſtitutum. Videretur tamen fortaſſe alicui, has dici
debere figuras paraphraſeos. Etenim ut paraphraſis duæ tradũtur *Paraphraſeos duæ methodi.*
methodi:una per ordinis mutationem,altera per dilationem & cõ-
tractionem ſententiæ: ita ut authoris ordo alius appareat, uel ora-
tionis menſura:ſic interpretationis figuræ(ſi rem expendas)non a-
liud docent,quàm rem unam alio modo dicere. Sed non eſt eadem
ratio. Siquidem paraphraſis, etſi uerba interpretatur obſcura: ſen-
tentiam tamen ubiq; quærit, quæ obſcura ſit, alijs facilioribus &
uerbis notioribus exponere. tum etiam per inuẽtionis partes,quæ
procul non aberrant ab argumento deducere. In argumento demũ
paucis tractato commoratur multis: & in pauca colligit, quod eſt
explicatius. Sed hæc ſine illo ſcopo,omnia utcunq; conuertit.

De Enunciatione. Cap.17.

INVENIO autem figuras interpretãdi quatuor ſummas
& generales. Vnam enunciationis uocabo, alterã adiun
cti,tertiam innouationis, quartam cõiuncti & diſſoluti.
Et quidẽ ἀποφάνσεως,ſeu ἀπαγγελίας(utroq; enim uocabu *Enunciatio.*
lo poſſumus Græcè appellare, quã alij σχηματισμὸν nõ ſatis propriè
dixerunt)quoniã uirtus huius figuræ eò uniuerſa tendit, ut aut ἀπο-
φαινόμενοι,aut ἐνδοιάζοντες loqui uideamur:hoc eſt,certi uel incerti.
Modos primùm ex uerbi modis definies. Nam ut in oratione uer-
ba dominantur,ſic in modis & temporibus uim ſuam retinẽt. Sunt
autem modi ſex,ſi potentialem non ſecludas:imò ſeptem,ſi interro- *Modi enunciationis quot.*
gationem complectare cum Varrone. Rectus, maximeq; pronun-
ciatiuus,eſt indicatiuus:nec refert,præſentis'ne tẽporis ſit, an præ-
teriti,an uerò futuri. Poteſt nihilominus & affirmando,& negãdo,
& interrogando fieri. Affirmatio & negatio figuræ notiſsimæ ſunt:
interrogatio(ut diximus)Varroni modus eſt, & uerbi caſus: ſortè
accentu declinata. neq; eſt in oratione quicquam flexibilius (ut ille
ait) quod'q; facilius ſequatur quo'cunq; duxeris, quàm interroga-
tio. Habet & uim in probando mirabilem. Putant enim auditores,
nunquam ſe interrogaturum fuiſſe oratorem,niſi certò ſciret,ſibi in
promptu paratam'q; eſſe ſolutionem. Et attentionem parat:quia ſe
ipſum interrogando,alios ad audiendum excitat. Sed cognoſcenda
differentia inter ea uocabula eſt, quæ pro eodem interdũ accipiun-
tur: πύσμα & ἐρώτημα,uel πεῦσιν & ἐρώτησιν ac ζήτησιν,id eſt percõ-
tationem, & interrogationem, & quæſtionem. Sed quia facilis eſt
diſtinctio,uno uerbo dicam. Vna enim noſcendi cauſa ſit, & inter
capita morum referenda eſt(Quæſitum Latinè dici poteſt)ut,
Dic mihi Damæta,cuium pecus: dic mihi,ſi placet,an egerit gratias Thais
mihi. Altera ſciſcitãdi tenſa uoce, cum puncto interrogationis. Vt,
Magnas uerò gratias Thais mihi? Atq; hæc quidem forma inſtãdi
uel

uelarguendi cauſa ſæpe aſſumitur:nec ſcire ſemper deſiderat,quod rogat: quoniam de rebus notis atq; euidentibus plerunq; quærit. ut,Sunt hæc uera quæ cernitis, an ueris imaginibus deludūtur oculi? An non dies eſt? Vel de iis quæ iam probatę ſunt.ut,An nō ergo fur es? Vel de alia re dubitando:*Heu quæ me tellus*(inquit)*quæ me aequora poſſunt Accipere?* Et, *Quiſquam numen Iunonis adoret Praeterea,aut ſupplex aris imponet honorem?* Itaq;, *Sed uos qui tandem? quibus aut uenistis ab oris?* quæſitum dicitur, & ſententiæ caput. ſignat enim noſcendi deſiderium:ſimulq; formam retinet interrogationis, quādo & elata uoce tenſaq; profertur. Sed cum ab aduerſario non tam reſponſum, q̄ ne quid reſpondeat,aut reſpondere poſsit,quærimus,interrogatio

» nē uocabis ἐλεγκτικήν. Vt pro Ligario coarguit:Quid tuus ille Tu-
» bero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Et contra Catili-
» nam: Patere tua conſilia non ſentis? Adhibetur itaq; πεῦσις, id eſt percontatio,ut quaſi ab inuito, aut nimis lento, reſponſum extorqueamus. Nō ego te uidi? ideo eſt amplificationibus idonea: & in-
» crepando frequenter interrogamus. ut, Quouſq; tandem abutêre
» noſtra patiētia? & cōquerendo:ut,*Heu quæ me tellus?* & iraſcendo.ut, *Et quiſquam numen Iunonis adoret?* & admirando:ut,

—Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?—Quin etiam & iubendo:ut,
Non arma expedient,totaq; ex urbe ſequentur?

Quod apud comicos frequens.ut,Non taces? pro, tace. Dubitando ferè ſemper:Quid igitur faciā? Hac proponimus tam cauſæ atq;
» argumentorum capita, quàm hypophoras: Nunquid aliud in iudi-
» cium uenit, niſi uter utri inſidias fecerit? Et figura hypomones uel ſubiectionis interrogando & reſpondendo efficitur. Quid dicam euerſam? imò,&c. Quid ergo ſyngraphæ non ſunt? &c. Cuius formam & altercationem faciunt,hæc & ſimilia aduerbia: Quid ergo? quamobrem? quid ita? Illud ergo frequenter accidit,ut nos ipſos interrogemus: ſed alios frequentius (ut aduerſarium, iudices, Deos, res,circūſtantias.) Infinitæ prętereа atq; fictæ ſciſcitationes hoc modo fiunt:Dicet aliquis,uel ſi quis dicat,hæc eſt tua diſciplina? ſiccine inſtituis adoleſcentes? Nulla enim perſona in his loquitur, niſi ficta. Atq; nos ipſos rogantes, reſponſionem ipſi ſubiicimus (quod pleriq; dicunt ratiocinationem, nos ἀπάντησιν uocemus, id eſt oc-

Subiectio. curſationem,& Latinè ſubiectionem,quæ commorationis eſt.) A-
» pud quem hæc dico? nempe apud eum,qui cum hoc ſciret,tamē me
» antè quàm uidit, reipub.reſtituit. Ergo nos ipſos interrogare uerbis aduerſarij licet,cum ſubiectione:& aduerſarium: tam etiam dubitando quàm redarguendo:& figura gorgoteti amica eſt,ſupinita-

Syndrome. tē corrigens. Vocat συνδρομήν Hermogenes,reſponſionē frequen-

tem

tem, & ſubitam, quæ per obiectionem interroganti fit ſine cataſta-
ſi: Tyberius nominat Syntrechon. ut, At in qua cauſa non potuiſſe?
quæ eſt grata gentibus. A' quibus non potuiſſe? ab ijs qui maximè
P. Clodij morte acquieuerunt. Quo deprecante? me. Item, Cur dixi
ſti teſtimonium in alios? Quia coactus ſum. Cur dãnati ſunt? Quia
creditum eſt. Sed uidetur συνδρομὴ concedendo ſubijcere reſpon-
ſum. Quare & conceſsionẽ interpretati ſunt multi. ut, Dicent mihi, *Conceſsio.*
Quibus inſtructam facultatibus eſſe putas rempublicã? Fateor nul
las eſſe nunc uires reipublicæ, ſaltem exiguas: ſed proſpiciẽdum eſt,
ne fiant minores. Sed frequẽtationem ſubiectionis eſſe ſyntrechon *Frequenta*
nulli dubiũ eſt. Ergo & ſyntrechõ, & ſyndrome ſermonẽ reuocant *tio.*
ad principiũ, abſq; cataſtaſi & cõiunctione: cuius reſpõſio ex capite
ſumit, quod in theſi dictũ eſt antiparaſtaſis. Vt & aliũ rogantes, ipſi
reſpõdemus per cõfutationis ſubiectionẽ et enſtaſin. ut, Domus ti-
bi deerat? At habebas. Pecunia ſuperabat? At egebas. Per admira-
tionẽ: Malè iudicauit populus: at iudicauit. nõ debuit: at potuit. Fit
autẽ ſubiectio nõ ſolum ad interrogationẽ, ſed etiam ad affirmatio-
nem & negationẽ. ut, Vocat, ueniendũ eſt: poſcit, dandũ: eijcit, ab-
eundum: minatur, extimeſcendum. Quanquam pendet ab interro-
gatione hæc, uel fictione: Si uocat, ueniendum eſt. Qua de re ſub- *Submiſsio.*
miſsionem, non ſubiectionem dicere quidam maluerunt: quia cau-
ſis in hac, facta ſubmittãtur. Vt cauſam rogãti, Cur ergo interfectus
eſt? Quia nõ ſemper uiator à latrone occiditur. Ita figuram eandem
diuerſis nominibus ſæpe inſigniũt, ignari quibus quæq; cõſtent ac
ſeparẽtur rationibus. Sed de his aliàs: nobis de interrogatione ſer-
mo eſt. Ex dictis ergo patêre poteſt, quid πρόβλημα, quid ζήτημα,
quid ἀμφισβήτησις ſeu ὑπόθεσις. Hæc enim in re, nulla in dictione
ponuntur. Et problema quidem anceps quæſtio eſt: qualium eſt li- *Problema.*
ber Ariſtotelis. Zetema uerò, propoſita ab alio, ad quam omnia di *ζήτημα.*
rigũtur: Vt, —*Iſte Deus quis ſit da Tityre nobis.* Hoc quæſitum appella-
ui ſuprà. Controuerſia deniq; utrinq; contradictorem habet, & ſta
tum efficit. Atq; hæc quidem tam huic loco ſufficiant, quàm ijs in
quibus de quæſtione & ſtatu in primo libro. Iam uerò cum inter-
rogationi reſponſio cognata ſit, dubitari poſſet, an figura aliqua ſit
reſponſionis. Et mihi quidem nulla uidetur: niſi figuram ſententiæ *An reſpon*
excipias. nam occupatio illa in reſpondendo, cum quærenti cuidã, *ſionis figu*
An occideris hominem? reſpondit alter, latronem: & cum rogatus *ra aliqua.*
alia interrogatione reſpondet, ut,

Non ego te uidi Damonis, peſſime, caprum
Excipere inſidijs? reſpondet,
An mihi cantando uictus non redderet ille?

Hæc quidem occupationes ſunt: illa indicando, hæc interrogando prolatæ.

Imperatiuus. prolatæ. Imperatiuus ergo proximè interrogationẽ ſequatur: quoniam uterq; modus allocutione noſcitur, & cum moribus inſurgit. nam & apoſtrophen ad perſonam habent: & in eo qui loquitur, animi propenſionem arguunt. *Muſa mihi cauſas memora:*
Vos iſthæc intrò auferte. Nec ad ſecundam perſonam tantum dirigitur imperium, ſed ad primam: ut,
—Inſere nunc Melibœe pyros. & ad incertam: ut,
Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor.

Et mihi quidem Mathematici atq; legiſlatores ideo præcepta pleraq; nõ imperatiuo modo, ſed indefinito condidiſſe uidẽtur, quòd utriq; ab affectibus abhorrent: illi, quia argumenta tractant ab omni abſtracta materia & perſona: hi uerò, quòd in condẽdis legibus tranquillo pacatoq; eſſe debent animo. Nam neq; imperatiuo modo utimur, niſi uel hortando, uel prohibendo, uel permittẽdo, quæ
Hortandi ſymbola. ſine moribus & omni motu nõ fiunt. Hortandi ergo ſymbola ſunt, Age, eia, euge, maximè cum quid poſcimus. Nam ſi obiurgamus (ſiue id fiat contumelioſè, ſiue beneuolè) non admittuntur, niſi fortè Heus & ecce. opus enim id recoli, propter quod fit obiurgatio.
Prohibẽdi. Prohibẽdi ſignum eſt Ne, modò ne ſit in uerbo negatio: ut, Tacete: quid hoc clamoris eſt? Permittimus frequenter ironicôs, quod alioqui nolumus conceſſum: idq; maiori tamen argumento poſtea
Antiſtaſis. reparamus. Hanc uocant figuram ἀντίστασιν quidam: ut, Sint iſta difficilia, at difficilia quæ pulchra. Sed propriè ſubmiſſio hæc ἀντεξαγωγὴ, id eſt compenſatio dicatur, non diſſimilis natura, atq; erant interrogationis ἀπάντησις & συνδρομὴ. Sed utcunq; fiat iſta permiſſio (in gratiam inquam, aut contemptum) imperatiuo ſemper præponitur, Eſto, aut Bene: aut aliud ſubauditur eiuſdem poteſtatis.
Optatiuus. Atq; his modis imperamus. Optandi uerò ſignum eſt, Vtinã (ſeu futurum quid optemus, ſiue pręteritum deploremus) ut, *Utinam ne in nemore Pelio.* Nam ſi uerbo alteri adhæreat, non optãdi eſt, ſed ſub-
Potentialis modus. ijciendi forma: ut, Orat Glycerium, ut ad ſe uenias. Potentialis modus hic eſt: Diceres inſanire. Habetq; omnia tempora eadem ratione diſtincta, atq; ſubiunctiuus: à quo etiam dependet. Id enim peculiare eſt huic modo (modum nanq; facimus) ut à cõditionali ſequa-
Coniunctiuus. tur: ut in exemplo: Si uideres, diceres inſanire. Coniunctiuus nunquam ſolus incedit: quoniam aut iungitur cum potentiali,
Si mea cum ueſtris ualuiſſent uota Pelaſgi,
Non foret ambiguus tanti certaminis hæres:
aut cum indicatiuo: ut,
Quamuis multa meis exiret uictima ſeptis,
Non unquam grauis ære domum mihi dextra redibat.

Atq; id eſt, cur particulæ eædem tam indicatiuo quàm ſubiunctiuo deſeruiunt.

deſeruiunt. Et meritò quidem propterea dicitur modus hic ἐγκλισις διστακτική, ideſt dubitatiuus: quanquam aliter certè uiſum Apollonio. Ad hęc, quia ſolus non inuenitur, ideo complexionem in oratione facit, & circuitum. Infinitiuus autem, licet nunquam ſine uerbo alio inueniatur, non tamen complectitur ideam, ſed ueluti appoſitum uerbo adhæret: ut, Solet pluere, Cupio legere. Atq; hactenus modi uerborum recēſentur. Nam gerundia nullius modi ſunt: quæ pro uerbis interpretari, ſatis indicat Græcorum penuria: & nos, *Cantando rumpitur anguis*, uertimus, dum cantatur: & regnādi cauſa, ut regnet: &, inter cœnandum, dum cœnaret. Quocirca interpretando hæc mutuò ſibi ſubſtituuntur per alternitatem, id eſt ἀλλοίωσιν. Sed enunciandorum uerborū figura modis proxima fit per demonſtrationem. Hac oſtendimus rem quaſi præſentem: cui ſeruiūt pronomina & aduerbia omnia demonſtratiua. ut, *Ecce autē à Tenedo: Hæc ara tuebitur omnes.* Enunciamus etiam quodam modo per aduerbia, quibus uerbi ſignificatio augetur, diminuitur, & mutatur. Aliter enim pronunciat, qui dicit, Impotenter amat, & frigidè amat. Illud uerò quod prouerbialiter dicitur, Ne Hercules quidem cōtra duos, & ſimiles figuratæ ſententiæ, non aliam figuram enunciandi cæperint, quàm indicatiuam, aut potentialem, pro arbitrio eius qui uerbum ſupplebit. Eſt enim hic figura ſententiæ Eclipſis: nō ſolum uerbi, quod deſideratur, ſed etiam epitaſeos huiuſmodi, Nedum ego, uel alterius ſimilis. Sit ergo prima enunciandi forma ex modo quem ſequūtur affirmatio, negatio, interrogatio, deſignatio, & aduerbiorum determinationes aut epitaſes. Altera uerò in hoc negotio interpretandi, & propria enunciationis, maximè obſeruāda eſt illa permutatio dictionū, quam Plutarchus in uita Homeri ἀλλοίωσιν uocat, aliꝗ ἑτέρωσιν: nos (ſi lubet) appellabimus alternitatem, uocem mutuati à Seneca. Hanc cum partim efficiant tropi, cum ſcilicet uerbi intellectū ex alio mutuamur, partim συζυγία, nempe cum uerbum in participium, gerundium, aut ſupinum: participium in nomen uerbale, & hoc rurſum in aliud nomen: & nomen in aduerbiū conuertitur: aut pro eo ponitur pronomen, aut nomē priuatiuum. Ponomen autem cum ponitur pro proprio, propter emphaſin, nō huius loci, ſed inter tropos referēda eſt antonomaſia: ut illud de Pythagora, αὐτὸς ἔφα: cum ipſo nomine ſi iungatur, pleonaſmum facit cum emphaſi: ut, Ille ego, Alexander ille. Quod ſi careat emphaſi, demonſtratio dicitur, ſeu deſignatio, enunciationis pars iam declarata. Poteſtq; tam aduerbio quàm pronomine rem præſentem oſtendere: ut, —*Hic uincula naues Nulla tenent*:—En cui liberos committimus. Ergo ut ad uerborum ἀλλοίωσιν redeamus, quid prohibet ſenſum unum per paſsiuam uo-

Infinitiuus. Pronomina. Aduerbia. Enunciādi formæ. ἀλλοίωσις. Demonſtratio.

cem efferri: per uerba imperſonalia: per participia. Eſt quidem nõ minus elegãs quàm uſitata loquutio, cum ex duobus uerbis ſibi cõiunctis, alterum in participium conuertitur, relicto altero: út,

De cælo tactas memini prædicere quercus:

id eſt, cum tangerentur. Quod ſi ad uerbi perſonam iungi nequeat, tunc abſolutè debet in ablatiuo poni. Et regulam aliquando hanc Grammaticis dedi: Præter inſtrumentum, cauſam & modum, & præterea locum & tempus, ſi participium non habet unde regatur, ponitur in ablatiuo: ut, *Poſthabita coluiſſe Samo*: *Dea monſtrante uiam*. Necꝗ enim dea poteſt perſona eſſe, aut agens, aut patiens: aut ullo modo ad uerbi ſignificationem ſpectare, quod obtinet in oratione illa principatum. Sic ergo participium pro uerbo ponitur ab hiſtoricis paſsim, & abſolutè. Sed & nomen pro uerbo, ſi à uerbo nomẽ deformetur, in quo uerbi ſit ſola actio: ut, Dignus erat uita: pro qui uiueret. & ab aduerbijs ſimul atꝗ uerbis: Inuenitur crudelitas in ſupplicijs, & fortitudo in periculis. Iam imperſonale eſt, *Itur in antiquam ſyluam*. Nomẽ pro participio, Te iudice: & pro iſto rurſum, Iudicio tuo. Aduerbium pro nomine: *Bellum iſtud excute totum*. Et cõtrà nomen pro aduerbio: *Vitium ſonat percuſſa fidelia*: Horrendum intonat, Tumidum loquitur. Adiectiuum nomen pro ſubſtantiuo: Opimum pingue. Subſtantiuum & adiectiuum ſimul in duo ſubſtantiua eleganter mutãtur: ut pro magno imperio, magnitudo imperij: pro multam laudem, multum laudis: pro furioſo Clodio, furor Clodij: ſic gloria Dei, uetuſtas ſpiritus, & alia per eponomaſian dicta uolunt theologi. Sed generale nomẽ huius figuræ iam poſitũ, ubi partes orationis inter ſe commutantur: adeò ut omnia tam uerba quàm nomina (quæ paulo antè paragomena dicebamus) ſi ex uſu deſumantur, nihil prohibet pro uino, uillũ dicere: pro limato, limatulum, & politulũ: et pro frequẽter legere, lectitare: pro ex auro, aureum: & pro aureo, rurſum aurum. ut, *Pateriſq; libamus & auro*. Hęc nanꝗ omnia cum ex medio ſumantur, nihil profectò ſapiunt *ὀνοματοποιΐας*, ſed interpretandi atꝗ enunciationis ſolam uim tenent. nõ autẽ illa inſolentiora, Sullaturit, proſcripturit. Necꝗ illa ęquipollentia per antiphraſin, minimè malus, non reijcio: quia tropus hic extenuandi cauſa quæſitus eſt: illic nõ tam enunciandę ſentẽtiæ, ꝗ ornandę ratio habetur, & uocabuli nouitas ad ſe rapit attentionẽ. Allœoſis autẽ adeò ſimplex uidetur, ut cum ſit omniũ artificioſiſsima: tamẽ quia uſu magis ꝗ arte pleriſꝗ innoteſcit, ſi quãdo occurrat legẽti iucunda quidẽ fit, & propria caſtáꝗ uidetur loquutio: ſi loquenti excidat, nõ adeò delectetur author, quàm ſi tropũ inueniſſet: quia hæc ab alijs & uſu uidetur ſibi dixiſſe, illum uerò acumine ingenij ſubitò excogitaſſe. Tanta uerò eſt huius loci ubertas (equidem non

dubito

dubito affirmare) ut quod pleroſq; latet, locorum cõmunium atq; ſententiarum ſi quis dictionem mollire &(ut ſic dicam)ſubigere uoluerit,nihil humidius,nihil flexibilius, nihil ad ſplendorem & dignitatem orationis accõmodatius inuenias,quàm ſi ex nominibus eam componas:uel eius nomina deformes ex aduerbijs,quæ uel augent negotium,uel extenuãt,uel quomodocunq; definiũt. Ex participio enim hoc Iratus, exclamatio illa ducta eſt: *Tantæ ne animis cœleſtibus iræ.* Quid quæſo ſignificantius, quàm, *Hic crudelis amor tauri?* Nec aliter ergo iudicandũ eſt, cum amplificationis cauſa, uel energiæ, modus pro modo ponitur, tempus pro tempore, perſona pro alia, gradus comparationis pro alio gradu. & genus pro genere: ut, Nihil eſt eo uiro elegantius. Si enim conſequutionis ratione mutent, non alternitas, ſed figura cõſtructionis nuncupabitur ἐναλλαγή. uelut cum infinitiuus pro imperatiuo ponitur à Geometra, uel pro imperfecto indicatiui ab hiſtorico: & caſus pro caſu, It clamor cœlo, fractus membra, Grammaticis relinquemus. Atq; ita quidem fit alternitas. Reſoluitur autem dictio in plura, non ex aliqua declinatione, ſed ex notatione tantum, quæ uocabuli eſt quędam periphraſis: ut, reſponſum dedit, pro reſpondit: pro Conſule, cum qui conſulatum gerit, aut qui conſulari munere fungitur: pro Diu, longo tempore: pro doctiſsimo, maximè doctum, uel qui doctrina uincit cæteros: pro Pelide, filius Pelei: pro lectitare, frequẽter legere: pro tot uiris, tam multos uiros, tantam multitudinem uirorum. Neq; enim hæc inter tropos referes: quia nihil extra dictionem quærimus. tropi ratio ex proximo ſemper, uel ſimili transfert & immutat, ſed alio. Non aliò referes, quoties pro habeo, mutato caſu, uerbum ſubſtantiuum ponitur: ut, Mihi non eſt pater. Et cum duobus, pro efficere: Mihi eſt honori. Et cum alijs nominibus à uerbis declinatis, pro quibus ſubſtituitur: ut, Viuere uitam, obire mortem: Item illa, conferre beneficiũ, afficere beneficio, proſequi odio, efferre laudibus. Et uerbum facio cum alio uerbo: ut, Faciam ut interſim, Nunquam fiet ut credam, Futurum erat ut moreretur. De ſupini autem paraphraſi atq; interpretatione, exẽpla pete ab Eraſmo, ex libro de Copia uerborũ. Porrò autem, quemadmodũ hæc quæ dixi cõmunia ſunt uerbis, nominibus, aduerbijs: ſic modi quidem uerborum tantum exiſtimantur, quantitas autẽ nominũ. Voco autem nunc quantitatem, non(ut ſuperius)amplificationem, ſed quod aliter uniuerſale, & particulare, & pręterea indefinitum uocarunt Ariſtotelici. Vniuerſalis hæc eſt atq; axiomatica ſententia, Omnes poetæ inſaniunt. Particularis & minus axiomatica hęc, Græcorum poetarum eſt mentiri. Indefinita hæc, Fabulæ ſunt poetarum. Prorſus uerò idiotica, Inſanit hic poeta. Sequor dialecticorũ modum. nam Var-

Reſolutio dictionis.

Axioma.

F 2 ro

ro prouocabula illa quæ dixi uniuerſalia, infinita uocat: uocabula (ut gladium, ciuitatem) ut infinita: nomina (ut Romulum, Romā) effinita: pronomina (ut hæc, hoc) finita. Sed facilius capientur à noſtris hominibus illa quæ dixi: maximè cum ſint eadem iam ſuprà declarata primo libro, ubi de propoſitionum ueritate & mendacio ageremus. Poteſt autem uniuerſalis (ne hic erres) per interrogationem fieri: ut, Quis'nam poeta eſt, qui non inſanit? Quam hic non amauit meretricem? Romæ quis non? Et quod ſuprà per æquipollentiam uocaui: Nullus poeta non inſanit. Et reſoluendo: Haud ullus eſt. Et abiurando, cum indefinito nomine: Peream, ſi qui poetæ non inſaniunt: uel, Peream ſi quis poeta ſapit. Sed aliunde petuntur iſtæ figuræ quantitatis. Huius loci uniuerſales ſunt per ęquipollentiam, & reſolutionē, duplicem negationem, & allœoſim. nam ſicut uniuerſalis eſt hæc Vegetij ſentētia, Nemo facere metuit quod ſe bene didiciſſe confidit: ita & hæc ſcientia rei bellicę dimicandi nutrit audaciam: ubi uerbum mutatum eſt in nomē, ſcientiam. In articulis quidem (quibus tamen caremus Latini) nulli dubium, quædā eſt determinatio, quîs ſine uagus atq; incertus uideri ſenſus poteſt: ut, μῆνιν ἄειδε θεά, nullam certam iram petit: ſed, Dic unā aliquam. Verùm cum articulo ſi dixiſſet τὴν μῆνιν, certam, & poetæ notam innueret. Atq; ex generali illa atq; axiomatica ſeu uniuerſali forma ſumentur ſententiæ, quas Græci γνώμας. Sed ut uerè ſententia dici queat, duo requiruntur: unum, ut ſit breuis: alterum, ut quid ſit, aut quid fieri oporteat in uita, demonſtret, quacunq; id figura enūcietur. Etenim ſententia hæc eſt, Cum bonis ambula: quæ nec uniuerſalis eſt, nec omnino pronuncians, ſed cum bonis conſuetudinem habendam iubet: nec uni tantum hoc iubet, ſed omnibus quicunq; uirtutem ſequi uolunt: in quo eſt axioma ſentētiæ, uis etiam ubi per interrogationem proponeretur, uel uota, uel prohibitionē, & aliter quomodocunque. Ergo ut enunciationis formas colligamus, pronunciatio prima eſt ex uarijs modis uerbi, affirmando, negādo, interrogando, deſignando, reſtringendo. Altera, ex quantitate nominum uniuerſalium, particularium, indefinitorum, & propriorū. Tertia, ex partiū orationis mutua alternatione. Vltima, ex uocum ſimplicium in coniunctas reſolutione, uel contrà ex contractione coniunctarum in ſimplices. Quę cum ſint ſatis peruia notaq; ex his quæ diximus, pluribus non immorabor. Quare quod maioris negotij iam reſtat, ſecundum genus interpretationis aggrediamur.

Sententiæ ratio.

Illud autem monere ſæpius non pudet, ut cum eadem exempla repeto in diuerſis locis, tam abeſt ut cōfundere noſtram hanc demonſtrationem debeant, ut mihi ſemper perſuaſerim, ſi diuerſa & uaria (ut multi oſtentandi cauſa faciunt) quacunq; occaſione afferrem,

nemo

nemo exiſtimare poſſet, qua ratione magis in exemplum data ſententia regulam doceret, quàm alia. Cum uerò una eademq́ſubinde repetitur (cum nulla non in omnia genera referri poſsit, et tam figuræ quàm tropi & interpretationis aliquid præ ſe ferat) meritò diſtinguentes in uno omnia, & demonſtrantes, omnium aliorum uim naturamq́ monſtrare comperiemur.

De comprehenſione, ſeu diuiſione altera figura interpretationis. Cap.18.

SIC igitur (ut traditum eſt) enunciata ſentẽtia interdum ſimplex efficitur, unoq́ pũcto terminatur, & cõſtat. ut,

—Deus nobis hæc ocia fecit.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Sæpe multiplex, & diuiſa, diſtinctaq́ colis & commatis: ut,

Inuenies alium, ſi te hic faſtidit Alexis.

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Mæui:

Atq; idem iungat uulpes, & mulgeat hircos.

At de diuiſa quidem nobis ſermo eſt in præſentia. Quam figurã interpretationis alteram Latinè comprehenſionem dicamus, uel diuiſionem (nanq; eadem eſt uis) & Græcè πρόσληψιν. Cuius ſanè ſpecies formasq́ omnes ubi demonſtrauero, tum demũ intelliges fortaſſe noſtræ inſtitutionis huius cõmoda atq; utilitatem. Sed rationem altius repetentes, illud præmittimus, quod in probationum partibus aliquo modo dictum eſt: Si ea quæ ſunt ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους, diuidantur, multas ac uarias dicendi formas accipient: & argumentorum multiplicẽ copiam cum præbeant, etiam orationis cõprehenſioni ſeruiunt. Poteſt autem ea diuiſio de qua loquimur, & ex negotio ſumi, & ex perſona, & ex utroq;. Quando igitur ſenſum ita contigit in duo ſeparari atq; diſtrahi (quod Ariſtoteles dicit εἰς δύο ἐξαμιλλοῦν) ueteres figuram eſſe uoluerunt μερισμόν, id eſt partitionem. Sed meriſmum nos ſub exęquatione mox conſtituemus. Quæ quidem exęquatio uel ſumma, Græcè ἀπάρτισις, ideo ſic dicta ſit, quia orationis duo uel plura membra in unum ſenſum cogit: & unam clauſulam facit ex partibus diuerſis: nunc per aduerſatiuas cõiunctiones (quæ Græcis tritiſsimæ ſunt μὲν, & δὲ) nunc per copulatiuas, nunc alio modo. Ac per aduerſatiuas quidem diuiſa ſententia, meriſmus nuncupatur propriè à doctis: licet nomen generis pleriq; partibus attribuant, & ipſi duos ponamus, unum lubet uocare ἰσάμιλλον id eſt ęqualem: alterum ἀπεριόριστον, id eſt indefinitum, & Latinè diſtributionẽ. Sed iam diuiſionis ſubijciantur exempla. nam ſine exemplis plena tenebrarum ſunt omnia. Nec ſolum negotium diuidi poteſt, ſed & perſona, uti dixi, & utrunque ſimul. Negotium itaq; diuidemus hoc pacto: Non ſolum ego uobis utile cõſilium di-

Comprehenſio. Diuiſio.

Partitio.

Summa.

μερισμός.

Diuiſio negotij & perſonæ.

xi,ſed & manum rei admoui. Atq; unus quidem modus hic eſto diuiſionis negotij,cum utrūq; uel ponitur,uel utrumq; tollitur. Quale eſt, Nō ſolum in ſenatu ſententiam dixi,ſed etiam in prælio manū conſerui. Alter uerò eſt,cum ab altero facto alterum tollitur:ut, Ego quidem author huius belli fui,nec domi tamen deſedi,uobis decertantibus. Contingit autem non ſolum negotium , ſed & circunſtantias etiā diſtingui,ut tempus,locum,cauſam, modum: ſed præcipua in conſiderationem cadunt negotium,& perſona. Nec immeritò . Quoniam circunſtantias omnes uel rei damus , uel perſonæ. Ergo diuiſio fiet pariter ex parte perſonæ cum uno negotio triplex. Prima:Non ſolum ego, ſed iſte idem ſentiebat. Deinde: Neq; ego,neq; iſte. Vel alter tātum: ut,Ego quidem,ſed non iſte. Si uerò & perſonam & negotium diuidis,iuga fiunt diſtinctionis quatuor. Primum,ſi uterq; aliquid poteſt: ut, Non ſolum fidem ego in deliberando ſeruaui, ſed is etiam fortitudinem in pugnando oſtendit. Vtrumq; alter,altero tantum alterum:Pericles quidem,& in prælio & in conſilio magnus fuit : ſed Demoſthenes plus in conſilio quàm in prælio claruit. Ad hæc alter utrunq; poteſt,alter uerò neutrum:ut,Pericles non ſolum ſapiens,ſed etiam fortis fuit:hic nec ſapiens,nec fortis. Deniq; alter alterum poteſt, alter uerò neutrū:ut, Demoſthenes quidem utilia ſemper cōſuluit reipublicę:ſed Æſchines nec fortiter unquā pugnauit,nec ſapientiæ nomine à quoquam laudatus eſt. Atq; his quidē rationibus res & perſonæ diuerſæ uel ſeparātur,uel cōiunguntur. Attamē res eadem nihilo poteſt minus in diuerſa ſcindi : idq; duobus modis . Nā ſi multiplex numero ſit: ut,Non unum tyrannum occidit, ſed triginta. uel ſi ſub genere ſpecies cōprehendatur,aut cum ſpecie genera ſumantur:ut,Si dijs omnia debemus,ergo etiam & liberos:Non ciuem Romanum,non ſenatorem hominem,ſed Conſulem ipſum:nō doctus tantum,ſed doctiſsimus. Totum cum parte:Non arcem,ſed totam urbem . Sic & finitum cum infinito coniungitur: ut,Si quis,ſi unquam, ſi alicubi,ſi quo modo,& ſimilia.ut,Si quis Romanus diues fuit,Craſſus diues fuit.Si aliqua cauſa uiolandum eſt ius,Imperij cauſa uiolandum eſt. Circunſtantiæ diuiduntur:ut,Si quantum in agris locisq; deſertis. Diuiditur negotium,cum contrarijs,ſimilibus,cum cauſis & effectis: ſecum etiam quaſi diuerſum ſit, cōfertur, & diuerſis nominibus repetitur. Deniq; ut abſoluam,quibuſcūq; rationibus efficitur commoratio, ijſdem inuenitur comprehenſio:nec ulla comprehenſio ſine commoratione eſt. Hoc tamen à figuris ſententiæ ſeiunximus,quòd illæ nullam rationem clauſulæ habent:

hæc niſi puncto claudatur,nulla ſubſiſtit.

Idem diuidi poteſt.

Circunſtantiarum diuiſio, & oppoſitorum.

De

De Apartiſi,& eius formis. Cap.19.

OMNIS ergo diuiſio aut exęquata eſt, & ſumma: aut non exęquata,ſed extenſa,& tanquam adaucta. Exæquatam uocabimus ἀπάρτισιν,extenſam uerò ἔκτασιν. Illius exempla ſunt hæc: Tam deeſt auaro quod habet, quàm quod non habet: Non uiribus corporis res magnæ geruntur, ſed prudentia: Neceſſe eſt multos timeat,quem multi timent: Obſequium amicos,ueritas odium parit. Extenſæ uerò ſunt omnes illę,quæ per cōiunctiones cauſales,per coniunctiuas,per pronomina relatiua & alia adijciuntur, & augentur: ſine quibus prior integra eſſe poterat, & perfecta.ut, Diuiſio exæquata. Extenſa.

Mirabar quid mœſta deos Amarylli uocares,
Cui pendere ſua patereris in arbore poma.
Ruſticus es Corydon: nec munera curat Alexis.
Et faciet,quoniam ſordent tibi munera noſtra.

Veruntamen,quia tam in extenſione quàm exæquatione idem contingit,bis ac ſępius repeti: ſi hoc cōtingat,figura dicitur Iteratio. ut, —*Pulcherrimus Aſtur, Aſtur equo fidens.* —Sed iam de Apartiſi agendum. in hac igitur ſumma comprehenſione duplicem inueniemus meriſmum: unum partium æqualium, quem ea propter μερισμὸν ἰσοδύναμον nūcupauimus: alterum infinitum. Et ſub æquali quidem fiunt, ſyſtole & diaſtole, antitheton, ſyſtrophe: ſub infinito, enumeratio,& quem Græcè etiam uocabimus παράλληλον. Ergo ſyſtole & diaſtole comprehenſionem faciunt duarum partium,quarū ex poſitione unius,altera ueluti exurgit: ut, Non ſolum hoc,ſed hoc. Vocari figura hæc Latinè ſolet incrementum: & Græcè ἐπίτασις, quoniam latentem quandam profert comparationem. Vel à maiori ad minus,uel cōtrà. Idcirco formæ huius effectrices ſunt illæ arſes: Nō ſolum,non minus,non magis,non tam, & ſimiles eiuſdem uirtutis. Ad hæc comparationes omnes,in quibus ponitur quàm. ut, Malo diues eſſe,quàm haberi: Antè iniuſta pœna luenda ſit, quàm iuſta repetenda: Tam deeſt auaro quod habet, quàm quod non habet. Malo uirum pecunia,quàm pecuniam uiro indigētem. Et quidem has cum aperta comparatione uocarunt aliqui αἱρέσεις,id eſt electiones: illas per incrementum διαιρέσεις,id eſt diuiſiones. Ad electiones autem & illa referemus infinita atque interrogatiua, Vtrum hoc, an illud? Quare diaſtoles,id eſt ſeiunctionis duæ formę erunt, διαίρεσις atque αἵρεσις. Quæ ſufficiant huic generi. Iam ergo ad contentionem accedamus,alteram exæquationis figuram. Nec ſi ſub diaſtolen reponatur, nihil propterea exiſtima, non etiam per ſyſtolen & diaſtolen plerunque fieri: ſed quoniam eius generis quędam abſque aperta ſubdiſtinctione concipiuntur, præſtat, ut contentionis no-

Iteratio. Apartiſis. Diaſtole. Incrementum. Contentio.

men uſurpemus:quo quidem cum nihil ſit magis aut tritum,aut definitum à præceptoribus, nihil tamen eſt huc uſq;, quod uiderim, minus declaratum.Placuit enim contentio tum proper acumen ingenij,quod continet:tum propter copiam rerum,quæ in diuiſione ipſa ſententiæ apparent præter expectationem.Ad hęc,quia numerum quendam & concinnitatem refert,etiam ſua ſponte incidentē, nullo modo quæſitum,uoluptate affecit. Præterea cum ita conſtituitur, ut adiunctum à propoſitione nō diſſentiat (etſi omnino extra negotium petita)tamen conſequi à natura adeò uidetur,ut non ſolum uériſimilem, ſed neceſſariam uideri ſententiam faciat, quòd inter ſe contraria reſpondent,& propoſitione oſtenſa,pendere ſtatim ac ſequi quodammodo ſenſus contrarius uideatur. Sic nimirū imponit ſophiſta. priori nanq; ueræ, falſam alteram partem ſubijcit:qua captus uoluptate auditor,& ab altiori conſideratione ſeuocatus, ſic ueram eſſe alteram ſtatim putat, ſicut ueram eſſe priorem arbitrabatur.Quare nihil mirum,ſi tam frequens eſt uſus Antitheti.

Antithetō. Sit ergo antitheſis,uel antitheton, (utroq; modo contentionem uocamus)ex partibus contrarijs,tanquam contrarijs, comprehenſio.Cæterùm ut Hermogenis ſententiam intelligas (quem inuenio præter cæteros figuram hanc interpretationis declaraſſe)Rhetoricum antitheton aliud eſſe dices,atq; contrarium.Figuram nanq; illam,quæ cum fictione ingreditur,per occupationem,ſiue anticipationem,Hermogenes antitheton finiuit,non aliud.Itaq; non magis interpretationis erit, quàm ſententiæ,figura. ut, Si in pace degeremus,conſiliū tuū probarē:ſed quia bello premimur,tempori cedendum eſt.

Ariſtotelis ſententia. Ariſtoteles autē nō diſtinxit contentionē, neq; à cōtrario, neq; ab oppoſito: poſuit tamē exēpla quædā ad Alexandrū, in quibus ſentētiæ nunc ſola uirtute opponuntur,nunc ſolis uerbis,nunc etiam & ui & uerbis. Vbi ſenſus & uerba opponuntur, exemplum dat:Iniquum eſt,hunc me meis rebus ſpoliādo diuitem fieri,męe uerò meis rebus ſpoliatum pauperem euadere.Hic nomina tātum opponantur.Dabit igitur diues ac locuples pauperi & egeno. Vbi uerò ſententiarum uis ſola aduerſatur,hæc erit:Ego hunc,aduerſa ualetudine laborātem curaui, ipſe uerò author mihi multorū malorū fuit.Verùm enimuerò Hermogenes nulla ex his antitheta,ſed *ἐναντία* cenſet appellanda.Quoniam cum conſtet antitheton figura ſermonis:hæc in acrimonia ingenij ſita ſunt,qua argumentum ergaſia confirmatur,non in uerbis.Fieret autem eius antitheton,ſi ſic exponeres:Iniquum non eſſet,ſi hic abſq; meo incommodo locupletaretur, ne ego meis rebus ſpoliatus pauper fierem: ueruntamen cum me meis rebus ſpoliando diuitem fieri,meq; meis rebus ſpoliatum pauperem euadere, iniquum eſt. Item & alterū, ſi pauper daret diuiti,

uiti,reprehēdi poſſet:atqui nunc diues & locuples dat egeno. Itaq;
rationē & uim antitheti Hermogeniani in hoc conſtitues,ut ſi non
factū eſſet quod factū eſt, aut ſi factū eſſet quod factū non eſt, inde
aliquid inferatur. Contrarij uerò cōtentio(quam Græci ἐναντίωσιν)
rem conuertit ab agentibus in patientes, & à patiētibus in agentes:
ut in eo exēplo, Diues dat pauperi: inimicis placabilem te præbes,
amicis inexorabilē:confer hanc pacē cum illo bello, huius Prętoris
aduētum cum illius Imperatoris uictoria, huius cohortē impuram
cum illius exercitu inuicto, huius libidines cum illius continentia.
Atq; hęc quidē mens Hermogenis: à quo nec mihi animus eſt pror
ſus diſſentire. Verùm quia non una eſt huius rei ratio, nec uno ge-
nere continetur: magis propria mihi uidetur & ſanè compendio-
ſior finitio Ariſtotelis,quia continetur hoc antithetum Hermoge-
nis non una figura,ſed duplici:& ex contentione cōſtat,& alia figu-
ra connectendæ orationis, de qua mox dicemus: nec ſimplex in eo
reperitur diaſtole,aut διάλυσις,ſed omnino duplex. Itaq; multo ſa-
tius erit,ſi ſuo quæque loco,& nominibus proprijs diſtinguantur.
Dicemus igitur alia ἐναντία,id eſt cōtraria:alia ἀντικείμενα, id eſt op- Contraria.
poſita: alia ἀντιλέγοντα, id eſt contradicentia: alia demum ἀντίθετα.
Et contraria quidem(quæ maxima eſt oppoſitio)facient,quęcunq;
in eodem genere maximè diſtant: cum uidelicet hæc ab agentibus
in patientes,uel contrà transferūtur:ut,Robuſtus debilem oppreſ-
ſit. Negatio enim rei oppoſita, non contrarium quid,ſed diuerſum
potius eſſe ſignificat,& ab ea differre,& definita magis, quàm incer
ta,ſibi reſiſtere,pugnamq; ciere poſſunt:& ſpecies diuerſæ in figu-
rarum generibus commiſcentur,ſæpe quidem aliæ, aliæ uerò nun-
quam,ueluti contrariæ. Non ergo perperam dixi, contrariorum eſ
ſe maximam oppoſitionem. Altera ſpecies contentionis,in qua po
ſui oppoſita & ἀντικείμενα,diuerſas habebit ſententias:quæ licet na- Oppoſita.
tura non opponantur inter ſe,uel ex nominum ui oppoſita,uel ex af
firmatione unius & negatione alterius(ut in antitheto)tamen cum
ita coniunguntur tanquam repugnantia, (quod à coniunctione ef-
ficitur aduerſatiua)ea uocentur oppoſita tantum,uel diuerſa, & fi-
gura Græcè παραδιαστολή. ut,Ille quidē ſapit, ſed populus bellum cu-
pit: officium fecere pium, ſed inutile nobis. Declarant autem hanc
figuram παραδιαστολὴν coniunctiones aduerſatiuæ, licet, quamuis,
quanquam,etſi,ut,& ſimiles. item Græcorum μὲν & δὲ,cum ea ſepa-
rant,quæ natura non opponuntur:nos ſolemus per, Quidē,& ſed,
exponere. Contentio quoq; per reſtrictionem quædam erit, cum Reſtrictio.
ſequetur uniuerſalem propoſitionem particularis. ut,Omnes odit,
præter bonos. & negatiuè. ut,Nunquam ſapit, niſi inter muliercu-
las:Nihil ei deeſt,quàm uirtus & diuitiæ, pręſertim omnia timenti.
Vocabimus

Vocabimus itaq; has contentiones uel reſtrictas, uel contradicentes. Sed ſupereſt antitheton. Huius ergo in gratiam, Hermogenis duplicem formam trademus: unam, quæ ſola conſtabit arſi & theſi, ſola inquam remotione aſſumpti (Græci uocant ἀναίρεσιν) & ex affirmatione & negatione conſtituitur. Exemplum ex diuiſione rei: Nõ furem, ſed latronem. Ex perſonæ: Ego quidem, ſed non iſte. Nec ſecus ducitur ex aliarum remotione circumſtantiarum, ut ſublato antecedente, ponatur adiunctum. Non hoc loco, ſed alio: non nunc, ſed olim: alterum itaq; antitheton uocabimus poſthac hypotheticum, aut (ut ſuprà) fictum argumentum. Quod quia potiſsimum in duplici dicendi figura ſitum eſt, ut iam apparet, procliue erit inuentu: dum cõtrarium eius, quod factum eſt, præſumatur. ut, Si in pace degeremus, cõſilium tuum probarem: ſed quia in pace non ſumus, conſilium tuum non probo. Si eſt facturus ut ſit officium ſuum, faciat: ſin aliter de hac re eſt eius ſententia, reſpondeat mihi, ut quid agam quamprimùm ſciam. Habet ergo figura hæc (ſi aduertis) duplex antitheton, aut duplicem potius comprehenſionem: unam ſcilicet, argumenti, alteram eius contrarij. Quo loco non eſt ignorandum, omnes alias diſtinctiones, quas uidiſti hactenus, per antitheton hypotheticum poſſe circũduci. Sed quia de hac plura diximus in probatione, & ſequẽtis figuræ participat, nihil amplius addam. Illud tamen obliuioni caue tradas: omnem antitheſin, quo ſimplicior eſt, eo eſſe uehementiorem: productam longius, latere: uitioſam præterea omnem, cui cum uero negotio falſum redditur. Vbi ſophiſta ſpecie antitheti imponit. Et dicitur à Græcis uitioſum antitheton, κακοῆθες. Atq; hæc quidem hactenus de contentione, & diaſtole. Sequitur συστροφή, his diuerſa. neq; enim ſeparat, ut diaſtole: neq; opponit, ut antitheſis: ſed conuertendo partes rurſum uerſus, per relationem aliquam aut ſuppoſitionem comprehendit ſenſus duplices. ut, Quem quiſq; odit, periiſſe cupit. Vtrumq; in hoc Terentij: Nunc, ſi hoc omittam, actum agam: ubi illinc rediero, nihil eſt. Ergo ſyſtrophe, id eſt conuerſio, exæquatio eſt & circulus quidam ſententiarum, res diuerſas ac differentes inter ſe cum una aliqua circunſtantia committens: aut eandem in ſe ipſam conuertens, cum relatione ſubſtãtiæ, aut qualitatis, aut quantitatis. Et priorem partem ita ſuſpendit, ut quemadmodum etiam in diaſtole, niſi alia ſequatur, ſenſus non cõquieſcat. Id præſtant particulæ orationis quæ dicuntur συναπτικαὶ, id eſt continuatiuæ: non raròetiam obliquitas caſuum nominis ac uerbi. ut,

Vere nouo gelidus canis cum montibus humor
Liquitur. —Figuram hanc uocat Hermogenes περίοχον, Vlpianus ἀνθεσρομὴν, alij πλαγιασμόν. Sed exemplis nos rem exponamus. Primùm

Antithetõ. Syſtrophe.

mum circunſtantiæ referuntur in his: Ibi reperit, ubi reliquerat: Tum cognouit, cum uidit: Quia metuebat, ideo negauit: ſic pugnabant, quemadmodum galli. Omnia hæc aduerbia, quæ hic uides, referunt aut locum, aut tempus, aut cauſam, aut modum. Iam relatio ſubſtantię in his erit. Ii Iudices electi ſunt, qui cauſam non norūt. Qualitatis: Talem reddidit, qualem acceperat. Quantitatis: Adeò timuit, ut nihil ſuprà: Tantam fidem pręſtitit, quantam promiſit. Hæc igitur conuerſionis forma ac periodi, quoniam (ut liquet) omnis facta eſt cum relatione aliqua, non immeritò dici debebit comprehenſio *ἀναφορικὴ*, hoc eſt, relata: aut etiam aliter *κατ' ὑπόστασιν*. Alia relatione caret, ſed ex hypotheſi ſenſum connectit: & dubia dicitur, Græcè *διστακτικὴ*. ut,

Si mea cum ueſtris ualuiſſent uota Pelaſgi,
Non foret ambiguus tanti certaminis hæres.

Eſtq́ expoſitio hæc antitheti Hermogeniani. Suppoſitione etiam fit *ἐπίβασις*, non tantùm diaſtole: quando à minori ad maius, & ad id quod ſupra maximum eſt, tanquam per gradus deducimur. ut, Si ne uerbo quidem licitum eſt uiolare pietatem, nec obſequium quidem denegare parentibus: iam in eum qui genuit uerberibus uti, nō proximum parricidio uidetur? Iam ergo patêre poteſt ex his, quæ ſit origo & uis earum alternitatum, quas cum Plutarcho diximus *ἀλλοιώσεις*: quæ uerba in participia, & hæc in modos, non abſq; elegantia cōuertunt. nihil enim aliud eſt, *Feſſi bello, fatiśq; repulſi*, quàm, cum feſſi eſſent bello, fatiśq; repellerentur. Et,

Nigra quòd infuſa uaneſcat ſepia lympha.

quia infuſa ſit lympha. Quod ſi cum uerbo conuenire non poteſt, abſolutè dicemus, Inſtante Phocenſi bello, incipiēte uere. Atq; hęc quidem ratio cōuerſionis. Cæterùm latêre hoc te nolui. Licet partem comprehenſionis fecerim Apartiſin, & ſub hac Meriſmum duplicem cum ſyſtrophe conceperim: tamen Hermogenes ſchemati, quod modo dixi *ὑποτείχον*, non ſolum hęc, ſed omnem ſubcōtinuationem ſubiecit, ut etiam non iniuria figuram ipſam uocare poſſimus ſubcontinuationem, cum Trapezuntio. Nam non ſolum *ὑποτείχον* eſt conuerſio, ſed in uniuerſum, quoties in priori ſententia animus non quieſcēs, ulterius aliquid expectat: ut per diaſtolen atq; incrementum, non tantum magis, quāquam: per hypotheſin, ſi: per hypoſtaſin, quoniam, cum, quia, adeò, tam, ſic, ita: per relationē ſubſtantiæ, quæ: quantitatis, quantæ: qualitatis, qualia: per relationem circunſtantiæ, tunc cum, eo modo quo: per ablatiuum abſolutum, *Vere nouo*: & omnem obliquum ingreſſum, *Vrbem quam dicunt Romā*: per ordinationem, Primum quidem hoc: per hyperthesin etiam, de qua mox dicemus. Et hæc quidem optimè Hermogenes. Nos ergo

Subcontinuatio.

Syſtrophes à Diaſtole diſcrimen. go ſyſtrophē à diaſtole ita ſeparamus, quod partes duas inter ſe ſic committit & confert, ut planè complicari eas, coireq́ in unum ſenſum atq; ſpiritum faciat: diaſtole uerò eaſdem diſtinguit, ac ſeparat, & tanquam diſiecta proponit. Etenim epitaſes illæ, Non tantum hoc, ſed hoc, differentiam quoq; innuunt. Antitheſis uerò non modò ſeparat, ſed opponit unum alteri. Tribus tamen commune eſt, quòd omnes ex æquo ſententiam in duo ſortiuntur: quod eſt oſten ſum munus apartiſeos. Ergo cum & exęquationis facta ſpecies una ſit meriſmus æqualis, in quo uidelicet alternatim poſitæ partes ſibi reſpondeant, nec plures eſſe quàm binæ poſſint: conſequens ſit, ut diaſtole, antitheſis & ſyſtrophe, æquales meriſmi appellentur: non quidem ex forma ſeparationis, ſed ex duplici interpretatione: quod

Diſtributio. ex ſuperius dictis patet. Ergo ſuccedit declarandus alter ille meriſmus, quem à priore finito, & ęqualiter diuiſo, tanquam infinitum, nec unius numeri partium authorem ſeparaui. Hunc Latinè Diſtributionem uocabimus: cuius uis magna in orationis elegãtia deprehenditur. Neq; enim aliud quicquam tantum hanc profert, tamq́; diſtinctè atq; appoſitè omnia eloquitur, quàm partium breuis atq; *Diſtributionis formæ.* exacta diſiunctio. Inuenio autem diſtributionis duas formas præcipuas: in quas poteſt tota diſtingui, abſque difficultate. Vna dicitur Græcè ἀπαρίθμησις, id eſt enumeratio: altera παράλληλον, id eſt æquè diſtans, ſeu comparatè appoſitum: Latinè diſiunctio dici poterit. Et utraq; harum formarum ſenſum diſtinguit & ſeparat tanquam in partes: ſed enumeratio partium aliam ſub alia collocat, & cum dictione aliqua numerali diſtinguit. Æquè diſtantibus licet ea inſit ratio, ut unum ſubijciat alteri, non tamen cum aliqua ratione numeri. Sic ſeparatæ ſpecies deprehenduntur à priori, & ad lancem quaſi trutinato meriſmo. Sed exemplis declaremus: & ſub enumeratione collocemus tres figuras interpretationis omnino differentes. qua-

Partitio. rum prima dicatur propriè partitio, quòd aduerbijs inde formatis

Ordinatio. utitur: altera ordinatio, quòd aduerbijs uel nominibus ordina-

Electio. libus: tertia electio ſeu prælatio, quam Græci προτίμησιν dixere:

Enumeratio. quarta, ſed quæ propriè enumerationis nomen ſibi uſu cepit, conſtat hypoſcheſi, & epanodo, id eſt promiſsione, & redditione. Prima igitur partitio illa hoc modo fit: Partim quia inuidebant nobis, partim quia timebãt ſibi. Ordinatio uerò, quæ quibuſdam ἐξαλλαγὴ, ſic inſtituitur: primò quidem decipi incommodum eſt, iterum ſtultum, tertiò turpe. Protimeſis non procul diſtat ab ordine: niſi quòd pro ordinali maximum quid præmittit. ut, Maximè hoc tua cauſa, deinde fratris mei, abſoluam. Summa uerò illa enumeratio (quam partitionem & enumerationē, nec aliter ferè dicũt) primùm coaceruatim proponit, deinde redeundo ſeparat. ut,

—In

—In utrumq; paratus,
Seu uerſare dolos, ſeu certæ occumbere morti.

Intelligo, Iudices, tres totius accuſationis partes fuiſſe: & carũ unam «
in reprehenſione uitæ, alterã in contẽtione dignitatis, tertiam in cri «
minibus ambitus fuiſſe uerſatam. Hac uti nos in hiſce partitionibus «
oratorijs, & finitionibus (quas ſuſcepi) frequentius neceſſe eſt, q̃
dictionis fortaſſe exigat maieſtas: ſed cum didactico generi, & ana-
lytico, quo hæc ipſa exponuntur, nihil magis congruat, claritati in-
ſeruiamus, non amplitudini. De parallelo igitur dicamus ſuauiſſi- Parallelũ.
ma inter omnes interpretãdi figura, nec (licet acutiſſima) minus ta-
men facili inuẽtu. Eſt hæc in diſtributione quędam παρομέτωσις, quæ
aliud alijs diſtribuens, ſingula ita refert cum adiunctis ſingulorum,
ut à ſe inuicẽ ſeparata ſimul & iugata proferat: etſi ſine dictione nu-
merali, non tamen ſine eius omni ui. Nam cum uni ex partibus ora-
tionis, ex quibus eſt facta diſtinctio, altera adhæreat: ſimili propor-
tione cæteris adduntur aliæ, ſicut illi ſua adnexa eſt. ut, Labor in ne-
gotijs, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in confi-
ciendo, conſilium in proſpiciẽdo. Item, inertiam fuga laboris, repu-
diatio ſupplicum ſuperbiam, amicorum neglectio improbitatem
coarguit. Item, Me accuſat, hunc condemnat, illum punit. Solis adie
ctis epithetis facta eſt σχίσις ὀνομάτων:

Marſa manus, Peligna cohors, feſtina uirûm uis.

Hic autem meriſmus παράλληλος quando duas tantum partes habet,
minus deprehenditur, minusq; eminet: ſed nõ minus ſuauis eſt ob
uerborum commenſurationem, & caſus ſimiles. Ergo ſi non fre-
quentia, ſed tãtum quaſi ſimilia ſint ſimilibus relata: & quæ ui ſunt
eadem, caſibus tantum mutentur: commutationem Latini dixerũt: Cõmutatio.
Græci quidam μετάθεσιν, id eſt tranſpoſitionem, uel inuerſionem:
alij ἀνάκλασιν, id eſt refractum. Inuertit nanq; ſurſum uerſus nomi-
na, & plerunq; ornat antitheſin. Alij συνοικείωσιν, id eſt, communio-
nem: quia utrumq; tribuit ſenſum. Alij πλοκὴν & implicationem. Fa
bio ἀντιμεταβολή. ut, Non ut edam uiuo, ſed ut uiuam edo: Eripis ut
perdas, perdis ut eripias. Doctorum eloquentiſſimus, & eloquen-
tium doctiſſimus. Et quod pro cõcione dixit Curius: Tantum agri «
cæpi, ut ſolitudo futura fuerit, niſi tantum hominum cæpiſſem: tan «
tum porrò hominum cæpi, ut fame perituri fuerint, niſi tantum a- «
gri cæpiſſem. Itaq; cum in commutatione partes opponantur ge- «
minæ, conſequi facile exiſtimabis, ex utraq; parte (tam extremis in-
quam, quàm tota clauſula) uariari poſſe figuras apartiſeos. Hic e-
nim tota comprehenſio antithetica terminos habet extenſos per ut
finale: Non ut edam uiuo. Illic uerò frequentata comprehenſio ter-
minos antithetice compoſitos: Craſſus erat elegantium parciſſi-

mus, Scæuola parcorum elegantiſsimus. Neque enim ſolum uerba uerbis refert hæc diſtributio, ſed etiam ætiologias (& uocant προσαπόδοσιν, id eſt ſubiectionem.) ut, Necq; accuſatorem metuo, qui ſum innocẽs: necq; eum competitorem uereor, qui eſt Antonius: neque conſilium ſperni puto, qui ſum Cicero. Sed hæc figura potius mihi uidetur ratiocinatio dicẽda, quàm illa ſuperius poſita ſyndrome in interrogatione. necq; enim fit hæc ſine cataſtaſi, ut illa: Vocat, ueniendum eſt: poſcit, dandum. Quòd ſi ratio diſtribuatur poſtea cum epanodo, figura fit cognata dilemmati, quam plericq; communi eodem nomine dicunt, προσαπόδοσιν. ut, Præſtat nemini imperare, quàm alicui ſeruire. Sine illo enim honeſtè uiuere licet: cũ hoc uiuendi nulla conditio eſt. Nec alia eſt, cum re generatim propoſita ſuum cuicq; proprium diſtribuimus. ut, —*In utrumq; paratus,*

Seu uerſare dolos, ſeu certæ occumbere morti.

Proſapodoſis.

Vis enim in epanodo tota exercitur huius formæ. Vt & illud: Omnes corporis partes ad nequitiam ſunt appoſitæ: oculi ad petulantiam, manus ad rapinam, uenter ad audaciam. Et ſequitur commutatorum comprehenſio: Prorſus ut aut ex hoc uitia, aut ex uitijs ipſe ortus eſſe uideatur. Quanquam diſtributio appoſita, magis ſpiritũ facit ex figurę ſimilitudine: & extẽſionem, quàm exæquationẽ: quia nulla præcedit hypoſcheſis, quæ ſenſum ſuſpẽdat. Sed in hoc quòd ſingula ſingulis tribuit, in quo & ſpiritus figura ſita eſt, diſtributio dici ſolet. Et erit in extenſione diſtributio. ut & in illo,

Compulerantq; gregem Corydon & Thyrſis in unum:

Thyrſis oues, Corydon diſtentas lacte capellas.

Dilemma. Reſtat figura dilemmatis. huius ergo ratio eſt in duarum partium diſtributione: eacq; rerũ contẽdentium. Hoc enim differt à proſapodoſi, quæ multas, nec contrarias probationes habet: hoc ſemper duplex, ſiue cum una fiat redditione, ſiue cũ duplici. Illius exemplũ ſit: Non eſt ducẽda uxor. nam ſiue pulchrã ducas, ſiue turpẽ, mœrebis. Alterius: Si pulchrã, zelotypia uexabere: ſi turpẽ, tædio. Itacq; diſtributa ratio diſiũctę propoſitionis hoc ipſum efficit, quod uocamus dilẽma, cornutum argumentũ. Cuius uis & robur in conflictatione oppoſitorũ ſitũ eſt. Sicq; in anguſtias cogitur aduerſarius, ut utrũuis admittat, in manifeſtam incidat reprehenſionem. Sed de dilemmate, in uiolatione ſuprà traditum abundè eſt.

De frequentatione & hyperbato, extenſionis figuris. Cap. 20.

Extenſio. EXTENSIONEM uocabimus, & Græcè ἔκτασιν, cum oratio ulterius contendens, retrò nihil agit: ſed ita complecti plura deprehenditur, non ſicut in urbe, ſed ſicut in uico coniunctas ædes, quæ ſe nunc iuxtà, non longius ſequuntur, nulla ad alterius mutuam cõſtructionem aut ſitum reſpectante,

ctante. Hac potiſsimum illa dicendi idea prodit quam planam uel latam, rotundæ contrariam poſuerunt. Huius ego duplicem modũ facio. Et primum quidem frequentationem uoco, alterum hyperbaton. Frequentatio eſt, cum neq; ut oppoſita, neq; ut relata, neque Frequentatio.
ut comparata, ſed ſolum tanquam plura (eiuſdem tamen rationis)
connectuntur, aut copulatiuè, aut diſiunctiuè. ut, Et conſilio, & o- «
pibus, & manu remp. iuui. «

Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus author:
His lachrymis uitam damus, & miſereſcimus ultrò.

Quis author? quid'ue petunt? aut quæ religio? quæ machina belli? Figuram ergo Græci πλῆθος, id eſt multitudinem, Hermogenes πνεῦμα, id eſt ſpiritũ dixit. Vocari inciſio poterat, propterea quòd Spiritus.
crebra reſpiratione, crebra interualla metitur. Et ita dixerunt quidam διεχῆ ὁμμιγία ἀλλήλων. Philoſtratus uidetur appellaſſe κρότον, ut ſi dicas Latinè plauſum. Eſt enim mihi frequentatio duarum, aut plurium partium eiuſdem figuræ, ueluti cum frequenti plauſu, copulatio, uel diſiunctio. Neque enim tollit unum, ut alterum ponat: nec opponit unum alteri, aut refert, ut exæquatio: ſed tãtum ut plura numero recenſet, & tanquam ſeparata diſponit. Nec in ſententijs modò fit, ſed etiam in ſolis uerbis. —*Athamasq́, Thoasq́,*
Pelidesq́ Neoptolemus.—In ſententijs,
Troiaq́ nunc ſtares, Priamiq́ arx alta maneres.

Sunt enim multa ſimilia, ſtares, maneres.
Hoſtis habet muros, ruit alto à culmine Troia.

Verba multa eiuſdem modi, temporis & perſonæ, & numeri. Minor hic ſimilitudo eſt, ſed tamen frequentatio participij,
Incumbens aræ, atq; umbra complexa penates.

Maior, aut certè euidentior, ob iterationem præpoſitionis, hic,
—*Per tela, per hoſtes.* Diſiuncta ſunt:
Aut hoc incluſi ligno occultantur Achiui,
Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros,
Aut aliquis latet error.—Cæterùm ut eſt omnium figurarum quædã antimetabaſis, atq; etiam commixtio: ſic dicere nobis licebit frequẽtationes, in quibus eſt ab initio poſita ſuſpendens ſenſum coniunctio, frequentationes cõprehenſas, aut ſuſpenſas: ut in quibus præeunt coniunctiones, Et, uel, nec, tum, cum, & Græcorum τε.
Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus author.

Item, Ergo & meæ priſtinæ uitæ conſuetudinem C. Cæſar intercluſam aperuiſti, & his omnibus ad bene de repub. ſperandum quaſi «
ſignum aliquod ſuſtuliſti. Et quia ſemel de hac figurarum cõmixtione dictum nobis eſt, neceſsarium quoq; uidetur, ut naturã perfectè teneas, non ſolum huius qua de agimus frequentationis, ſed

etiam aliarum omnium: quandā eſſe figurā, quę omniū figurarum
Suſtentatio omnium figurarum figura. dici poteſt, & comprehenſio. Eam Gręci ὑπομονὴν, nos ſuſtētatio-
nem dicimus: cū ſcilicet in elocutionis eadē forma hęremus diu. Ei
cōtrarius μετασχηματισμὸς. Et quanquā ſanè hæc in aliјs figuris, ubi
hærēt uel mutantur, nullū propriū nomen habent: in frequentatio-
ne tamē hypomone nomē ſortitur ſpeciale τάσιν (cum plures ſentē
Productio. tiæ per ſpiritum ſeu frequentationē iunguntur) Latinè productio-
nem ſpiritus: cum uerò nomina plura, συναθροισμὸς, id eſt cumulus,
Congeries. ſeu congeries eſt: nempe cum ultra duos ſenſus aut dictiones, am-
plius adhuc in eadem frequentatione inſiſtimus: nec refert polyſyn
theta ſint, an aſyntheta. Efficiunt hæc, uerba eiuſdem temporis aut
modi, participia, pronomina: nomina eiuſdem caſus, eiuſdem decli
nationis, & id genus: denique tam conſtructionis quàm interpreta-
tionis omnes modi & formæ congeries: ut, —*Athamasque, Thoasque,*
Pelidesque Neoptolemus.— Productio ſpiritus:

Hærent parietibus ſcalæ, poſtesque ſub ipſos
Nituntur gradibus, clipeosque ad tela ſiniſtris
Protecti obijciunt, prenſant faſtigia dextris.

Ex infinito producta hæc eſt,

Inſtaurati animi regis ſuccurrere tectis,
Auxilioque iuuare uiros, uimque addere uictis.

Quanquam certè non admodum extenſa hæc frequentatio eſt, &
indigna eo nomine. Iubet enim Hermogenes, ut maior ſit, quàm ut
Spiritus. uno ſpiritu proferri queat. Ideò putarunt quidā ſpiritum eſſe, quo-
ties ſupra periodum aliquid adijcitur: ſed falſo. Eſt enim ſpiritus,
quoties ſub una figura plura membra aut commata, quàm duo con
iunguntur. Quæ ſi adhuc alio ſpiritu excipiantur, tunc fit extenſio
atque productio, illa quā dixit Hermogenes τάσιν. Si adhuc amplius
Acme. alia excipiatur: iam fiet Acme. Exemplum habes in ultimo parado-
» xo Ciceronis: Nam ſicut iјs qui honeſtè rem quęrūt, & quæ ſequun
tur. Porrò hanc ſi in accuſando fiat, dici idem iubet καταφορὰν,
» quaſi impetum, Demoſthenis peculiarem figuram. ut, Polluerat (in
» quit Cicero in Miloniana) ſtupro ſanctiſsimas uirgines, ſenatus gra
» uiſsima decreta perfregerat, & quæ ſequuntur. Itaque quemadmodū
ſi in eadem hæreas figura, nouam figuram paris: ſic ſi in figuris tan-
ta ſit mutatio, ut nulla alteri ſimilis ſequatur, nomē aliud erit ὠλγο-
Percurſio. χασμὸς: nos fortè dicimus percurſionem. ut,

Huc tandem concede, hæc ara tuebitur omnes,
Aut moriere ſimul. — Mutari igitur figura ſpiritus poteſt nunc per
uerba, nunc per participia, nunc per alias partes orationis: & rur-
ſum, per caſus, per tempora, item per conſtructiones, & quæcunque
tam hactenus expoſita ſunt, quàm inferius dicentur de figuris, qui-
bus

bus & ſpiritus conficitur. Et ferè ſit, ut poſt mutationẽ ſpiritus alia quædã comprehenſio ſequat̃, quę uelut crepidine ambit uniuerſam periodum. Exemplo Diui Pauli uolo diſcas hunc uigorem. Ad Romanos ſic ſcripſit: πεπληρωμένους πάσῃ ἀδικίᾳ, πορνείᾳ, πονηρίᾳ, πλεονεξίᾳ, κακίᾳ, μεστοὺς φθόνου, φόνου, ἔριδος, δόλου, κακοηθείας, ψιθυριστὰς, καταλάλους, θεοστυγεῖς, ὑβριστὰς, ὑπερηφάνους, ἀλαζόνας, ἐφευρετὰς κακῶν, γονεῦσιν ἀπειθεῖς, ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους, ἀστόργους, ἀσπόνδους, ἀνελεήμονας. Viden' quàm uariè uigorem ſectatur? Per datiuos eiuſdem declinationis primùm: deinde per genitiuos, primùm duos ſimiles, deinde tres differentes: ſequuntur hæc accuſatiui diſsimiles omnino, appoſitis duobus cum adiunctis. Poſtremò omnia priuatiua: duo quidem ſimiliter deſinentia, deinde alia duo, & tertium diſsimile. Et denique ſermonem (ſi quæ reſtant quæris) periodo claudit: in qua eſt comprehenſio conuerſa, ſeparata, & extenſa. Atque hæc de multitudine, ſeu frequentatione, qua fieri ſolet oratio commatica & gorgotes: ſequitur Hyperbaton. Et duplex quidem eſt hyperbaton: lõgum & breue. In longo, cauſa cauſæ inſeritur: aut per ſchediaſmum longè producitur ſententia. Breuis eſt quæcunque ſententiæ adiuncta ſententia, abſque apartiſi aut frequentatione. Et additur ſententia quidem per relationem à tergo continuatam, uel ſubſtantiæ, uel qualitatis, & aliorũ: præterea cauſæ, modi, finis. Et figuram Græcè ἐξάρτησιν, Latinè appendicem uocabimus, & extenſionem. Subſtãtiæ eſt: Quam nõ didicimus. Finis, ut ſi quãdo uita noſtra in uim & tela incidiſſet, &c. Cauſę, illæ quę cum cõiunctionibus paraſynapticis apponuntur: quia, quoniam, & ſimiles: aliter ætiologicę dictæ. Neque differunt huius figuræ cõiunctiones atque inſtrumenta ab ijs quibus efficitur apartiſis: niſi quatenus hic à tergo abſque propoſitione aut ſuſpenſione aliqua ſubijciuntur priori ſenſui: illic ita ſenſum deuinciunt, ut neque prior pars ſine altera, nec poſterior ſine prima eſſe poſsit, ſed tota comprehenſio ex principio & fine cõſtet. Nam ſi dicas, Nõ furem, ſed latronem: apartiſis eſt. Si, latronem, nõ furem (quia theſis arſin præceſsit) extenſio erit. Itaque extenſio fit ſequente particula, quæ alioqui poterat ſenſum ſuſpendere: quod ſatis eſſe puto. Itaque epanodos etiam extenſa fiet, ſi eodem modo res (licet confuſe propoſita) nihil tamen promittat. ut,

Compulerantq́ue gregem Corydon, & Thyrſis in unum:
Thyrſis oues, Corydon diſtentas lacte capellas.

Illa autem quæ per appoſitionem ſequũtur, omnia ad relationem referes ſubſtantiæ. ut, Paulus apoſtolus ſegregatus in Euangelium Dei, &c. quorum exempla ſunt apud Platonem plurima ad orationis dignitatem atque ſplendorem affectata, ut quibuſdam uidetur. Participijs enim & adiectiuis nominibus adeò producit interdum

G 3 ſententiam,

ſentẽtiam,ut fuſus nimium uideri poſsit. Sed ideas Diuinus ille ſermonis conſectabatur uarias, quod pauci obſeruarunt. Hac igitur continuatione ſententiarum,quæ eſt per relationem,quoniam oratio plana fit,& languidula atq; etiam ſupina:ut excitetur aliquo modo,atq; erigatur,ſubſidio eſt ἐπεμβολὴ,id eſt iniectio,uel (ut alij dicunt) παρεμβολὴ, uel παρέμπτωσις, & διακοπὴ, id eſt interfatio, quæ breuis eſt parentheſis. Sed duobus modis aliquid medium inijcitur. Vnus eſt, per parentheſin, alter per hypertheſin. Parentheſis quòd Græcè notior eſt,nihil indiget Latino intellectu: quanquam uocari interpoſitio poteſt à Macrobio. Solum illud minimè ignorandum, per parentheſin ſic inſeri ſententiam, ut ſine qua non minus integra eſſe poſsit reliqua oratio.

Parentheſis.

Dædalus (ut fama eſt) fugiens Minoia regna.

Quod enim incommodum,ſi abeſſet illud, Vt fama eſt: nullum ſanè in intellectu & ſententia. Hyperthesis autem continuat ſimul,
» atq; ſuſpendit ſententiam, antequam abſoluatur. ut, Qui niſi in re-
» publica natus eſſet,rempublicã ſcelere Antonij nullam haberemus:
» ſic perſpicio iudices,ſic iudico, niſi unus adoleſcens illius furentis
» impetus cohibuiſſet,rempub. funditus interituram. Item, Dederas,
» quàm contemneres populares inſanias, iam ab adoleſcentia docu-
» menta maxima. id enim, Quàm cõtemneres populares inſanias,per hyperthesin iniectum eſt: ut illa, Niſi,&c. Græcis hæc figura ſubinde uſu uenit, cum articulum articulo præponunt. περὶ δὲ τῆς παιδῶν ἀγωγῆς· Τὰς τῶν εἰς τὸν πόλεμον παρασκευῶν ἀφθονίας. His ſimilia paſſim occurrunt. Illud uerò Virgilij, *Ille ego, qui quondam*: certè traiectio longa eſt, & hypertheſis. Vnde etiam illud ſequitur: nõ alijs uerbis, ſed iiſdem, fieri exarteſin, & hypertheſin, atq; etiam conuerſionem. Siquidem præmiſſæ hypoſtaſes uel conditionalis, ſenſum conuertunt: poſtpoſitæ extendunt, tanquã appẽdices innexæ: in medio, diuellunt, & quaſi dilatant: & aliæ alijs iniectæ, ſchediaſmũ, lõgumq; efficiunt hyperbatum: ſicut aliæ alijs quoq; appenſæ. Vtriſq; abundat Valerius Maximus: Cicero hypertheſes ubicunq; poteſt, conuertit, ne fuſus uideatur: quod uitium tamẽ uix uitare potuit. Non ergo uitium orationis putandum eſt hyperbatõ, ſed figura tam certè elegans, quàm neceſsaria: modò abſit obſcuritas. Loquor autem de hyperbato, quod ſenſu fit: nõ de eo, quo uerba inter ſe cõiuncta, ſolitum ordinem non tenent. ut,

Hypertheſis.

Hyperbaton, orationis figura, non uitium.

Saxa uocant Itali, medijs quæ in Aſtibus, aras,
Dorſum immane mari magno.—Hæc enim perturbatio ſenſus eſt, non comprehenſio. Ergo neceſſarium illud amplectimur, quod & ſemper in ſe occupationem continet: (aut enim confirmat propoſitum, aut exponit, aut aliud huiuſmodi quippiam agit.) Et tranſcẽdit ali-

quando

quando ſine cataſtaſi. ut, Omnis uita hominum (ſiue paruam, ſiue magnam urbem incolunt) natura legibusq́ʒ gubernatur. Atqʒ hæc quidem genera hyperbati. Quæ, ut paucis repetam, ſi ea quæ ſenſum extendunt ac dilatant, in comprehenſionem media incurrunt κατ᾽ ἐπιμβολὴν, dici tum debent, parẽtheſis quidem, ſi abeſſe poteſt addita ſententia: hypertheſis uerò, ſi non poteſt. Si non media, ſed à tergo ſequantur, ac ueluti trahantur (quia ſit quaſi pendens & adnexa oratio) idoneum magis nomen ἐξαρτήσεως, id eſt appendicis iudicaui. Quæ rurſum uel ὑφήγησις eſt, id eſt ſubiecta expoſitio: uel ἐπιδιόρθωσις, poſterior emendatio. Relatiua enim omnia tam rei quàm perſonæ, cum tanquam appoſita ſequantur, hanc planè efficiunt, quam dixi, ὑφήγησιν. Idẽ efficiũt participia appoſita, cauſales, rationales & aliæ particulę, quæ relationem faciunt circunſtantię, aut electionem, aut ſeparationem, aut reditum, aut hypotheſin, omnes ſub hypodiorthoſi complector. Omnium porrò iſtarũ cum ſit hyphegeſis maximè ſupina: idcirco, ſi neceſſe eſt longius extendi, ſæpius ſecunda uenit, & hypertheſi excitanda: qua ratione non plana iam, ſed rotuuda conuoluatur, & percurrat. Iam ergo conſequuti multas formas in hoc ſecundo genere interpretandi ſumus, tam ſub apartiſi, quàm ſub ectaſi: quas ſi ſimul aliquãdo inuenias, nihil propterea uacilles. Nam hyperbaton longum (ut iam monui) ex pluribus fit hyperbatis: in diſtinctione non rarò inuenies antitheton frequentari, & in frequentatione opponi diſtincta. ut exemplo demõſtremus, Non ſcripta, ſed nata lex: (contẽtio ſola eſt, ex arſi & theſi) «
Ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus (fre- «
quentatio contentionum.) Quam non didicimus, accepimus, legi- «
mus: ſed à natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſsimus, (contentio frequentium eſt.) Vt, Si uita noſtra in inſidias, ſi in uim, in tela aut latronum, aut inimicorum incidiſſent, omnis honeſta ratio ſit expediendæ ſalutis: conuerſio eſt frequentium in extẽſione. Sic deprehendis, quod ſæpe monui, quo dictio pluribus ſimul figuris cõſtat, eo eſt minus imitabilis, admirabilis uerò magis. Sed imitari poſthac tu Deo propitio nihil uerebere, noſtris inſtructus obſeruationibus.

De iteratione, & eius formis. Cap. 21.

TERTIA nobis ſub cõprehenſione poſita eſt Iteratio: παλιλλογία multis, grammaticis frequẽter dicitur τὸ αὐτό. Eſt autem pleonaſmi quædam ſpecies, tam in uerbis ſingulis, quàm in ſententia: tamq́ʒ in uerbis æquipollentibus, quàm iiſdem. ut, Mixtũ genus, prolesq́ʒ biformis. Item, Perge quò «
cepiſti, egredere aliquãdo ex urbe, patent portæ: proficiſcere. item, «
Fidere tam fas eſt, quàm dubitare nefas.

„ Per eadem uerba prorſus, ſolum mutata loco ſententia bis profer-
„ tur: ſed hoc rarò. Terentius: Negat Phanium eſſe hanc ſibi cogna-
tam Demipho? Hanc Demipho negat eſſe cognatam? Dicitur De-
metrio διλογία, apta aliquando euidentiæ. Cum igitur nō plura, ſed
unum bis dicatur: comprehenſio hæc non tam ex diuiſione exiſtit
negotij, aut perſonæ, quàm ex uerborum frequēti repetitione. Sed
ſingularum nos rationes demonſtremus. In ſingulis uerbis non iiſ-
Synonymia. dem, ſed idem ſignificātibus, cernitur ſynonymia: communio inter-
pretatur nominis. Quæ ſi plura ſimul coaceruarit, conglobatio di-
cetur: Abijt, exceſsit, euaſit, erupit. ſi ſeparata, quidam dicunt ὡσβο-
λήν: ſed caruit hactenus certo nomine, nec magni refert: quando
ſufficere ratio frequentationis poteſt, quæ in talibus potiſsima elu
cet. Vt in exemplo magiſtrorum: Dolui Atheniēſes, ubi illum clan-
deſtinum hoſtem impunè intra muros uagari uidi: ægrè tuli, quòd
omnium ueſtrûm facilitatem unius fallacia tentatam intellexi: com-
mouit me, quòd in accipienda iniuria pleroſque lætitiam oſtēdentes
Geminatio. agnoui. Sed hanc, ſi lubet, uoca copiam. Illa Geminatio dicatur, quę
in iiſdem uerbis: —*Pulcherrimus Aſtur,*
Aſtur equo fidens. — Triticum è Gallia, militem è Gallia. Gemina-
Zeuma. tioni prorſus contrarium eſt Zeuma. Etenim cum in omni fre-
quentatione, & cumulo, atque diſtributione, aut multa uerba ad unū
nomen referātur, aut multa nomina ad unum uerbum, aut aliarum
partium orationis ad unam: ſi dictio eadem toties repetatur, quot
ea ſunt quæ ad ipſam reſpiciūt, iteratio fit, pleonaſmi (uti dixi) quę-
dam ſpecies: Triticum è Gallia, militem è Gallia. Si uerò ſemel tan-
tum poſitum ad omnia referatur, omniáque ſecū (quaſi armilla una)
deuinciat, atque retineat: Græcè dicitur ζεῦγμα, Latinè uinctū, & Ad-
iunctio, ad Herēnium. Cuius quidem ſpecies fiūt, quatenus à prin-
cipio, medio, uel fine trahitur, πρόζευγμα, μεσόζευγμα, ὑπόζευγμα. Singu
lorum hic exempla habe: Vicit pudorem libido, timorem audacia.
Prozeume. Eam non pudor, non pudicitia, non pietas, non macula filiæ, non
hominum fama, non filij dolor, non filiæ mœror à cupiditate reuo
carunt. A' medio tenetur: —*Non' ne uides croceos ut Tmolus odores,*
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.
Atque hæc tamen de adiunctione noſtra: nam Grammatici aliud cer
tè Zeuma definiunt, de quo mox. Itaque ut ad iterationem, generale
nomē reuertar, & ſolita methodo omnia tractemus: uolo exiſtimes
unum aliquando uerbum poſſe & in eodem cōmate, & in duobus,
& pluribus etiam iterari. Illius ſit, —*Corydon Corydon quæ te demētia cæ-*
pit. Item, —*Littus Hyla Hyla omne ſonaret.*
Geminatio. *Me me, adſum qui feci.* — Hanc ergo nos Geminationem uocemus:
illi ἐπίζευξιν nominant. In duobus autem ſi dictio repetatur, ἀναδί-

πλωσις

πλωσις,id eſt duplicatio,generaliter nuncupata eſt.Nam ſi in princi Duplicatio.
pio utriuſq; reperiatur commatis,aut membri , ἐπαναφορὰν dixere,
id eſt relationem:aut δίπλωσιν ἀναφορικὴν,id eſt duplicationem rela Relatio.
tam.Poſſumus etiam cum nõnullis appellare ἐμβολὴν,propter im-
petum,quò fertur,tanto uehementiorem , quanto frequentior ite-
ratio.ut,Nihil te nocturnum pręſidium palatij? nihil urbis uigiliæ? “
nihil timor populi? nihil cõſeſſus iſte iuſtorum? nihil munitiſsimus “
habendi ſenatus locus? nihil horum ora uultusq; mouerũt? A' fine “
uerò,dixerunt ἀντιστροφὴν:& alij (quoniam in idem uerbum conijci- Antiſtrophe.
tur oratio) ἐπιφορὰν: Armis uicit,iuſtitia uicit,liberalitate uicit. Sed
prioris finis cum initio poſterioris reuocatio eſt, Græcè ἐπανάλη- Reuocatio.
ψις:Hermogeni ἐπαναστροφὴ,id eſt conuerſio..

—Iuuenum pulcherrimus Aſtur, Aſtur equo fidens.—
Pierides uos hæc facietis maxima Gallo,
Gallo cuius amor tantum mihi creſcit in horas,&c.

Figura quidem in uerſu heroico ſuauiſsima, modò rarò uſurpetur.
Siquidem ἐπίζευξις,atq; ἐπαναφορὰ, quòd uidentur ab animi cõmo-
tione procedere,magis actione probari ſolẽt,quàm ſtylo. Iam prio-
ris initium cum fine alterius , circulum ſeu incluſionem , alij ἐπιστρο- Epiſtrophe.
φὴν dixere.

Multa ſuper Priamo rogitans,ſuper Hectore multa.

Videtur ἐπαναστροφὴ dicendus ille uortex,qui pluribus uerbis inter Epanaſtrophe.
iectis redit,non ſola uox repetita, ſed ſententia: quales extant Mar-
tialis multi. Vt,

Rumpitur inuidia quidam chariſsime Iuli,
Quòd me Roma colat,rumpitur inuidia.

Vtriuſq; membri aut cæſi principiũ & finis alijs πλοκὴ, alijs ἐπανα-
δίπλωσις,alijs κοινότης, alijs etiã aliter dicta eſt.ut, Quis eos poſtula ”
uit? Appius. Quis eos produxit? Appius. Iam ex his,maximè uerò “
ex epanalepſi inſignis illa naſcit̃ iteratio, quæ Græcis κλίμαξ, nobis Climax.
Gradatio ſeu aſcenſus eſt : nihil certè aliud q̃ abũdans epanalepſis,
ſeu anaſtrophe . Membrorũ nanq; cõmatumq; cõiunctio talis eſt,
ut poſterioris uſq; dictio , prioris dictionem reſumat , ac retractet, Gradatio.
donec ab imis ad ſumma,tanquam per gradus,deuentum ſit. Vt,

Torua leæna lupum ſequitur,lupus ipſe capellam:
Florentem cythiſum ſequitur laſciua capella.

Et Cicero in Officijs: Quamobrem diſces tu quidem à principe hu “
ius ætatis philoſophorum:& diſces quamdiu uoles: tam diu autem “
uelle debebis,quoad te quantum proficias non pœnitebit. Per ſy- “
ſtolas & diaſtolas hic aſcẽdit:Neq; uerò ſe populo ſolum,ſed etiam “
ſenatui commiſit : neq; ſenatui modò , ſed etiam publicis præſidijs “
& armis:neq; his tantum,ſed eius poteſtati,cui ſenatus totam rem- “
publicam

publicam commiſerat. Cum epimone, quæ figura (uti ſuprà in frequẽtatione monui) ubicꝗ inueniri poteſt: quam hoc exemplo, quia
Paradoxũ. cum correctione fit, παράδοξον appellarunt. Poteſt reipub. prodeſſe
» noſtra legatio? prodeſſe dico? quid ſi offutura? offutura? quid ſi iam
» etiã nocuit? Et illud, Sed armis reũ laceſſere conatus eſt. conatus?
nimium remiſſe loquor, &c. Cæterùm ſi rectè hæc examines, non aliud eſſe comperies, quàm ſyſtolẽ & diaſtolen in gradationem deductas. Atque hæc omnia (ut uidiſti) uocem eandem reſumunt.
Sunt autem aliæ uocum iterationes tam cum interuallo, quàm ſine
Traductio triplex. interuallo factæ: immutatæ tamen quadantenus. eam uoco Traductionem. quæ alia eſt, uerbi diuerſa ſignificantis, dicta homonymia.
Homonymia. nempe ſi eodem contextu ſermonis peto, nunc poſtulo, mox uado ſignificet. Simia ſemper ſimia, Memmius erat Memmius: priori loco nomen eſt proprium, poſteriori eum ſignificat qui ſibi erat ſimilis.
Antiſtaſis. Altera ſit antiſtaſis, id eſt oppoſitio: alij uocant συνοικείωσιν, cum ſcilicet rationi opinioniꝗ communi quaſi reluctando, diuerſa, imò contraria atꝗ è diametro pugnantia componimus:
Una ſalus uictis, nullam ſperare ſalutem.
» Hic ſibi poſſet obtemperare, niſi mallet ſibi obtẽperare. Par labor,
Polyptotõ. non par uictoria. Tertia, πολύπτωτον, Tu hominem appellas, qui ſi homo eſſet, nũquam tam crudeliter hominis uitam petijſſet. Fit iſta caſibus, numeris, generibus, temporibus, omni demũ declinatione.
Littora littoribus, contraria fluctibus undas:
Alter in alterius.— Certus locus, certa lex, certum tribunal. Porrò
Pleonaſmus. autem hæc omnia quę ſic repetita adiungimus, pleonaſmi partes eſſe non eſt dubium. Siquidem redundantia in ſermone quædam fieri ſolet per dictiones quas dicimus παραπληρωματικάς. ut ſunt: Nam, uticꝗ, adeò, demum, planè, quidem, ac ſimiles: aliter dicuntur expletiuæ.
Alia per palilogian: de qua & in commoratione dictum antè. Tertia per ſyllabarum adiectiones, dilatationemꝗ dictionis. Contraria
Ellipſis. his omnino ἔλλειψις: cum uerborum aut ſententiæ aliqua pars deſi-
Pæxis. deratur. Ergo affinis proximaꝗ traductioni erit παῖξις, pęxis inquã illa Comicorum: qua uocum ſimilitudine luditur. Formauit nanꝗ Ariſtophanes ab equo ἵππειον, uelut ὀκτήρον morbum: & ad κοππατίαν retulit ἰκόπην. Hæc forma interdum eſt παρονομασία, quæ anno-
Annominatio. minatio. ut, Reprimi oportet, non comprimi. Et præter ſonum ali-
Parechesis. quid etiam habent commune nomina. Sed παρήχησις, id eſt effictio, ſeu alliteratio, ſonitu ſolo ſpeciem refert alterius dictionis. ut, Inceptio eſt amentium, non amantium. Nulla res magis penetrat in animos, eosꝗ fingit, format, flectit. Quodꝗ hæc & in principio fieri poſsit, quod ὁμοιόαρκτον eſt. ut illud, —*Tales caſus Caſſandra canebat:*
Inſontem infando iudicio:— Et in medio, ut, Arator orator, fama flamma:

ma:& utrobiq;.ut, Audēdum audiēdum, —*Puppesq́; tuæ, pubesq́; tuorum*, non eget demonſtratione. Verùm enimuero ut picturæ non ignari, inter colores albo parciſsimè utendum cenſent, quòd ſplendore nimio dignitati officiat picturæ, nec omnes pariter delectet: quin etiam diluat, & quaſi liquefaciat umbrarum differentias. Sic equidem figuras iterationis, propterea quòd nimis ſe proferant atq; oſtendant, fugiendas magis quàm ſectandas cenſeo. Idemq́; iudiciū puto de ſimiliter cadentibus, & ſimiliter deſinentibus: niſi potius prohibenda dixeris, quanto etiam ab imperitis facilius & agnoſci poſſunt, & componi. *Iterationis figuris cur rarius utendum.* Habes igitur omnia quæ per comprehenſionem eloquimur. Hæc altera pars fuerat interpretationis. Quam figuram, dignitatis ſanè præcipuæ, ſi fateri uis, quàm multos nō ſolum noſtrę ætatis minutos rhetoras, ſed etiam inter ueteres nō parui nominis uiros latuerit, nobis acceptam feres: non quòd eam ipſe inuenerim (nam & ſine me ſemper extitit) ſed quia confuſa nominibus, & ui nunquam ſatis nota, fugere inueſtigantem ſe ſolebat. Huius ergo primùm partes feci apartiſin, hyperbaton, & iterationem. In prima duæ figuræ reſpirationis naturam ſequuntur. nam ſyſtole & diaſtole laterum ſunt motus: arſis & theſis flatū reſpiciunt, quem modò ſumimus, ilicoq́; remittimus. Conuerſio occultam refert illā catadochen, qua præcordia perflātur. In diſtributione ſuſpēſa quędam & ſubitò reddita poſitio, laborioſi cuiuſdā ſpiritus indicium eſt: ſiue frequēter redeat æqualis, ſiue inęqualis. Hinc frequēs interdum, interdū imperfectus cōtinuatur atq; producitur: quod in hyperbato contingit. Sic frequentatio uel copulatiuis uel diſiunctiuis cōponitur. ſi eadem forma continuè, τάσις dicitur: ſi mutatur, μετασχηματισμὸς: & ſingularum uocum continuatio, congeries. Reliqua patent. & iterationis formæ ita ſigillatim expoſitæ ſunt, ut ob oculos ſemper obuerſari queant. Quare ſi hac in parte, in qua certè id omne tradidimus quo docti pleriq; ac diſerti etiam à mediocriter eruditis exiſtimātur, te exercueris: illud proculdubio conſequēre, ut præter omnem expectationem, quaſi miraculo quodam eloquens, & (ut ſic dicam) logodædalus factus eſſe uideare. Omitto, quòd abſq; huius ope & adminiculo, nemo ſibi queat promittere diſtinguendæ, ne dicam interpretandæ, orationis rationem. Quod quàm optatum multis ſit, & paucis notum, tu ipſe etiam ſine teſte potes aſſequi, perlectis quorundam recentiorum ſcriptis.

Innouatio, tertia interpretandi figura. *Cap. 22.*

TERTIAM inter figuras interpretationis poſuimus innouationem: non quia propinquior enunciationi eſſet cōprehenſio (ſiquidem conſequutio cum in ſimplici etiam requiratur ſenſu, uidebatur mox fuiſſe de ea diſputandum).

dum)ſed propter dignitatẽ comprehenſio,ſi lubet,præcedat. nam ſi minus cõſilium noſtrum probes,licet per me locum alterum huic dari,& primum etiam. De conſequutionis autem figuris non amplius quidem à rhetore diſputādum eſt,quàm ut poetarum & aliorum autorum ſcripta, quæ præter ſermonis proprietatem uſumq́ue auſa ſunt,cauſam ſciat. Secus uitia pro uirtutibus imitabitur. Nã ſi nominatiuus cum uerbo non conſentiat, aut alius adhæreat parti caſus quàm ex uſu habeatur: aut partium ordo perturbatus omnia confundat:hæc etſi fugienda à nouo oratore ſunt,apud claſsicos tamen reperta,pro ſolœciſmo nomen figuræ,idq́ue honorificum,tulẽre. Quin etiam ob inſignem inſolentiam,& ſolœci phantaſiã,quam præbent, animos legentium cum afficiant, uehementer adeò infixa memoriæ poſtea relinquuntur,ut paſsim in ſermone non ſolum uſurpentur,ſed in prouerbia etiam pleraq́ue abeant,& authoritatem conſilij cõſequantur,& prudentis meditationis. Quapropter ſi modum adhibeas,nihil eſt magis aptum in carmine. Ex colluſione nẽpe aliorum ſimile quippiam, uel prouerbio, uel magno opere publicatum imitando,ingenij non minus habere cenſetur, quàm conſuetudinis doctrinæ politioris. Ergo figuram generaliter dicemus

Innouationis figura. innouationis: Græci *σχῆμα καινοπρεπὶς*,quaſi arte aut aptè nouatam formam dicendi. Neq́ue enim uerba ſolum nouè formata reperiũtur apud ueteres,ſed etiã ſæpe nouo atq́ue inuſitato more loquendi cum alijs conſtructa. Sed ſufficiet nunc,ut innouationis, totiusq́ue *ἀκαταλληλίας* ſummatim ponamus figuras,aut potius uitia. Primũq́ue quæ ſyntaxin & partium orationis concordantiam ſpectãt, Grammatici dicunt *κατάλληλον* & *ἀκατάλληλον*: congruum & incongruum.

Syntheſis. huius generis figura ſubeſt ſyntheſis:ſenſu quidem,ſed minus uoce reſpondens dictio (apoſtrophen docti appellant)ut, Gens armati: Prẹneſte ſub ipſa: Aperite aliquis: Pars in fruſta ſecant. Et illa Grẹcorum, Dulce ſatis humor. Videtur mihi ſyntheſis aliorum epitheta cum alijs cõponere, licet alijs dicatur hypallage. ut, *Tepidaq́ recentem cæde locum*:pro,tepidum recenti cæde locum. Et, *Socij ceſſerũt æquore iuſſo*:pro, Iuſsi.

Prolepſis. Prolepſis tamen occurrit frequentior: cum partes non ita cohærẽt cum uerbo,aut cum adiuncto,quemadmodũ & totum:priusq́ue numerus redditur uerbis,q̃ res uel perſonẹ definiantur.

Interea reges,ingenti mole Latinus,
Quadrijugo uehitur curru: bigis it Turnus in albis.
Compulerantq́ greges Corydon & Thyrſis in unum.

Zeuma. Nec minus frequẽtes illæ euocationes conceptionesq́ue numerorũ, generum & perſonarum,quæ fiunt *ἀπὸ κοινοῦ*,uti & Zeuma. Quod tamen non tantum figura iudicandum,ſed etiam figura elegantiſsima:modò abſit obſcuritas. —*Non uultus,non color unus,*

Non

Non compta manſere coma. — Atq; hi ferè ſunt omnes concordantiæ deflexus. Proxima igitur ἐναλλαγὴ, id eſt immutatio. hæc fieri per omnia accidentia poteſt: ut ſpeciẽ, genus, figuram, numerum, caſum, & reliqua, nulla ad ſignificationem habita ratione. ut, κλυτὸς ἱπποδάμεια: et uerbum paſsiuum pro actiuo: — *Flaua caput nectuntur oliua:* populare penates, pro populari. Antiptoſis autẽ (hoc eſt, cum caſus pro caſu ponitur) multæ numerantur ſpecies: & Græcorũ phraſin per omnes caſus imitatos fuiſſe Latinos, ſatis compertum eſt. ut, per genitiuum, *Reddidit una boum uocem:* — pro, una ex bobus: *Dominantur eorũ*, pro eis. Per datiuum: ut, — *Placidó ne etiam pugnabis amori:* pro, cum amore. Per accuſatiuum inſignis illa eſt: *Fractus membra labore, Roſeas laniata genas.* Abſq; imitatione Græca dixerunt Latini, Eius mihi uenit in mentem: *Integer aui Aſcanius: Inſula diues opum:* — *Expediunt feſſi rerum.* — Per datiuum: *It clamor cælo,* — pro in cœlum, *Cui nunc cognomen Iulo:* — *Nobis non licet eſſe tam diſertis.* Per accuſatiuum, *Urbem quam ſtatuo ueſtra eſt:* — *Numeros memini, ſi uerba tenerem.* Sed id genus tamen Græciſmum puta. Idem per datiuum, propter compoſitionem: *Quas uento acceſſerit oras.* — Per ablatiuum: bonus bello, pro in bello. Et ſimilia, quæ Iulius Rufinianus multa collegit: quamobrem ſatis hæc fuerint, ut appareat caſus alios pro alijs poni. Per pleonaſmum quoq; turbatur ἀκολουθία:

Enallage. *Antiptoſis.* *Pleonaſmus.*

Induerat Circe in uultus ac terga ferarum:

redundat præpoſitio in. Contraria huic ellipſis: — *Lauinaq; uenit Littora.* — Vbi ad Dianæ ueneris: Ne Hercules quidem cõtra duo. Videtur & pleonaſmus eſſe, quod uocant ἓν διὰ δύο. ut, *Molemq; & montes:* id eſt, molem montium. *Pateriſq; libamus & auro.* Sed magis ad enunciationem referendũ, quàm ad pręceptum aliquod Grammaticæ præſentis acoluthiæ. Omnia illa quę Rufinianus κατ' ἐκλογὴν, id eſt elegantiam uocat, à Græcis accepta ſunt. ut, Bonos dicere, fortes pugnare: pro ad dicendum, ad pugnandum. Da iungere dextrã: id eſt, ut iungam. Nec à Græcis tantum uſurpamus phraſes, ſed ab Hebræis, & alijs quorum eſt nobiſcum aliqua conſuetudo. Vt in ſacris literis, Redijt iuſtificatus ab illo, Hebraiſmus eſt: pro, iuſtior illo: Rex miſericordiæ, id eſt miſericors. Ad eundem modũ Itali nũc multa efferũt Gallicè, & Galli Hiſpanicè, propter hominũ utriuſq; regionis frequens commercium. Quæ quidem omnia antequam uſu recipiantur, ſolœciſmi probro obnoxia ſunt: uſu trita, figuræ nomen obtinent, per idiotiſmum definitæ. Vltima igitur hyperbaton eſt. Id autem fit nunc quidẽ per anaſtrophen, nunc per τμῆσιν, (hoc eſt ſectionem) nunc per σύγχυσιν, id eſt confuſionem. Verborum ordo præpoſterus, *Italiam contrà:* — *Tranſtra per & remos.* — meus pater, θεὰς σεμνὰς: pro, pater meus, σεμνὰς θεάς. Hæc eadẽ in ſenſu per-

Ecloge. *Hyperbaton.*

Hyſterologia. turbatio hyſterologia dicitur, ſeu ὕστερον πρότερον. Vt, — *Torrere parant flammis, & frãgere ſaxo.* Sequatur uerbum hic: *Talis hyperboreo ſeptem*

Confuſum. *ſubiecta trioni.* Confuſi tritum eſt exemplum primo Æneidos,

Treis notus abreptas in ſaxa latentia torquet,
Saxa uocant Itali, medijs quæ in fluctibus aras,
Dorſum immane mari magno. —
Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent.

Et illud, ἢ εἰ μηδὲ δύ' ἦν ἄλλο: pro, εἰ καὶ δύο μηδὲν ἄλλο. Cæterùm quãtum ad hanc partem attinet, illud tenendũ inconcuſſè, potiores ſemper partes eſſe uſus quàm rationis:

Quem penes arbitrium eſt, & ius, & norma loquendi.

Præpoſitio nanq; ut caſui præire debeat, & omnis dictio cui adhærent aliæ: tamen uſus obtinuit, Quamobrem, Capulo tenus, Hanc populi temeritatem, & alia id genus: præterea quæ compoſitionis numeriq; diligentia (de quibus poſtea dicetur) ſibi permittunt. Quamobrem uitia quæ contra latinitatem committuntur (ſeu mauis idiotiſmum) duo primùm ſunt: ſolœciſmus, & ordinis perturbatio. Huius exempla dedimus, illud apud Terẽtium in Adelphis eſt: Quem neq; pudet quicquam, neq; metuit quenquam, neq; legẽ putat ſeruare ſe ullam. Eodem loco: Hoc pater & dominus intereſt. Et alia adeò ut (quod multi ſentiunt) nulla ſit ἀνακολουθία, aut ἀκατάλληλον, ſenſusq; innouatio ſuſpecta, cuius nõ queas autorem etiã

Barbariſmus. probatiſsimũ reperire. Barbariſmus multo eſt rarior. multo enim, quàm ſolœciſmus, deprehendit̃ facilius ab idiotis: & propter offenſionem ſubitam reijcitur. Græci tamen poetæ multo quàm Latini plura ſibi permiſerũt, tam in addendis, & detrahẽdis literis dictionum, quàm in commutandis & tranſponendis: ut κραδία, pro καρδία: σκῦπτον, pro σκῆπτρον: γέραον, pro γεραιόν: δῶ, pro δῶμα: μενελάοιο, pro μενελάου: προτὶ, pro πρὸς. Vergilius quoq; antiquitatis admirator, Olli, pro illi: æripidem, pro aeripedem: aulai, pro aulæ: Achilli, pro Achillis: féruere, pro feruêre: & alia, quæ paſsim à Grã-

Metaplaſmus. maticis obſeruantur. Omnium autem horum nomen eſt Metaplaſmus, quem metri atq; numeri neceſsitas, nonnunquã etiam loquẽdi uſus accerſit. Nam ut utrumq; hoc in uſu ſit, Deûm fidem, et Deorum: ſemper tamen triûm uirûm, ſextertiûm nummûm, nunquam tuûm armûm, ſed tuorum armorũ: quia conſuetudo in his uaria nõ eſt. In illis uerò, Me Hercule, pro me Hercules: pomeridianus, pro poſtmeridianus: meridies, non medidies, & ſimilibus compoſitionibus, impetratum à conſuetudine eſt, ut peccare ſuauitatis cauſa liceat.

Peculiares cuiq; genti Metaplaſmi. Semper uerò obſeruandum, peculiares eſſe ſuos cuiq; genti metaplaſmos, (ſeu uoces μετασκευὰς cum Dionyſio) quos aliæ gentes explodunt. Dorienſium quidem eſt Apocope: δῶ, pro δῶμα.

ſyncope etiam, quæ medias concidit: ut pro ὁμότριχας, ὄτριχας: pro ὁμοήτεις, ὀήτεις: pro ὁμοπάτριον, ὀπάτριον: pro τρίμεν, τρεῖν. Metatheſis quoque eorũdem eſt: ut pro κράτιστοι, κάρτιστοι. Æoles in dictionibus compoſitis idem efficiũt: ut, καδδραθέτην, pro καταδραθέτην: ὑββάλλειν, pro ὑποβάλλειν. Mutant conſonantes ijdem Æoles: ut, ἴσδμεν, pro ἴσμεν: σδύγον, pro ζύγον. Et diphthõgos, in uocales: ut ἰφίλη, pro ἰφίλει. Et uocales in alias: ut Sappho Æolicè ὔσδων μαλίνων, pro ὄζων μηλίνων. Redundant quoque, αὔταρ, pro ἄταρ. Ionum eſt paragoge illa in fine σι, & θα: λάβησι, pro λάβῃ: ἴφησθα, pro ἴφης. Dores atque Æoles duplicant conſonantem: ut in relligione, littora, littera, & ſimilibus imitatores habuerunt Latinos. Iones augmentum detrahunt præteritis: βὰ pro ἔβη. Per diæreſim ijdem dicũt φρονέων, pro φρονῶν. Atticorum denique eſt ſynalœpha: τοὔπος pro τὸ ἔπος. Et aphæreſis τοῦ κ: ut δόκοις, pro δοκήοις: τίμως, pro τιμώης: οἶμαι, pro οἴομαι: λῦτο, pro ἐλύετο. Addunt nihilominus ἑώρακα, & in fine τυτυνί. Quæ ex Plutarcho à nobis dicta ſint hactenus: ut horũ analogia ex aliarum linguarum, quæ mutuari poſsint, cognoſcas. Iure enim ſuo debuit in omnibus diſciplinis præire nobis Græcus ſermo: quoniã nec quicquam conari mortales unquam poſt Græcos auſi ſunt, niſi linguæ Græcæ ope atque adminiculo confiſi: ita uidẽtur magiſtri nobis extitiſſe diſciplinarum, maximè uerò dicendi.

Coniunctio, quarta interpretandi figura. Cap. 23.

ETSI partium orationis coniunctio non alias fortaſſe ſuſcipit conformationes, quàm quæ de cõſequutione narratæ ſunt (nempe enallagen, pleonaſmum, & ellipſin) tamen quia in continuandis ſententijs plerunque hæſitatur, quæ ſint quibus coniunctionibus connectenda, ſeorſum idcirco de coniunctione caput hoc inſcribetur: ut in promptu hoc ipſum ſit inuenire, quoties ad aliam fuerit dictionem aut ſententiam tranſeundum. Et ſanè ubi noſtra perlegeris (quæ pauca ſunt, ſi ad illos dicendi proceres te conuertas, quos eloquentiæ gloria celebrauit) nõ ſolum quæ quoque loco uſurpata, & quare fuerint, intelliges, ſed ut imitatione etiam ſimilia in diſsimili argumento aſſequaris, erit quàm facillimum. Neque enim audiendi illi ſunt, qui nullum dicendi præceptum eſſe uolunt. Nam ſi id uerum eſſet quod aiunt, uitia tantum dicendi fugienda: nec in uita profectò communi alia uirtus diſcenda eſſet, quàm ut à uitijs abſtineremus. Verùm hoc quidem neceſſariũ eſt: attamen uirtutis quoque formam, niſi cognitam, nunquam ames. Ergo miſsis eorum iudicijs, qui quidem multi ſunt, quorum putida quædam naturà ingenia, niſi ad contradicendum, nihil ſapere uidẽtur, cum ipſi nihil laude dignum ſapiant: coniunctionis unam mutationem uocabimus Anallagen: quippe cum alia pro alia accipitur.

ut,Et pro nam, Vel pro etiā. Nam ſi rectè intellexiſti quæ ſuprà di-
ximus, fortaſſe φιλοσοφικωτέρως quàm putidi iſti intelligant coniun-
ctionis non alterius generis ab animo intellectum formari primùm
certum eſt,quàm qui caſuum & declinationum, & aliorum accidē-
tium nominis & uerbi. Atqui ſi aliæ partes pro alijs ſubſtituantur,
ueluti aduerbium Vt:pro quamuis:relatiuū Qui,pro quia:Adhęc,
Polyſyndeton. pro pręterea:certè figura eſt ἀλλοίωσις. Polyſyndetō,quod multis fit
ueluti tendonibus,ad Pleonaſmū refero.Et auget hoc quodammo
do ſententiam:ut,—*Athamasq́, Thoasq́*. Sed hoc poeticum eſt, illud
Aſyndetō. uerò in uerbis,oratorium:Et dicat,& ſentiat. Aſyndeton,quod Diſ
ſolutum uocamus,contrarium illi,celeritatem magnam præ ſe fert:
Ferte citi ferrum,date tela,ſcandite muros,
Hoſtis adeſt.—Hæc figura actioni accommoda eſt, ut coniunctio le-
ctioni. ideo (inquit Demetrius) comœdias Menandri agunt, Phi-
lemonis legunt. Porrò autem hæc quæ in alijs generibus magis
latent, in frequentationibus perſpicua ſunt: etſi utrunq; fiat utro-
biq;,& polyſyndeton,& aſyndeton. Nam in dato exemplo, Hoſtis
adeſt,cauſalis abeſt. & continuatio per plures coniunctiones, cum
ſunt multæ hypotheſes(uocant quidam genus hoc σχοινοτενής.)nihi
lo minus eſt appellandum polyſyndetō,quàm illud ſuperius. Quā-
obrem ſufficiant hæc,quantum ad coniunctionis conſequutionem.
Magis illud deſideratur, maioriq́; arte indiget, ut capita capitibus,
& argumenta argumētis,ſuis ueluti nexibus propriè, uariéq; copu-
lentur. Eſt enim multo difficilima. Cuius certè rationis expertes
multa rerum uarietate diſtinguendo ſermonem,ad finem uſq; con-
tendunt, uno uelut ſpiritu:aut omnes clauſulas æquali numero uer
ſuum diſtribuunt, tanquam penſa quædam ad trutinam adæquan-
tes. Cumq́; plenitudinis atq; copiæ ſtudio ducantur, extremæ tan-
dem ſterilitatis argumentum præbent,atq; infantiæ: ignari quibus
quæq; uel ligari uel ſolui rationibus oporteat. Putant enim debere
longis hyperbatis, una tamen comprehenſione, dici omnia. Sed q̄
hoc dedeceat,mox in ſtructura conſtabit. Verùm declaremus cu
iuſq; facultatem coniunctionis: ut id conſequamur, quod tam diu
quærimus. Et quidem differentiæ fiunt tres. Nam ex his quædam
ad complendum ſolum numerum dictionis aliquando aſſumūtur.
ut,Quidem,profectò,enim,nam,ſcilicet,nimirum. Aliæ ſuſpēdunt
ſenſum.ut,Si,quamuis,licet,cum. & quæ dicuntur à Græcis dictio-
nes ἐφελκόμεναι:ut,Primùm,deinde,μέν. Aliæ autem (de quibus hic
ſatagimus)priorem ſenſum cum poſteriore conglutināt. Quarum
obſeruatio duplex eſſe poteſt. Et unam quidem ab interpretatio-
nis figura ſumemus,comprehēſione:alteram à partium exordij diſ-
poſitione: quandoquidem ſententia, quæ per exæquationem pro-
ponitur,

ponitur,ſuos habet nexus pro figura.Liquebit autem hoc,ſi ſingu-
las eius figuras examines.Primùm certè diaſtole illa epitatica, Non
ſolum,redditionē apponit per Quin etiam,ſed etiam : Enantioſis, *Enantioſis.*
id eſt contrarium,quanquam caret propria, pleruncꝫ tamen utitur
copulatiuis.Exceptiuæ ſunt,Niſi,prætcrquam,quàm.Diuerſa ſi ab
aduerſatiuis pendent,continuatur redditio per Tamē,& eius.com-
poſita,Attamen,ueruntamen,ſed tamen. Antithcti, quod arſi fit &
theſi,nexus maximè peculiaris eſt,Sed,et deinceps quę idē poſſunt:
ut,At,atqui,autem:& in productioribus,Cæterùm,uerò, enimue-
rò,uerumenimuero,quòd ſi:& per anallagē,Quidem,quin, quocꝫ.
Et quia harum coniunctionum uſus perquàm neceſſarius eſt in om
ni ſenſus diſtinctione, ideo dictæ ſunt à grammaticis diſcretiuæ.
Cæterùm in conuerſione ſtatim exurgit relatio earum partium ſub- *Anaphora.*
iunctiua, quæ rem uel perſonam, quæ locum, tempus, cauſam mo-
dumqꝫ referāt: aut diſtatica illa,communiſqꝫ lōgis diſtinctionibus,
Si,præmittitur. Atqꝫ in hunc modum omnes accepiſti coniunctio- *Copulatiuæ.*
nes apartiſeos . Frequentationis autem affirmatiuæ ſunt,Et,atqꝫ,
ac:& in productioribus, Quocꝫ,etiam,item,itidem,deinde,præte-
rea,denicꝫ,poſtremò,ad hęc,poſt hæc,quinetiam,adde his,huc per
tinet,quid quòd,iam uerè,age uerò,porrò:& figuratè , Vt ne dicā,
interim,quid attinet dicere?Negatiuæ,Nec,necꝫ:diſiunctiuæ, De-
mum, aut, uel , nec, neue , ſeu,ſiue, infinitè ponuntur. In continua- *Continuatiuæ.*
tione hyphegeſis ferè per appoſitionem ſequitur : & cum hiſce ad-
uerbijs,Nempe,quippe,ſiquidem, utpote,nimirum,uidelicet. Ab- *Finales.*
ſolutio per Vt,quo,ne. has uocant finales,& abſolutiuas.Cauſa ue- *Cauſales.*
rò prioris dicti,Nam,nancꝫ,enim, etenim, quòd, propterea quòd,
quia,quoniam,quando autem,nempe,quippe,utpote,ſiquidem,&
ſimiles,in alienum locum uenere, quoties hic reperiuntur . Nec ali-
ter unius ſententiæ partes contineri ſolent, quàm ut dictum eſt ha-
ctenus. Verùm enimuero ut alteram rationē iam habeas, quam de-
ſiderari multo etiam maiori impendio certum eſt,(ſiquidē quæ tra-
didi omnia,uel ipſo loquēdi uſu domeſtico percipiūtur:ſed in prin-
cipijs quæ uincula probentur,iſtud difficile inuentu) ſciendum eſt,
capitum diſputationis & argumentorum , & omnino diuerſarum
ſententiarum,duplicem eſſe poſſe continuationem:unam per ſyſta-
ſin,quæ per coniunctiones & anaphoras ſubſiſtit: aliam per apoſta
ſin(id eſt abſceſſum,ſeu cataſtaſin) quæ ſine coniunctione omnino
ſeiunctam,& tanquam à ſe incipientem orationem orditur.Illius e-
xempla paſsim inuenias: huius ſit, Vnum genus eſt aduerſum infe-
ſtumqꝫ nobis, &c. Ergo in memoriam reuoca, quæ ſuperius de e-
xordio tradebantur.Fecimus nancꝫ(ſi rectè memini) quatuor par- *Exordij*
tes exordij.Prima erat protaſis:altera dignitas,ſeu apodoſis : tertia *partes.*

baſis:ultima concluſio dicta eſt.Harum præterea dicebamus cauſas ſeu ætiologias dari poſſe ſingularũ.Qua ex re etiam nunc illud præterea addo:productioris orationis cuiuſcunq; corpus quatuor,nec pluribus (etſi non ſemper omnibus) his tamen tanquam membris conſtare. Quanquam certè eiuſdem,ueluti dignitatis plurimũ multas in eadem oratione partes formam tenere ſæpius uſuuenit. Quapropter ſi quibus inter ſe uinculis contineantur partes exordij cognoueris,eodem negotio & reliqua cognoueris. Et quidem propoſitionis nulla eſt coniunctio:quoniam nihil præcedit, quod hæc ſequatur. Sed propoſitioni redditur axioſis, aut tanquam aduerſatiua,aut tanquam oppoſita.Ea re,quoniam(ut modò traditum)aduerſatiuarum continuatio eſt Tamen: per tamen fient redditiones, quæ ex aduerſatiua coniunctione uidentur depēdere.Si ratio ſit antitheti:& ab antitheto capies Sed,uerùm,autem,& ſimiles: niſi fortè gratior uideatur apoſtaſis,atq; aſyndetō.Patitur enim crebrò dignitas,ut quaſi abſcedens ſine coniunctione iungatur.Ad hæc,cum tranſitus omnes, & conſtitutiones capitum, imò & frequenter confirmationum, niſi per copulatiuas iungantur,ferè non aliter quàm redditionis forma fiant, niſi(uti dixi)apoſtaticè procedas,quod frequenter accidit:maximè erunt in promptu habēdæ omnes illæ quæ uariare ſermonem poſſunt.quin accerſendæ nonnunquam per abuſionem alterius generis nonnullæ:ut,Igitur,itaq;,illatiuæ: tum etiã expoſitiuæ,cauſales,expletiuæ,epitaticæ,& aliæ, dum orationis ſenſus non confundatur. Fundamenti(quia tranſitus hoc formam gerit)habentur,Cæterùm,atqui,uerùm,& ſimiles. Plerunq; ſeruiunt hoc loco illatiuæ, ſeu rationales: Ergo, igitur, itaq;,idcirco,quare, quamobrem,quocirca,proinde,ob eam rem,ea re, propterea. Nec alias habet concluſio.Ætiologias autem, eædem quæ in hyperbato dictæ ſuperius cauſales. Ergo (ut finem accipiat hic locus) omnia quæ ſenſum proximè iungunt atq; comprehēdunt, uel per epitaſin exiſtunt(ſed etiam)uel per antitheton(ſed autem) uel per enātioſin (tamen)uel per conuerſionem(ſi,& relatiuæ)uel per frequentationem: quæ ſunt copulatiuæ & diſiunctiuæ. uel per cōtinuationem: quæ expoſitiuæ,cauſales,& finales.Ex quibus ſumunt,ab antitheto primum & contentione ſuas,redditio:ab extenſione,& eadem contentione,fundamentum:ab eadem extenſione, concluſio. Omnis autem tranſitus aut à frequētatione,aut ab antitheſi ſuas mutuatur.

Ac de coniunctione hactenus.Et excreuiſſe ſatis hic liber quartus uidetur:quapropter ea quæ reſtant figurarum in ſequenti declarabo.

DE ORATIONE
LIBER QVINTVS.

PROOEMIVM.

COENABAMVS nuper Salinis, unà cum Muſis & Baccho, aliquot amici. Eſt celebre hoc oppidum apud Sequanos, & mihi inter alia miracula induſtriæ humanæ non poſtremum: ſi quis aquæ perennis, quæ illic in ſalem coquitur, ſcaturiginem, & dulcis rurſum deriuationes & diſcrimina in medijs conſideret inuenta terræ uiſceribus. Sed hæc Gilbertus Cognatus in deſcriptione Burgundiæ. Exceperat autem nos eo conuiuio Præpoſitus Sancti Anatolij, uir pius & doctus, ex familia dominorũ Sancti Pauli in Sabaudia: qui de more ſuo multa urbanitate ſermonis exquiſitas epulas cõdiebat, nunc narrando aliquid iucundè, nũc interrogando lepidè, interdum doctè argumentando. Erant enim docti omnes conuiuæ: Ioannes Sachetus Salinienſis canonicus, Philibertus Poiſſonotus Prior collegij Sancti Hieronymi apud Dolanos, Renatus Perrotius Dolanus medicus, & Laurentius Priuæus Lingo, qui tunc præfectus erat inſtituendę iuuentuti Salinienſi. Perrotius multa diſputabat de natura rerũ: quæ eludebantur à Poiſſonoto ex quibuſdam ritibus Clunyacenſis ordinis, & antiquis ceremonijs illius regulæ. Vix enim poterant conuenire medicorum theoremata cum ieiunijs, uigilijs, χαμευνίαις, meditationibus, & diſciplinis religioſorum hominum: quorum primus labor, cum initiantur, & potiſsimum ſtudiũ, ſi quid promouerint, eſt, ita caſtigare corpus atq; afficere, ut mundo moriantur, & omnibus delicijs, Chriſto tantum uiuant. Inter hæc Priuæus, præfatus honorem, multa rogabat tam theologica et phyſica, quàm de iure, ueluti habiturus nunquam maiorem occaſionẽ. Nos enim Grammatici (aiebat) etſi multa perueſtigamus ſcripta doctorum hominum, & omnis generis doctrinæ ſancta atq; inacceſſa monumenta aperimus: nunquã tamen à uocabulorum attentione recedit animus, nunquam ab orationis acoluthia, nunquam ab obſeruatione. Quin ſi aliquod argumentũ occurrat difficilius, & rei contemplationem paululum ſupra communem ſenſum euexerit: non ſecus ac profanis rem ſanctam attingere, & imperitis artis Æſculapiæ periculoſum uulnus ligare, ita nobis uocum obſeruatoribus non permittitur profunda ſenſa rimari: ſed loca, ubi ea tractentur, indicaſſe ſatis putatur: reliqua uiderit (dicimus) qui uolet. Cum propter hæc multus & uarius iam ſermo propemodũ abſq; ordine hinc inde iactaretur: Volo, inquit Sachetus,

quæſtionem proponere. Sed ut facilius intelligatur, more iuriſperitorum rem geſtã narrabo. Arrectis omnes auribus, expectauimus quid diceret: certi lepidum quid, & dignum attentione dicturũ: tanta eſt uiri eruditio, iuncta cum urbanitate. Sed quemadmodum ingreſſuris prœlium potu & adhortatione opus eſt, Præbibo (inquit) tibi Lulle calicem hunc uini Arboſiani. Hoc nunc hyeme (quandiu retinet dulcedinem) ſuauiſsimũ habetur. Moneo autem & hortor, ut ſeriò, nec (ut ſoles ſemper) ironicè reſpondeas. Ego uerò (inquã) libenter tibi parebo, etſi certè uinum Arboſianum non multũ me iuuat, imò offendit, maximè nouum: quia non ſolum pituita (quæ mihi ſæpe moleſta eſt) replet uentriculum, ſed & membrorum neſcio quem ſtuporem inducit: ut facile crediderim, articularem morbum multos inde contrahere. Age Lulle (inquit Præpoſitus) ut lubet: & ſi non placet iſtud turbidum, quod neq; mihi probatur antè quàm fex ſubſideat, bibe ex Belnenſi, ſpiritoſo illo & defecato: iſtos admiratores Arboſiani ſine. Quid (inquit Sachetus) non ſeriò reſponſurus es ad ea quæ interrogabo? Seriò (inquam) ſi ſeriò me rogaueris: ſin minus aliquid comminiſcêris, comminiſci etiam aliquid me oportebit. Tunc ille: Audite ergo uiri amantiſsimi. Cum uenirem ex Italia, iuuenem inueni iuxta Ticinum, honeſta facie, & ſermone non imperito. is ſe mihi adiunxit, ut niuoſa Alpium iuga, & Heluetiorum ſeclusos in montibus pagos tutius pertranſiret. Poſtridiè quàm ire cœperamus (fortaſſe ne comitis iniucundi crimen ſubiret) narratiunculis uarijs & nouis, non quidem de aſini umbra, ſed, eruditis partim, partim lepidis meam ille beneuolentiam tentauit demereri. Inter alia multa, rem narrauit ſcitu dignam. Quidam, inquit, amicus meus ante paucos dies rem mihi expoſuit ſanè incredibilem: quæ, niſi hominis probitatem probè noſſem, nunquam mihi fieri potuiſſet uериſimilis. Recitabat, ſe anno proximo, cum eſſet in Gallia, uiſendæ regionis cauſa petijſſe Diuionem (erat enim ille Aduaticus genere, & fortaſſe oriundus ex Diuione: ut multi Burgundiones mortuo Carolo Duce patriam reliquerunt) quarto autem lapide antè quàm eò perueniret, ſolem ſibi occidiſſe: quapropter hæſiſſe in pago quem primũ inuenit. Cœnatus ergo, in cubiculũ ductus eſt ab hoſpite, ut quieſceret. Stratum inuenit lectulum ſatis honeſtè. Ille nihil moratus, ut feſſus erat ex itinere, in lectum ſe coniecit. Sed uix oculis ſomnum capere ſuauem cœperat, cum ecce hoſpita, nuda genu, & flauos ſurſum reuincta capillos, ingreditur, atq; hũc molli ſermone ita alloquitur: Heus adoleſcens uenuſtiſsime, uir quidam nobilis nunc appulit, quem certè non poſſum excipere ut dignus eſt, niſi tecum patiaris in hoc lecto. quapropter obſecro te per Iouem hoſpitalẽ, ne ægrè feras, ſi tecum accubet

accubet.inueniam ego poſtea occaſionem, ut de me queri non debeas æcaſtor.Nequaquam (inquit ille) hoſpita. Solitus ſum & ſolus dormire,& cum alijs,ſi aliter nō poſſum.Bene,inquit illa:& laudato iuuene receſsit. Paulo poſt ingreſſus eſt calamiſtratus eleganti cæſarie iuuenis, de quo hoſpes loquuta fuerat: & ſalutato de more contubernali, ſtatim ſe exuere cœpit: extenſo prius ſudario candidiſsimo, & acupićto,per menſam mediam. Eduxit ergo gladium unà cum balteo,quem compoſitè admodum ad caput menſæ repoſuit.Deinde tibialia, & thoracem, eodem modo ad alterum caput: inſpectante omnia attentiſsimè amico meo, ſed limis oculis inter lodicem & puluinum, quæ ad hoc ſibi adaptauerat. Iuxta illa pileum quoq; adeò cautè, ut putares uix auſum digitis attingere. Cepit ad hæc amicus ſecum irridere hominis uanitatem: & amare eum certè arbitratus eſt,aut laborare ex mania. Poſt hæc ad linteolum ille acceſsit:& ſtans,altera quidem palma ſupra uerticem poſita,tribus digitis dextrę manus ſubſtulit cęſariem,quam, ueriſimile eſt,geſtabat non ſuam.Et caput oſtendit raſum undiq; quales in polyandrijs cernuntur, mortuorum caluariæ. Hæc amicus meus cum contemplaretur tacitus,uix quidem poterat cachinnum cohibere: ſed dētibus accepta lodice,reprimebat ſpiritum. Viſus etiam eſt ille dentes aliquot ab ore accepiſſe,quos ferebat exemptiles.Poſt hæc dextra naſum apprehendit: quem cum huc atque illuc, tanquam ex cardine mouens, flexiſſet, ſubitò tandem euulſit, & ſupra linteolum poſuit iuxta cæſariem.Id cum uidiſſet amicus, deformemq́; ſine naribus faciem,iam profectò ridere deſijt.Horror enim nō mediocris cachinno ſucceſſerat.Ille poſt euulſas eo modo nares,oculū utrumq;(dextrum dextra, & ſiniſtrum ſiniſtra) effodit: erutosq́; ex loculis iuxta naſum eodem modo collocauit. Hic amicum uidiſſes toto iam corpore tremere & concuti:nec quid conſilij caperet, in rei tam inauditæ caſu,ſatis habebat. Inter hanc trepidationē & metū ſui contubernalis,aures etiam ille depoſuit. Tandē manibus ſub maxillis apprehēſum ambabus, totū caput illud informe è collo ſic euulſit,ut non natura,ſed arte aliqua cōmiſſum cum collo & reliquo corpore fuiſſe dixiſſes. Hoc amicus non potuit amplius ſuſtinere: ſed ex lecto ſilenter proſiliens, fuga ſe proripuit. Vix iſta Sachetus tria uerba adiecerat,cum tanto riſu ab omnibus exceptus eſt,ut longa interiecta mora omnes muti euaſerimus, quamuis conati multa interrogare & commentari:ſed frequenti ſpiritu intercipiēte ſermonem, nemo integrum quid effari poterat:adeò uerſabatur ob oculos timor conſternati iuuenis. Ac fugere quidem etiam nunc mihi uidetur. Quanta eſt uis eloquentiæ? Ex nugis, & rebus palàm commentitijs,uiros alioqui

alioqui grauiſsimos ita cõmouit, atq; in riſum diſſoluit, ut nihil moderatè loqui, uel agere potuerint reliquo illa prandio. Mihi uerò in mentem uenit, quàm apta reſolutio eſt ad demonſtrationẽ rei compoſitæ: maximè uerò ad explicationem ſtructurę ſermonis. Nam ſi, ut præſtigiæ illæ, uel ſomnium, uel certè commentum Sacheti (quicquid ſit) particulas diuerſas quæ in unũ corpus coaluerãt, paulatim aliam poſt aliam exemit à ſimpliciſsimis & parum primò cõiunctis, ad eas quæ uix iuncturæ ueſtigium habere uidebantur procedẽs: ſi quis eadem ratione primùm uerba ſimpliciſsima ſeparet, deinde cõmata minora, poſt hæc ad maiora membra & periodos progrediatur: is profectò intelliget orationis compoſitionem, & compoſitionis uaria genera aſſequetur, quæ multos fugere hactenus, etiam oculatiſsimos inueſtigatores rerum. Duplex enim in diuidendo modus reperitur. Vnus eſt, quo genus partimur unum in plures formas, & rurſus formas plures in unam cogimus. alius, totum aliquid atq; integrum in plures particulas uſq; ad elementa reſoluit, ut iterum poſtea partibus compoſitis totum agnoſcatur. Nos utrunq; ſectati ſumus. Sed in hoc libro poſteriorẽ tenere potiſsimũ decreui.

Diuidendi duplex modus.

De ſtructura. Cap. 1.

COMPARATA iam atq; aceruata, & quaſi ſepoſita omni materia, ueluti politis lapidibus, & lignis dolatis, cęmentoq; confecto: quid reſtat, quàm ut ad conceptam animo ideam formamq; orationis propoſitam omnia componas? Vt inquam in ædificium aliquod utile, & decorum, cum idonea partium ſtructura conſurgant, quæ hactenus præparaſti? Huc enim ſpectabat ſumptus circa cætera prius labor. In docendo autẽ ac præcipiendo lucem non mediocrem collatio ſimilium afferre ſolet: atq; ideo manuducere auditorem ea ratione nitũtur, quoad poſſunt magiſtri. Et ego cenſeo non aliter nobis de ſtructura orationis & coagmentatione dicturis, omnis generis ædificia ponenda eſſe ob oculos. Faciet illa notio (niſi planè ſumus ἀγεωμέτρητοι) ut ſine magno negotio hoc ipſum quod quærimus, inueſtigetur, orationis artificium. Age igitur, obambulemus urbem: circumſpiciamus ædificia. Quædam publica inueniemus, magnitudine magnificẽtiaq; ſuſpicienda: ut templa, porticus, theatra: alia priuata, & ad uſum neceſſarium ita comparata, ut tam addere quàm demere nihil omnino queas: niſi fortaſſe uelis familiæ, rerumq; domeſticarum commoda contemnere. Quamobrem ſicut illorum publicorum partes & ueluti membra omnia uides ampla, grãdia, & excelſa: ſic priuatorum, pro re familiari, decenter commenſurata eſſe debent ſingula, triclinia, cubicula, tecta, parietes, portæ. Sunt inter hæc media quædam, nec prorſus publica, nec omnibus etiam clauſa: ut prętoria, & principum

Similium collatio.

cipum diuitumq́ꝫ ædes. in quibus non ſolum ad uſum quotidianum multa priuatis ſimilia, ſed etiam comperies & porticus, & periſtylia, & aditus, & fornices & ueſtibula: ab illis publicis non prorſus diſsidentia, ſed mixtam cum mediocritate præ ſe ferentia maieſtatem. Nec aliter quidem de oratione cēſendum. Prima nanq́ꝫ animo concipitur idea ſpeciesq́ꝫ orationis (tum ratione auditorum, tum etiam cauſæ) uel ampla & grandis, uel mediocris & diues, uel tenuis & appoſita ac prudens potius quàm ſuperba diſpoſitio. non enim decet ubiq́ꝫ ſimilis, ut ſæpe dictum eſt. In grandi ergo genere dicendi omnia ferè membra ſic protenduntur, ut magni ambitus longis diſtinctionibus, quaſi altis ſuſtineantur columnis: & niſi res magni ſplendoris dignitatisq́ꝫ ac precij fuerint (ueluti in ſella ſolet marmor aut lapis porphyrites poni, & in tholo cælaturæ) cuncta magnis arcubus atq́ꝫ teſtudine curuata nectantur. Tenuis autem, & callida oratio, nihil horum præ ſe feret: ſed contenta nō ſolum erit tenuibus uerbis, & ſine cultu, ſed minoribus etiam particulis. Atq́ꝫ hæc quidem ratio membrorum prima eſt: quam proximè ſequitur numerus: hoc eſt, harmonia quædam partium, & membrorum quaſi dimenſio. Hanc partim ex cuiuſq́ꝫ ſyllabæ quantitate, pedumq́ꝫ proportione ſumimus: partim ex numero dictionum, atq́ꝫ ſimilitudine: partim ex tono, & apta decentiq́ꝫ omnium iſtorum mutatione. Siquidem columnarum, etiamſi ſit omnium unum genus, tamen Doricæ ab Ionicis, & hæ à Corinthiacis, & aliæ ab alijs analogia quadā dimenſionum ſeparantur. Quarum & Doricis grauius uiriliusq́ꝫ quiddam ineſt, quàm Ionicis: & amplius adhuc, robuſtiusq́ꝫ, quàm Corinthiacis. Quin & ipſæ Doricę non eandem proportionem ſeruant in ſacris & priuatis ædibus, authore Vitruuio. Sic igitur in oratione numeri quidam ſunt ſtabiles, qui grauitate ſua tarditatem & molem addunt: alij contrà uolubiles, qui celeritatem. Nec tamen ſimpliciter unos alijs præferemus: quia flumen quibuſdam uerborum, uolubilitasq́ꝫ cordi eſt (inquit Cicero) qui ponunt in orationis celeritate eloquētiam: diſtincta alios & interpuncta, interualla, moræ, reſpirationesq́ꝫ delectant. Hæc igitur nobis accuratè notabuntur. Sed nec iſtud ſufficit: imò iunctura poſt hæc obſeruanda. Hanc Græci quidam ἁφὴν, alij ἁρμογὴν, alij generaliter συνθήκην nominãt. Animo quidem examinandum quodq́ꝫ uerbum eſt, cui iunctum rectè cohæreat, aut ſecus. Fieri nanq́ꝫ poteſt, ut non ſolum aſpera hac ratione læuisq́ꝫ appareat dictio: ſed etiam ut numeri aut omnino pereant, aut certè obſcurētur. Et quemadmodum pleriq́ꝫ delectantur lenitate, & æquabili ac plano quaſi quodam genere dicendi: ſic alij duritatem & ſeueritatem quandam uerbis, & orationis quaſi mœſtitiam ſequuntur, Adeò ut nulla ferè ſit uerbi tanta aſperitas,

aut

Grãde orationis genus.

Tenue.

Numerus.

Numerorũ diuerſitas in oratione.

Iunctura.

aut lentitudo, quod ſi loco poſitum fuerit, non etiam congruat: nec rurſum tam ſuaue uerbum, aut ſonorum, quod non hiet, aut ſubſultet, ſi minus aptè componatur. Vltimo igitur loco uenit obſeruan-
Ordo. dus ordo partium: utrũ rectus'ne, an obliquus magis deceat. Nam & obliqua quædam, atq; à natura mediocriter recedentia, non nihil aliquando iuuant. Lumen quod in Pantheo Romæ è ſummo culmi ne teſtudinis accipitur, certè rectum non eſt: admiratione tamen omnes capit. Et propugnacula quæ noſtra tempeſtate contra uim bombardæ excogitata ſunt, omnia intrinſecus prona conſiſtũt: nec quiſquã damnat. Seu id fiat, ne ruderibus plena moles à ſe ipſa frangatur, & crepet: ſeu, ne concuſſa externa ui tormenti, propria ruina foſſam impleat: ſed in ſe ipſam procumbens, mutuo partium nixu reſideat, ac ſuſtineatur. Sed hac in re multum oratio differt ab ædificijs: quia frequentius obliquam uideas orationem, quàm rectã: præſertim eruditas illas, Latinã & Græcam: barbaras non moror. Habemus itaq; ex his quadruplicem ſtructuræ ratione͂, & diuiſionem: unam, in qua ſunt grande genus dicendi, & tenue: alterã, in qua tardum & celere, ſeu concitatum: tertiam, in qua læue & aſperum, ſeu inæquale: quartam demum, in qua rectum & obliquũ. Sic ergo fient huius tractationis de compoſitione & uocũ poſitu quatuor partes. Et primò ab ultima incipiam, quæ eſt de ordine. Nam licet ultima inuenta eſt in diuidendo: prima tamen, quia in componendo ſeſe offert, ab ea componentibus auſpicandum erit. Hinc procedemus ad iuncturã, deinde ad membra: ultimusq; fiet, Deo iuuante, numerus.

Ordo. Cap. 2.

NON loquar autem de illo ordine, quo totum orationis corpus ſic diſponitur, ut ueſtibula honeſta ſint, aditusq; ad cauſam (ut ait Cicero) illuſtris: & occupatis auditorum animis, ut infirmet, excludatq; contraria: ad hęc, ut de firmiſsimis alia prima ponat, alia poſtrema, inculcatis leuioribus. Nec de illo rurſum, quem ſi deſeras, aut ſolœciſmũ, aut figuram cõſequutionis facere neceſſe ſit. ſatis enim de hoc ſuprà. Nec item de illo, in quo Quintilianus primum eſſe iubet, ut ne fortiori ſubiungatur aliquid infirmius, quo non creſcat oratio: ueluti ſi ſacrilego fur, aut latroni petulans ſubijciatur. Debent enim ſententiæ ita creſcere & inſurgere, ut augeri argumentum, non deficere uideatur. Vt Ci-
» cero: Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corpo-
» ris firmitate. Et in re diuerſa: Sic à me Cõſul deſignatus defenditur,
» ut eius nulla fraus, nulla auaritia, nulla perfidia, nulla crudelitas, nul
» lum petulans dictum in uita proferatur. Hoc enim, etſi minus eſt, petulans dictum, quàm crudelitas: tame͂ auget ſententiam, & inſurgit, ex rei tenuitate. Verùm enimuerò quãquam eſt ubiq; hoc prouidendum,

uidendum, ne decreſcat oratio: & ut, ſi quando uerbum uehementius infigi animis audientium cupis, ut illud in clauſulam reijcias: non eſt tamen huius loci aut præceptionis, nec uerborum compoſitionem ſtructuramq́ attingit. Poteſt enim & abſque illa obſeruatione ſuas rationes omnes temerè, ut flexa ſit, uel natura continens. Magis ad rem faceret illa pręceptio, ut rerum naturalis ordo pro dignitate cauſæ ſeruetur: utq́ uiros & fœminas, diem & noctem, ortum & occaſum dicas potius, quàm retro. Sed neq́ iſtorum eſt magna religio apud doctos, ut ipſi debeamus idcirco timere: nec loquendi rationem ideo inuertes, quocunq́ modo hæc ipſa protuleris. Nam ubi maius uitium notari debuit, etiam figuræ neſcio quod nomen reperere ὑστέρων προτέρων in ſenſu. ut, *Torrere parant flammis, & frangere ſaxo.* Illud certè non ferendum, ſi pro fratres gemini, gemini fratres dixero: aut pro filius priuignus, uel pater uitricus, contrà. Et ſolœciſmus eſt, de quo ſuprà: quia genus ſuperuacuum eſt, cum certæ formæ ſupperadditur. Nos igitur ordinem ſic diſtinguimus, *Ordinis*
ut alius generi dicendi congruat, quod fuſum eſt, ſuaq́ ſponte fluit: *distinctio.*
quale cernitur in ſermone quotidiano (hoc Græci dicunt πεφυκός) alius uerſo atq́ immutato, quod ijdem Græci πεπλασμένον. Hoc genus à uulgi ſermone procul recedit. Atq́ hæc quidem cum ita ſint, neceſſe eſt ut oratio pura fiat, & caſta, id eſt cuiuſq́ gẽtis teneamus idiotiſmum: cumq́ ordinem rectum, et dicẽdi genus (uti dixi) πεφυκὸς exiſtimemus, quo uulgus utitur apud ſuos ſępe. Nam ſi à latinis nomina præponuntur appoſitis, non item à Germanis: etſi rectius iiſdem eſt uerbũ in fine, at nõ perinde Gręcis, alijsq́ quamplurimis. Idem eſto iudicium de nominatiuo & uerbo, uerbo & aduerbio, & alijs partibus orationis. Licet enim uocabula uerbis, nomina epithetis, uerba aduerbijs, præpoſitiones caſibus, cõiunctiones omnibus præire natura uideãtur, & omnino quæ ab alijs regunt̃, ijs adhæreãt à quibus regunt̃: uſus tamen & conſuetudo in quibuſdã naturæ locũ ſubiuit: & quæ natura priora fuerãt, fecit cõſuetudo poſteriora: & quę peruerſa figurę nomine excuſantes, uocamus ἀναστροφήν. Exẽplo, quod ſuprà dedi, patêre poteſt. Obliquum dices, θεὰς σεμνάς: rectum uerò, σεμνὰς θεάς. Idcirco rectũ aut flexũ cenſebimus, non tam ſi quod natura prius eſt, præcedat aut ſequatur, q̃ quod uſu. Sunt tamẽ & natura priora recta, præter ea quę enumeraui. ut in uocabulis nominatiuus, in uerbis indicatiuus, in pronominibus Ego, dein de Tu: in apartiſi, protheſis, & arſis, & antecedentia: in interrogatione nomẽ interrogatiuũ, cuiuſcunq́ caſus fuerit: in ratione, prior concluſione probatio. Denique inter partes orationis ille eſt ordo, quẽ factũ à nobis ſuo loco uidiſti. Patet igit̃ ex his, quis ordo rectus, quis obliquus. Omnis enim illa oratio quę nec à recto caſu auſpica-

tur,nec partes habet pro conſequutionis ratione cõiunctas, obliqua euerſaq́; dicetur. Quin etiam cum partes, quæ natura ſe ſequuntur, multis interpoſitis ſeparantur (ut adiectiuum & ſubſtantiuũ) quod in carmine nõ ſolum neceſſarium, ſed etiam uenuſtum exiſtimatur: etſi non euerſum dici debet, attamẽ obliquum erit, & curuum: nec niſi ad præcepta ordinis referetur: uti & ſynchyſis in hyperbato. Veluti—*Patulæ recubans ſub tegmine fagi.* Illud iã in alijs libris docui, quoties nudè ac ſimpliciter narrandum eſt, recto ordine agemus: obliquitas citra confuſionem tantum, & ambiguitatem oſtentandi cauſa ametur. Nam (quod certè multos latuit) quanquam uehemẽtiam & impetum habet uerbum in fine: tamẽ latinis propter articulorũ, & quorundam temporum penuriam, uerbo ferè placuit ſenſum cludere. Sic tota ſimul propoſita quaſi in conſpectu oratio, multo melius intelligitur, quàm ſi tracta alia poſt alia uerba continuentur. Vt meritò quidem mihi dictum uideatur, hos in pectore, Græcos autem in lingua ſermonem habuiſſe. Græcis nanq; quicquid in buccam uenit, ad ſenſum ducere prõptum eſt: Latinis etiam uerba concepta uix ſufficiunt, ut ſeſe explicent. Rectè igitur incipit (ut exemplum aliquod proponamus) & flectitur ſtatim. P. Clodius, cum ſtatuiſſet omni ſcelere uexare rẽpub. &c. Sed obliquè in alia incipiens, poſtea ſe dirigit: Eum porrò ſummo conſenſu populi Ro. Cõſulem fieri uidebat. contulit ſe ad eius cõpetitores. Neq; aliter tamen probanda aut accerſenda obliquitas, niſi ilico dirigatur. Quia non ſolũ obſcuritatem paries in uerbis, ſed te ipſum etiam argues infantiæ, quòd aliquantum laboraueris impeditus in conſtructione. Eleganter Perſius hoc uitiũ notauit, cum ironicè laudans malum poetam,

—Scit (inquit) *claudere uerſum*
Non ſecus ac ſi oculo rubricam dirigat uno.

Cæterùm quale id ſit, exemplo declaremus.

Bella per Aemathios pluſquam ciuilia campos,
Iusq́; datum ſceleri canimus, populumq́; potentem
In ſua uictrici conuerſum uiſcera dextra.

Quàm obliquum hoc atq; diſtortum? Certè *ut ramale uetus prægrãdi ſubere coctum.* Iam cõtrà quàm illud rectum, aut directum potius?

Muſa mihi cauſas memora, quo numine læſo,
Quid ue dolens regina Deûm, tot uoluere caſus
Inſignem pietate uirum, tot adire labores
Impulerit.— Direxit omnia ad uerbum ultimum: ut cogitatio ad certum finem, quaſi rectà contenderet. Quod ſi diſsimile hoc ab illo uidetur, ſume ex ſeptimo:

Nunc age qui reges Erato, quæ tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit ſtatus, aduena claſſem

Cumprimùm Auſonijs exercitus appulit oris,
Expediam: & primæ reuocabo exordia pugnæ.

Sed de ordine hactenus. Iam quid ualeat iunctura, inueſtigemus.

Iunctura. Cap. 3.

DE iunctura Perſius in hæc uerba loquitur:
—Quis enim? niſi carmina molli
Nunc demum numero fluere? ut per leue ſeueros
Effundat iunctura ungues.— Hæc enim Græcè ἁρμογή, ſiue ἁφὴ, & Latinè ſiue iunctura, ſiue coagmentatio, ſiue coniunctio (ut Quintiliano placet) ſiue ſtructura, ueluti duarum tabularũ, niſi partes exactè coaluerint: aut certè hiabit, aut inæqualis & malè complanata ſubſiliet. Vtroq; autem modo unguis per eam deductus hærebit, ac ſiſtetur. Quæ rectè concreuerunt, adeò iuſta ſurgunt, ut nihil impediant: quin fluere unguem & labi per æqualia, ſine mora & offenſione patiantur. Itaq; uocalium concurſu hiat dictio: conſonantiũ, eminet & reſiſtit. Vtrumq; autem uitium eſt, ſi perſeueret. Et ab utroq; abſtinuit Iſocrates, uocum ſuauitatem ubiq; captans, & concentum. Quanquam non modò pro negotio, ſed etiam, pro ſermonis idiomate, minus uel excuſatur, uel reprehenditur. Siquidẽ Græcis, in eadem maximè dictione, uocales multas cõcurrere adeò non uitioſum eſt, ut ſemper Homerus grande aliquid exponẽs, uerba Ionicis reſolutionibus dilatet. Multo aliter Latini: quanquam et hi Græcorum comploſionem in uocibus Græcis referre ſæpe ſtuduere. ut, *—In Actæo Aracyntho.* Et,
Glauco & Panopeæ & Ionio Melicertæ. Et,
Nereidum matri & Neptuno Aegeo. Ergo Græcorum ſit uocalium tam comploſio q; exploſio: Latini aliter loquentur. Quod Cicero docet in illis horridulis orationibus Catonis, & uerſibus Næuij: Vos qui accolitis Hiſtrum fluuium atq; Algidã. Et ibidem: Quam nunquã nobis Graij atq; barbari. Hoc idem (inquit) ſæpius noſtri non tuliſſent, quod Græci laudare etiam ſolent. Quare (ut ſæpe dictum) niſi rationem habeas idiomatis, nulla poteſt eſſe generalis præceptio. Sicut Corybantes illam duntaxat melodiam acutè ſentiunt, quæ illius Dei eſt, à quo rapiuntur, ad eumq́; concentum decentia uerba & figuras adaptant, alios uerò cõtemnunt: ita ſonus & compoſitio non eadem omnibus grata eſt, ſed pro aſſuefactione alij aſperis, alij leuibus, alij magnis atq; alijs delectãtur. Etenim ut Theutonici multas conſonantes uernaculo ſermone ſtrepunt: ſic procul ab his ſiti Luſitani, uocales ſæpe multas congerunt, grato oris ac linguæ hiatu. Sed omnium omnino literarum cõcurſus in iunctura fugiẽdus, niſi hoc ipſum requiras aut affectatione negligẽtię, aut ſtudio aſperitatis. Nam quemadmodum Mineruæ, Herculi, & Marti ædes fie-

bant ab antiquis Doricæ, quòd propter uirtutem eorum ſine deli-ciis ædificia conſtrui deceret: ſic Floræ, Veneri, & Proſerpinæ, fon-tiumq́ Nymphis, Corinthio genere conſtitutę (inquit Vitruuius) aptas uidentur habere proprietates: quòd his diis propter tenerita tem graciliora & floridiora, foliisq́ & uolutis ornata opera augere uidebantur iuſtum decorem. In hunc igitur modum decet oratio-nem aliquando negligentia, aliquando diligentia & cura. Neuius af fectauit Scranctiæ, Scrupedæ, Stritabillæ: ut Plautus multa ſimilia.
» Cicero incipit: Ego omni officio, ac potius pietate, ſatisfacio omni-
» bus: negligentiã in diligenti argumento præ ſe ferre uolens. Eodem concurſu uocaliũ aſper eſt in, Authoritate publica armare. Et Ver-gilius horridus, *Diriguit uiſu in medio.*—Subſiſtunt enim hic & ſenſus & prolatio. Quamobrem in quarto & quinto heroici uerſus inter-dum accerſitur, maximè ubi ſenſus alius inchoandus eſt. ut,

Franguntur remi, tum proram auertit. Et,

Vera inceſſu patuit dea: ille ubi matrem.

Præter ea quæ dixi conſonantium quædam ſunt natura aſperæ: ut, R & S. quarum illa caninum neſcio quid renidet: hæc ſylueſtrẽ quen dam edit, agreſtemq́ ſibilum: quæ ſi frequentior occurrat, moleſta eſt. ob eam rem ueteres poetæ à uerſibus eximebant, & tanquam a-dulterinam fugiebant. Refert è Pindaro Halicarnaſſeus, πρὶν μὲν ἤ-ειπε σχοινοτενῆ φωνήεντα διθυράμβων καὶ τὸ σὰν κίβδαλον ἀνθρώποι. Sed ex eius compoſitis, nempe x & z, & ſolum Græca ψ, ſuauiſsima ζ. Aſpiratæ præterea omnes conatum proferunt: ut F TH CH. Quo-circa molliores mediæ, B D G. Sunt & aliæ quæ natura læues, faci-lesq́ prolatu: aliarum tamen coniugio fiunt aſperæ, & rixantur. Id autem in uniuerſum accidit, cum illæ quibus cum iunguntur, habi-tu oris proferuntur ſibi contrario. Hoc Græci uocãt ἀντιτυπίαν, id eſt renitentiã: latini frenos. Cum etenim M B P, atq́ his cognatę, os proferendo cludant: hinc eſt, ut præcedente N & R difficulter mo-ueantur. Non patiuntur enim continuari ſpiritũ, ſed dirimunt pro-lationem: ut ſerpo, ἕμαρπτεν. Sed locus poſtulat, ut aliquid dicamus de natura literarum: & Grammaticæ hanc partem, quę lectione cõ-ſtat, altius repetentes, ad naturam ipſam, ſicut & aliarum logicarum principia reduximus, ita & nunc, quantum licet, reuocemus. Ac ui-dentur quidem mihi omnes gentes, quo magis abſunt à literis & e-ruditione politiori, eo pluribus in loquendo ſcribendoq́ elementis uti. Cauſam puto eſſe, quòd literarum alias perfectè exprimũt, alias imperfectè: quarum cum habere oporteret certa propriaq́ ſymbo-la, primis illis, quæ natura docuit, non ſufficientibus, uocaliũ & con ſonantium plures formas inuenere. Argumẽto eſſe poſſunt linguæ plurimæ, ut Arabum, Turcarum, Theutonum, Bohemorum, Can-

Natura literarũ, maximè Latinarum.

tabrorum

tabrorum: atq; etiam præter hæc Hebraica, licet Grammaticorum innumeris ſit examinata commentarijs,& exculta. Horum nanque uoces nemo literis concipiat Latinis: quoniam neq; ijſdem utuntur nobiſcum elementis. Europæi omnes quia Latinas receperunt, ut proprij ſermonis quomodocunq; ſonum referant, ſæpe multas coguntur uel ſibi repugnantes coniungere. Sed nihil proficiunt, nihiloq; magis tamen legas, etiam Latinè peritiſsimus (aut certè intelligaris legens) quàm ſi nihil ageres. Ætate noſtra Bohemus quidā epiſcopus doctiſs. elementa quædam ſuæ linguæ tētauit edere: ſed parum ſucceſsit. Quis enim ſenes ad prima elementa reuocarit? Et ſanè reuocandi erant: rem omnium difficillimam. Galli unam habent uocalem, quam nominant E fœmininum: quæ poſita in fine quorūdam nominum & ante M & N, magis ſonat A quàm E. Et ad hanc quidem chordam ſæpe aberrant tam Latinè quàm Gallicè ſcribentes. Sed typographi quidam, ut diſcrimen facerēt, aliter modò cœperunt cudere: quin etiam ad Italorum prolationem aſpirantes, ut maximè diſtinctam atque articulatam, nec minus auribus ſuauem, multas literas quas accumulare conſueuerant (partim etymologia, partim ſono moti) nunc prorſus abijciunt, ſcribendum eſſe cenſentes, ſicut loquendum. Hæc una ratio mihi Latinam prolationē commendat, præter cæteras nationes: & ut poſtremam omniū, perſuadet ueras naturaq; perfectas tantum literas elegiſſe, reliquis ut planè inutilibus abiectis. Experientia nanq; docuit, quàm ſine illis omnes animi conceptus excipiamus. Natura autem diſcimus (ſi principia literarum & originem penitus inſcrutemur) ſolum has, nec plures eſſe, quàm quas Latini delegere: quinq; uocales, unam aſpirationem, quatuor mutas molles, totidemq; tenues, quatuor liquidas, unam ſemiuocalem. Si quid aliud tibi ſonet auribus, exiſtima deprauationem eſſe alicuius iſtarum, quas dixi. Si tanta fœlicitas contigiſſet Romanis eloquutionis, quantam hic oſtēderunt dexteritatē inuentionis: cederet profectò nobis eruditio Græcorum, qui tanta nunc laboramus penuria atq; auſteritate uerborum. Sed literæ unius inuentum eſſe potuerunt: illi exercitatione multa opus eſt, & imitatione: à quibus tam illi abhorrebant, homines bello dediti, q̄ ab ocio & delicijs omnibus. Primam igitur uocalem toto ore proferimus. Sunt oris partes: labia, dentes, lingua, palatum, & guttur. Omnia autem hæc locum tanquam faciunt, ut prodeat integra uocalis. Altera eſt E: quæ ſicut figura ſecatur, ita & os ipſum mediat. Tertia, I, contractis iam propè omnibus partibus, uix enaſcitur. O uerò, ſicut pingitur, rotūda, ita in orbē inflat buccas, & diſtendit os uniuerſum. Poſtrema, V conū facit, acutis labris & conniuentibus. Iam uides ſuperuacuum ἦθα, quam formant duæ uocales, E & I, iun-

ctæ. Nam ſi dentes cogas, ut in proferendo I: & internè os ita diſponas tanquam prolaturus E: iſtud fiet ἦθα. Cæterùm aſpirationem tam uidentur accepiſſe Latini, ut ab inutilibus literis abſtinerent, θ φ & ψ: quàm ut docerẽt, uocales poſſe cum ſpiritu uehementiori proferri. Nanq; & litera F, longo tempore uidentur caruiſſe. Semiuocalem S, fecit inter dentes cum ſibilo quodam preſſus ſpiritus.

Mutas uerò natura ex ſingulis partibus oris genuit. Primam quidẽ B, in labiorum ſeparatione inuenies: G, in palati & linguæ: D, in dentium & linguæ: Q, in gutturis & eiuſdem linguæ contactu. Habes quatuor mutas: quas ſi preſsius pronuncies, & partibus tanquam reſiſtentibus paululum ſpiritui: fient tenues, P, C, T, & quæ neſcio qua de cauſa ab uſu iam receſsit, K. Septem has uocamus mutas, & ἀλόγους Græci: quia nullum ſenſum præbere ſui poſſunt, abſq; uocali. Claudunt enim flatum, priuſquam uocalis exiſtat. Liquidæ autem contrà, propter quod percipi nonnihil poſſunt: ut, L M N R. uocanturq́; liquidæ, propterea quòd ſpiritum tanquã eliquant cõprimentes. L quidem, quia lingua palato iungitur: ita ut conceptus aer omni ex parte effluat ſine offendiculo, priuſquam palato lingua coniungatur. R autem, quia locus aſper eſt dentium, atq; inæqualis, foraminibus anguſtis ſurripiens aerem: ideo non poteſt placidè manare, ſed titubans & tremula cum ſtrepitu erumpit, plectente lingua meatum. M & N, per nares fluunt: hæc quidem lingua contegente palatum ad dentes uſque: illa, ſolis labijs muſſantibus. Ex guture non poteſt extare liqueſcens, niſi admodum inſolens, qualis eſt Hæbræis hain. Ex uocalibus ergo componuntur diphthongi: ſed non omnes omnibus ſunt in uſu. Itaq; Græci alias habent quàm Latini: & hi alias quàm Hiſpani, & Galli, & Germani. ut uo in quo, Latina diphthongus eſt, & æ. Et contigit non duas ſolum, ſed tres, & aliquando quatuor uocales apud multas nationes coaleſcere. Maneat igitur hoc demonſtratum, prima uocis elementa omnia eſſe quindecim: quæ cum quatuor mutis tenuibus cognatis primis quatuor (quas natura proferre ante alias docet) faciunt decem & nouem. Si quid aliud audimus, deprauationẽ naturalis elementi dicito. Sicut uix plura ſerpentũ genera inuenias, q̃ modos quibus litera S à barbaris deformata eſt. Ergo, ut ad inſtitutũ reuertar, quæcunq; literæ cõtrario oris habitu proferũtur (ueluti ſi una aperiendo, altera cludendo: ut ſunt omnes palati cum labialibus: aut una leuiter, altera aſperè pellant ſpiritũ, ut D

Antitypia. & T, B & P, G & C) ſi iungantur, antitypiam dices: & neceſſe eſt aut alterutram corrumpi, aut ambas, ne os magnopere torqueatur.

Quod Latini in componendis dictionibus diligẽter quidem obſeruarunt; Græci autem, ne in legendo quidem neglexerũt. Nam pro

anti,

anti,dicunt andi:& pro ton polemon,tom bolemon.Fit demũ anti typia ob naturæ propinquitatẽ: ut ex duabus ſemiuocalibus ſeu liquidis.ut,manũ lauat.ex duabus mutis affinibus.ut,Id te. Laborat enim prolatio in his,& dirimitur: propterea quòd duæ illæ literæ nunquam in una ſyllaba reperiuntur,ſicut reperitur muta cum liquida, & duæ mutæ differentes.ut,Plato,κτύπος.Eam ob cauſam miſcẽdæ mutæ cum ſemiuocalibus,& inter ſe diuerſæ mutæ:nec id tãtum in una ſyllaba,ſed in una dictione.Inſuaue nãque eſt,Phœbe faue:cogo, data:quoniam hęret prolatio quodãmodo dubia,nec naturæ diſcrimen(quod exiguũ eſt)poteſt ſubitò inuenire.Neque enim tam facile eſt inter ue,be,diſtinguere,atque inter de te,quàm inter be te.Indicio eſſe poteſt, quòd pauciſsimi, imò nulli ritè proferunt peregrinos ſermones, etiamſi ritè calleant quibus quodque uerbum deſcribi literis debeat,& quæ cuiuſque literę uis atque natura ſit. Nam licet teneant, affinitate decipiuntur:& quamuis attentè aliquandiu obſeruent, non poſſunt tamen ſemper.Contraria igitur ratione dicemus omnia illa fluere, in quibus eadem conſonans reſumitur: ut, Papa, Taratantara.aut tenuis ſequitur aſpiratam,uel mediam: ut, ephippium, dediti. Atque id eſt, cur eiuſdem legis non eandem quantitatem ſyllaba retineat, ſed longior breuiorque fiat additione, detractioneque conſonantis, quæ uocalem præcedit. Nec immeritò Græci quantitatem in pleriſque non à ſequenti, ſed à feriente uocalem litera metiuntur. Et ſanè Gellius minus intellexit,quid Gramma- *Gellij locus.* tici doctiſsimi de duobus hiſce uerbis, Dictito & Actito pronunciarunt: quoniam originis aut coniugationis non, proculdubio, rationem haberi uoluerunt(quia nulla eſt)ſed literarum.nam in Actito manifeſta antitypia,& latioris literæ hiatus,primam ſyllabam diutius retinet ac remoratur: in Dictito autem(quandoquidem linguę plectrum eodem modo actum eodem recutit,cumque eiuſdem literæ ſono in eodem ſitu reperitur) ſine mora,& celeri ſeu frequenti motu ſyllabam confecit. Quare longam dixerunt primam in Actito,breuem in Dictito: non quòd breuis hæc ſit, & unius temporis ſyllaba, quæ poſitione producitur duarum conſonantium,ſed non ita longa atque alia eſt. Atque hoc eſt quod Gellio impoſuit. Sed præterea quæ diximus, uoces illæ læuiter apteque cõponi poterunt, quarum prioris poſtremæ literæ cum prioribus poſterioris ſyllabam poſſunt facere:quod docet liquida ante mutam ſemper ſiſtens prolationem, tempuſque intermittens.Suauis itaque ordo à natura quæratur.Facile enim ab E ad I:hinc ad V:& ab V, ad A,mouetur ſpiritus, ut, —*Berecynthius Athys*: & uocales faciles omnes quæ in diphthongunt coeunt. Hinc eſt, ut in uerbo Quieſco, literam E, ita quidam more Hiſpanico abſorbeant, ut breuis, non

Iuncturæ uitia. longa uideatur. Sunt enim Hiſpanis monoſyllaba hæc pies, pues, & ſimilia. Erunt igitur iuncturæ tria uitia. Primum, cum finis uerbi prioris cum initio ſequẽtis iunctus, turpe aliquid ſignificat. Hac ratione uitioſum illud erit, Cum nos aliàs. Siquidem ueteres ea cauſa moliti ſunt aduerbia Nobiſcum, Vobiſcũ. Proximum huic fuerit, cum ſyllabæ concurrunt eædem aut literæ frequentius: ut Ennius,

Orator ſine pace redit, regiáq́ refert rem. Et,

Frugifera & ferta arua Aſia tenet.—Et Tibullus,

1 *Phœbe faue, nouus ingreditur tua templa ſacerdos.*

O' fortunatam natam me Conſule Romam.

Cæterùm hæc imprudentia uidẽtur excidiſſe: illud Thucydidis certè ſtudio, σπεμία μία ναῦς: ut & illud Homeri, πρόσθεν βοὸς ἡγεμόνευε. Quæ duo ergo cacophata omnino fugiemus: & eadem cauſa geniti uorum accumulationem, præſertim pluralium. Nam quid Moriſotus in libello de Parecheſi (quem nobis dicauit) ſentiat, non eſt præſentis inſtituti. Is ludendo ſuo more (poetico ſcilicet) non tantum hoc, quod authore Cicerone defendit, ſed aliud quiduis dicendo faciet probabile. Nobis non quid probabiliter dici poſsit, ſed quid ſit uero magis conſentaneum, inueſtigatur. Alterum igitur in iunctura uitium committitur, ſi plures concurrãt uocales, & antitypia fiat literarum. Quanquam hæc in tarditate (uti diximus) & aſperitate exquiruntur: & Gellio uidetur, eaſdem uocales non ineptè coniungi, ut, Tu unus adoleſcens. Præterea ſi obſcuriores à ſonantioribus excipiantur, non adeò fit inſolens prolatio, atq; eſt contraria. Vt ſi ab E ad A: ab I ad E. Lato nanq; ore proferũtur A & O: medio E: reliquæ arctiori. Hinc illud contingit, ut nõ eundem ſemper eadem litera ſonum habeat. Nam I latius interdum profertur: & audire uideor E, aliquando V. Quare pro Heri dicunt here: pro optimum, optumum. Quàm quoq; uariat V: nunc cõſona (ut, uideo) nunc uocalis (ut, hui,) & rurſum uocalis ſibi proxima O (ut ſeruos, pro ſeruus) proxima Y: ut Sulla, pro Sylla. Conſonãs autem non ubiq; eandem uim retinet, etiam ubi liqueſcit. Vt in his, uim, uerùm, uocem, uanum, uultus, ſuadent, lingua, quæ, quos. Quoniam igitur uarietas in rebus omnibus iucunda eſt: ſi uocales mutare impunè liceat, nunquam eaſdem referemus. Vergilius id docuit, —*Vrbeis'ne inuiſere Cæſar Terrarumq́ uelis.*—Non enim urbes dixit, quia pinguius quiddam ſonabat. Alibi tamen, *Centum urbes habitant magnas*: quia urbeis tenue atq; exangue uiſum eſt. Deniq; conſonantium omnis cõtinuatio horridula eſt, & frenos iam appellauimus. Vt ars ſtudiorum. Et maximè poſt N aſperæ ſunt M, B, P, V, F, T. Quin & uocalium cum conſonantibus non omnium eſt facilis commiſsio. V, uocalis, propter inſignem cõtractionem labiorum, cum aſpiratis moleſtè

leſtè ſonat: tantóq; moleſtius, qu anto frequentius occurrit.

—*Sunt quos*(inquit Perſius)*uerrucoſa moretur*
Antiopa ærumnis cor luctificabile fulta.

Contrà læue illud, & ſupra modum glabrum eſt:

Claudere ſic uerſum didicit Berecynthius Athys.
Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin.

Mira quidem eſt literæ N ſuauitas tinnitus in fine dictionum. edit hæc ſonum quendam per nares, ueluti litui, gratiſsimum. contrà uerò M, ruſticum & barbarum neſcio quid innuit in fine. Quod Græci non ſine magno iudicio uitarunt. Et um ſyllaba tenebroſum, ac timoris plenum: ut, *Clamorq; uirûm, ſtridorq; rudentum.* Quamobrem plurali genitiuo parcius utuntur. R aſperum quid, ſed generoſum præ ſe fert, & uirile. Omnium uerò cõſonantium ſuauiſsima eſt L. Quæ cum in meo nomine ter inuenta ſit (ſimplex & duplex) nequeo non mihi placere: præterea quæ nuper ad me ſcripſit non minus lepidè quàm eleganter Moriſotus. Quęrit enim à me, cur potius Lullus, quàm Lullius dici uolui: cum gentiles mei Latinè in omnibus monumentis non Lulli, ſed Lullij inſcribantur. Carmen ſubijciam:

Annos gens tua floruit trecentos,
Magnis diuitijs, honoribusq;,
Nec non iuſticia, modeſtiaq;.
Hinc ampliſsima fama Lulliorum.
At nil tu tamen inde commoueris:
Quin gaudes potius uocatione
Lulli. Nunc peto, mî, uelis referre
Cauſam: ſi quid habes amoris in me.
An, quod neſcio quid notet minuti
Appellatio Lullij uetuſta:
Cum ſis maximus eruditione?
Hoc maioribus additum uidetur.
An te myſtica uis & abſoluta
Senari numeri rapit, ſibiq;
Totum mancipat? Hercules putarim.
Unius ſiquidem, duûm, triûmq;
Eius nomina partium coacta
Ipſum reſtituunt. quod eſſe tradunt
LLL *Perfecto numero peculiare.*
VV *Sic in nomine, quod tibi paraſti,*
S *Una eſt litera, ſunt duaq;, treſq;.*
An uis, hoc quaſi ſymbolo uideri
In te omnes Sophiæ coiſſe partes,
Nec quenquam eſſe hominum beatiorem?

Sic

Sic mecum ſolet ludere, & iocari Moriſotus meus, dum à grauio-
ribus ſtudijs Medicinæ ad humaniores Muſas reuertitur. Nos ca-
put hic de iunctura abſoluemus, ubi paucis unum ex dictis omni-
bus collegeris. Id autem eſt: literas duobus modis conſiderari: in ſe,
(ut aliæ aſperæ ſunt, aliæ læues, aliæ ſonoræ:) & alijs adiunctas. Hic
autem quadruplex cõtingit fieri coagmẽtationis genus. Nimirum
cum ſynalœpha, & eclipſi, quę plurimum duarũ dictionũ eſt: dein-
de cum hiatu, qui contrà plurimum in una: poſt hæc cum antitypia.
Hæc ſi abſunt, tum reliqua fit ἀλληλουχία, id eſt mutua literarũ con-
nexio. Ex his igitur cognoſces, cur uerſus quidam ſuaues, alij aſperi
& inſuaues. Alioqui enim idipſum quod modò tradimus, non tam
præceptis quàm ſenſu & iudicio aurium moderatos fuiſſe eloquen
tiſsimos quoſq; deprehendes: multos quoq; affectaſſe ſtudioſe au-
ſteritatem, & literarum antitypiã: præter cæteros autem, inter Ly-
ricos Pindarum, & inter tragicos Lycophronẽ, tam certè aſperum
in uerbis, quàm in ſententia obſcurum. Inter Latinos autem neſcio
quid magis robuſtum ac uirile tribuit uetuſtis illis poetis & orato-
ribus hæc compoſitio, & maiori ueneratione dignum, quàm recen-
tioribus Ouidio & Vergilio: licet hic multa pro loco imitetur.

De membris ſeu interuallis. *Cap. 4.*

IGITVR de ordine, quem in cõpoſitione primum quæ-
rimus, itemq; de iunctura, quæ potiſsima ad ſuauitatem
aſperitatemq; ſtyli uidetur, diſputatũ eſt: reliquæ ſunt
duæ partes compoſitionis, inter ſe non minus conſen-
tientes, quàm ſuperiores, membrum, & harmonia. Sicut enim iun-
ctura & ordine ſingularũ partium perficitur appoſitio, & quę Græ
cè dicitur ἀλληλουχία: ſic membris & harmonia, quę multarum ſunt
inter ſe. Sed hoc intereſt, quòd in iunctura ratio tantũ extremarum
partium habetur, ut uel aptè inter ſe coagmẽtari poſsint, uel diſpo-
ni, membrorum ratio, atq; harmoniæ, in plurium conſtitutione ea-
tenus ſita eſt, quatenus in unum ueluti corpus multa coaleſcunt,
conſpirantq;, diſsimilium pugnantiumq; rerum ueluti concordia.
Membrum. membrum nanq;, ſi excutias, non una res eſt, ſed ex multis efficitur:
nimirum ex differẽtibus omnibus partibus orationis quę in unum
Harmonia. coeũt: nomine inquã, uerbo, aduerbio, & coniunctione. Harmonia
autem nunc ex ſyllabarum natura differentium, eadem & diuerſa
conſtat quantitate: nunc ex tonorum mutua relatione, quod uoca-
mus modulationem: nunc rurſum ex membrorum aut uerborum
ſimilitudine atq; imitatione, quam παρίσωσιν Græcè, Latinè dici uo
lui concinnitatem. Cæterùm quod alij generaliter mẽbra hactenus
dixere, mihi iam lubet interualla nuncupare, & Græcè συστήματα.
Sunt enim hæc comprehenſiones uariæ nominum & uerborum,

aliæ

aliæ alijs maiores:& perfectæ aliç,aliç imperfectæ. Quanquam reij ciendum omnino membri nomen haudquaquam uidetur,quod receptius,& carminum ratione eſt factũ notius. De harmonia igitur poſtea dicturi, & de metabole, id eſt mutatione: nunc de interuallis ac membris dicamus.Et diſputantibus quidem nobis de mẽbris conſentaneum uidetur, ut corpus aliquod integrũ orationis in medium producatur: cuius(ut faciunt Anatomici)cum ſingula mẽbra ſeorſum,& articulos ſub aſpectum poſuero,ſuisq; nominibus & finitionibus unumquodq; demonſtrauero, tum demum intelligas quid in ſcribendo ſequendum eſt, & in ſuppungendo tenendum. Proponamus ergo nunc exordium Milonianæ.Hanc enim nos noſtri Operis in fine deſcribi iuſsimus,ut ſit oratoribus regula,non ſecus atq; olim fuit pictoribus canon ille Polycleti.Quoniam uerò de membris ſolum futura eſt hæc diſputatio:de partibus(inquam)cõpoſitis &(ut ita dicam)organicis(ut enim in corpore humano quædam ſunt quæ uocant medici ὁμοιομερῆ,& inſtrumẽta actionum, ut digitum,manum, brachium : ſic orationis partes quædam ſunt cõpoſitæ,quæ aliquo modo ſententiam perficiunt ac diſtinguũt,Græci dicunt ἀπηρτίζειν,aliç alijs maiorem)ideo per analogiam in oratione membra quædam obſeruare neceſſe eſt, quæ ſenſum per ſe ipſa non complent,ut ſunt in corpore digitorum articuli. Nullus enim eorum à ſe ipſo mouetur,ſed ab alio capit actionẽ,qua flectitur, aut erigitur. Nos ex Græcis pręceptoribus iam uſu receptũ habemus, ut hęc commata, exq; cõmatibus facta membra nuncupemus. neq; id quidem aliter, quàm ut ex duobus artubus ſeu articulis conſtat pollex,motu pręditus proprio & perfecto.Etſi totam manum,quę digitos plures capit,membrũ appellemus, certè compoſitũ quoddam ex multis intelligimus: ſic uocetur (ſi placet) in oratione periodus:id eſt circuitus,ſeu clauſula, ea comprehenſio quæ ex pluri- *Periodus.*
bus tanquam membris compacta eſt orationibus. Erit ergo mem- *Membrum.*
brum,partium orationis integra compoſitio: periodus, membrorum. Cæterùm etſi membrum commatis & articulis diſtingui aſſeruerim:poteſt tamẽ eſſe & abſq; articulatione,partim cum motu,partim etiã ſine eo:ſicut & in corpore naſus,& auricula, & quædam alia uidemus. Hoc in oratione ſuum nomen habeat, ſimplex membrum,uel rectum membrum.ut,(Non enim corona conſeſſus «
ueſter cinctus eſt,ut ſolebat: non uſitata frequentia ſtipati ſumus) «
poſterius hoc rectum uidetur:illud manifeſtè articulatum. Rurſus in hoc multæ particulæ:Quamobrem illa arma,cẽturiones,cohor- «
tes,non periculum nobis denunciant,ſed præſidium.Sed fortè ob- «
ijcies,ultimum articulum naturam referre membri,non commatis: quia nõ eadem ratione,qua reliqua,adiunctum eſt. Etenim cum in

alijs

alijs frequētatio partes ſecuerit:hoc per arſin et theſin cum moueatur:ab alijs ſeparandum alia ratione uidetur, quàm illa inter ſe. Verùm(ut reſpondeam paucis)articulum eſſe non nego, membrū nego. Neq; enim neceſſe eſt, ut idem ſit omnium nexus articulorum. Sufficit enim,ut à ſuperiori moueantur aliquo: ut quòd à uerbo aliquo deuinciantur,quod frequētiùs contingit. Imò uerò etiamſi uerbum proprium haberet (ueluti, ſed præſidium pollicentur) adhuc membri naturam integri deſideraret:quoniam caput eius,& ueluti muſculus,in ſuperiori nexus eſt,uerbi nominatiuus. Quamobrem nec idem in plura ſi ſecaretur,propterea membrum fieret. Vt ſi diceres:Sed præſidium,ut magno animo ſimus,pollicētur. Totū nanque id articuli uim retinet,& commate ſeparandum foret:licet articuli compoſitam formam. Ac tales quidem plurimi,non ſolū membra fiunt,maximè in exordijs per hyperbaton,& iniectiones ſententiarum. Velut,Nam illa præſidia,quæ pro templis omnibus cerni-tis, etſi contra uim collata ſunt:Articulū puta,in quo alius, tāquam epiphyſis quædam,inſitus eſt,nihil cōferens ad totius membri motum. In apodoſi quoq; non articulus,ſed membrum integrum immiſſum. Quod tamen per parentheſin ideo ſeparatur,quia commune ei nihil eſt cum ſententia:non afferunt tamen oratori aliquid, ut
» in foro & in iudicijs(quanquam præſidijs ſalutaribus & neceſſarijs
» ſepti ſumus)tamen ne non timere quidē ſine ullo timore poſsimus.

Articulus. Ergo articulus appelletur,quia aut uerbum,aut ſuppoſitum, aut aliud quid aliunde deſumit. Sed ad huius rei declarationē illud ſciendum eſt, quod refert Halicarnaſſeus in lib. περὶ συνθέσεως ὀνομάτων: *Orationis partes.* partes orationis(ſeu,ut ipſe loquitur,partes dictionis)ab Ariſtotele & Theodecte factas eſſe tres, nomen,uerbum, & cōiunctionem. eaſdem fecit Varro:nam coniunctionem partem ponit,ſine tempore & caſu. Stoici quatuor, qui articulos à coniunctione ſepararunt. Alij adiectiua etiā adiecere. Alij item pronomina: ut non tres, ſed ſex iſti poſuerint. Ab his ergo partibus,atq; ab harum acoluthia,& regimine,nos membra finiemus. Eritq; membrum unius uerbi,aut unius nominis,uniusq; coniunctionis integra perfectaq; conſequutio. Nam ſi plura ſint uerba,uno nomine,unum membrum erit: & contrà ſi plura nomina,uno uerbo unum membrum definietur: & rurſum,quāquam plura nomina ſint, atq; etiam plura uerba, ſi una ſit coniunctio utriſq; reſpondens (uoco autem cōiunctionem cum Ariſtotele, partem indeclinabilem) non plura membra,ſed unum arbitrabimur. Neq; ex numero ſyllabarū,aut pedum, hæc ipſa metiemur,in ſcribendo(ut quondam multi)ſed ex figura, diuiſioneq; interpretandi in comprehenſione. Quid enim certi habet illa diuiſio, quam ex longitudine ſumunt alij? profectò nihil differt ab ine-

pti

pti coqui aut lanij peritia: qui membra ſibi data non per artus & iũ-ctúras partiuntur, ſed temerè ſecant, ubicunq; contigit, & commi-nuunt: non pro natura mẽbri, ſed pro capacitate quantitate'q; ollæ. Atq; hinc etiam docti quidam etiã falluntur: & in diſtinguẽdis clau ſulis ſæpe hæſitant. Quid ita? quia dubitant, atq; incerti in uaria fe-runtur, membra'ne ſint hæc, & duobus punctis ſeparãda, an potius commata. Et Græcorum quidam morem imitati, puncto ſupernè ſeparant, alia omnia duobus: pleriq; caudato utuntur, quod com-ma dícitur. Sed nos exemplum proponamus noſtræ meditationis.

At regina, graui iamdudum ſaucia cura,

Uulnus alit uenis:—Hoc membrum alioqui integrum, pars facta ma-ioris eſt, propter adiunctionem ſequentis:—*Et cæco carpitur igni.* Nã licet duo uerba ſint, Alit, & carpitur: adiuncta uerbis etiam diuer-ſa: tamen quia unum eſt nomen utrumq; ſuſtinens uerbum, regina: non plura, ſed unum cẽſebitur membrum. Proximum huic, à quo per apoſtaſin & punctum ſeparatur:

Multa uiri uirtus animo, multusq; recurſat

Gentis honos:—eodem pacto unum, ſicut & illud. Duo nanq; nomi-na, uiri uirtus, & gentis honos, unicum uerbum ſuſtinent, recurſat. Tertium,—*Hærent infixi pectore uultus,*

Verbaq; nec placidam membris dat cura quietem.

Et hoc unum eſt, ſed maius dicitur, diſtinctas partes habẽs duobus punctis: quòd maior partium facta diuiſio, atq; diſtinctio. Nam & nomina duo, & uerba duo, & adiuncta uerbis diuerſa: tamen con-iunctio Nec, ſimiles modos temporaq; connectens, effecit ſanè u-num. Partes ſunt, articulus, comma, & membrum. Articulus nanq; unus eſt,—*Hærent infixi pectore uultus.* Cum enim ſenſum efficere poſ-ſit, non minus quàm quod ſequitur,—*Nec placidam membris dat cura quietem:* tamen quia adiectum ei eſt, Verbaq; (quod nec membrum eſſe poteſt, neq; articulus, ſed tantum comma: neq; enim ſubſiſtere ullo modo per ſe poteſt, nec ſenſum ullum reddere, qui ex uerbo & nomine conficitur) ideo articulum appellamus: qui cum iuncto cõ-mate membrum facit. Vt & quod ſequitur,—*Nec placidam membris dat cura quietem.* Senſum nanque complet: nec quicquam ei additum eſt, ut priori. Quare hoc ſimplex membrum eſt, & rectum: illud o-bliquum: tota comprehenſio quoq; unum membrum ex duobus conflatũ. Vna etenim coniunctio, duas illas partes coniungens, u-nũ neceſſe eſt efficiat. Erit ergo Articulus pars illa, quę ſenſum qui-dem diſtinctum ſeparatumq; cõplet: ſed uel ei additum eſt aliquid imperfectum, cum quo membrum perficitur: uel ipſum adhæret a-lij, quod ſeipſo conſiſtere non poterat. ueluti quia uel uerbum, uel nomen, uel coniunctionem (cum Ariſtotele) & cõſequutionem ab *Articulus.*

K alio

alio petebat. Illa uerò particula, quæ nec ſenſum perficit, nec omnino ullum de ſe habet, ſed per hyperbaton trunca, aut adiecta remanet, propriè κόμμα, id eſt ſegmentum appellatur. ut in dato exemplo, *Verbaq;*. Et in Miloniana, Nam illa præſidia. Si nanq; ipſam (ut ita loquar) epiphyſin auellas (quæ pro templis omnibus cernitis) integer nihilominus relinquetur articulus (nam illa præſidia, etſi cõtra uim collata ſunt: atq; alius item, Non afferunt tamen oratori aliquid: Et duo illa minora commata, Vt in foro, & in iudicio: quæ ſubit parẽtheſis, Quanquam præſidijs ſalutaribus, & neceſſarijs ſepti ſumus: & abſoluitur articulus) Tamẽ ne nõ timere quidem ſine ullo timore poſſimus. Totum autem membrũ atq; clauſula duobus conſtat aduerſatiuis: quorum ubi protheſis, per relationem extenditur ſubſtantiæ: alterum, ubi redditio, per finalem, cum parentheſi. Sed iam inſurget hic aliquis: Si ſic definiamus articulum primũ, nulla periodus conſtabit membris, aut nulla ſaltem earum quæ ſenſum cõuertunt: deinde Grammaticorum recepta perſuaſio falletur, qui articulum in his poſuere: Rem, famam, parentes, amicos, & ſimilibus uocabulorum cumulis. Primũ enim periodus una cõiunctione deuincitur. Deinde ſenſus in conuerſione ſic ſibi hærent, ut alter ab altero ſemper dependeat & trahatur. Quid ergo cenſebis (inquies) de illo principio, Etſi uereor, Iudices? Nam ſi ſuſpenſa eſt ſententia, non membrum, ſed membri particula cenſebitur. Errarunt ergo docti, qui duobus punctis hæc, tanquam membra, diſtinxerunt. Quòd propterea quis inſurgat, non eſt opus. Nam ſi articulũ in cumulis eiuſmodi uocabulorum conſtituêre, non ideo tamen uoluiſſe putandum, ut in ſingulis eſſet illis uocibus articulus: ſed ex illis pluribus fieri etiam mecum ſentiant. Si uerò periodus quædam dicolos, alia tricolos, atq; etiam tetracolos dicitur: id poſſet nõ tam ex membrorum ratione, quàm ex numero partium dici: quòd non ſemper ex colis, id eſt membris, ſed ex commatibus ſæpe componatur. Verùm an omnis ex commatibus, an uerò aliqua ex membris, mox declarabo. Nunc de membro agimus, quod integrum eſſe, ſenſumq; perfectum (quantum ad partium conſequutionem attinet) continere cenſemus: niſi figura conſequutionis excuſetur. Nam quod figura deeſt, intelligentia reſarcitur. Ergo membrum hoc erit, ſed ſimplex: Quamobrem adeſte animis iudices. Diſtinguitur tamen commate, hoc eſt caudato puncto & expanſo, ab altera (Et timorem ſi quem habetis deponite) nõ quia tota periodus duobus commatis inſiſtat (certũ nanq; eſt, utrumq; perfectũ eſſe) ſed quia ſufficienter articulata uiſa eſt breuitas membri eo ſigno. Quemadmodum ſæpe etiam fit, ut artus longiores membrorum diſtinctione, hoc eſt puncto duplici, notentur. Veteres enim (ut ſuprà dixi) non

Comma.

non tam ſenſu, quàm numero ſyllabarum, utrunq; definiebãt: mem
brum quodq; nimirum epodo minimum ęquale, cõma hoc minus,
longiſsimum heroico uerſu non maiorem conſtituentes. Quod ſi
decem & octo ſyllabas ſuperaret, ἐχτινοτελές, id eſt protenſum appel
labant: aptum procemijs & circuitionibus procemiorum mem-
brum. Tale eſt, Etſi uereor iudices: & alterum, Minimeq; deceat: &
tertium, Tamẽ hęc noui iudicij. Sed ea contẽplatio cùm infinita eſt,
tum etiã ex librarij opera magis petenda, quàm ex induſtria ſcripto
ris: & à nobis modò reiecta. Quare ſentio aliter præcipiendum. Et
in ſumma, Quoties oratio per comprehẽſionem in duos ſenſus (uel
ex re, uel ex perſona) diſtincta eſt: ſi utraq; partiũ, in quas totus pri-
mùm ſenſus diuiditur, alia diuiſione diſtincta ſit: ipſius quidem par-
tes in articulos & commata ſecabimus, tota oratione in membra ar
tuſq; integros ſeparata. ut, Etſi uereor iudices: apartiſis eſt aduer-
ſantium trium membrorum, quorum unumquodq; etiam ſuas par
tes habet. Verùm ſi una tãtum ſit diſtinctio, aut adeò parua, ut octo
ſyllabas non excedat, aut certè indiuiſa ſententia (quanquam mem-
brum per datam rationem dici poſsit: & duobus punctis ab alio, ut
ſic dicam, articulato membro ſeiungi: quia rem ſimul & perſonam
diuiſerit) tamẽ impunè ſeparari ſolet eo ſigno, quo cæſa: nempe ex-
panſo puncto infernè. Sic à me Conſul deſignatus defenditur, ut «
eius nulla fraus, nulla auaricia, nulla perfidia, nulla crudelitas, nullũ «
petulans dictum in uita proferatur. Et in illo ambitu ampliſsimo: «
Nam ſi unquam de bonis & fortibus uiris, ſi unquam de bene meri- «
tis ciuibus poteſtas uobis iudicãdi fuit: ſi deniq; unquam locus am «
pliſsimorum ordinũ delectis uiris datus eſt, ubi ſua ſtudia erga for «
tes & bonos ciues, quæ uultu & uerbis ſæpe ſignificaſſent, re & ſen «
tentijs declararent, hoc profectò tempore eam poteſtatem uos ha- «
betis, ut ſtatuatis, utrum nos, qui ſemper ueſtræ authoritati dediti «
fuimus, ſemper miſeri lugeamus: an tam diu uexati à perditiſsimis «
ciuibus, aliquãdo per uos, ac ueſtram fidem, uirtutem ſapientiamq; «
recreemur. Duo membra in propoſitione uides diſtincta: tertium
eſſe poterat (Hoc profectò tempore eam poteſtatẽ omnem uos ha-
betis.) Sed quia conſequutio in promptu eſt, commate ſeparauit,
quod potius tamen uideretur in antitheto (An tam diu uexati.) ab
uno enim eodemq; principio dependet, quo & alterum: unaq; per-
ſona utrũq; uerbum ſuſtinet. Verùm ratione habita ſpiritus, & nu-
meri ſyllabarum (quod dixi) non raró fit, ut data diſtinctio non ſer-
uetur. Quanquam ſi punctorũ exacta atq; ad libellam perpenſa ra-
tio tenenda eſſet, ſentirem clauſulas alio diſpũctionis genere diſtin-
guendas. Quod ſi probari poſſet à doctis, libenter ipſe aſtruerem.
Vnum eſſet commatis illius: Si unquam de bonis, & fortibus uiris.

Hic quia reſumitur ſpiritus, punctum ſupernè expanſum, interrogationis ritu collocarem: uel Græcorum more, interrogandi punctum ſuperius ſubdito infernè extēſo. In fine membri relinquerentur duo. In altero autem membro, primum articulum: Si deniqꝫ unquam locus ampliſsimorum uirorum delectis uiris datus eſt? Eodē ut prius, quo interrogationem ſignificamus, diſtinguerem: ut articulum eſſe cōſtaret. A' quo & maius membrum ſeparatur duobus. Nec aliter in redditione, Hoc profectò tempore omnes uos habetis. Quam quidem ſcribendi rationem, ut exactiorem ſi tenere uolumus, nihil eſt quod prohibeat. Vbi ſi ueremur, quòd pro interrogatione poni ſolet punctus ſurſum expanſus: ponito deorſum, cum rotundo ſuperius, quibus Græci in eadem interrogatione utuntur. Quin etiam loco huius, ut articulum diſcernas, duo potes collocare: & loco duorum, ſuperius unum, more Græco. Quod mihi probaretur magis, niſi toties occurreret illud duplex in Latinis monumentis, coli nomine uſurpatum. Nam ut integra clauſula uno puncto comprehenditur: ſic proxima ratione, quæ nō omnino integra, ſed propè integra eſt, & maxima pars integræ, uno supernè limitabitur. Et certè clauſula maiuſculo charactere dignoſcitur. In hunc modum igitur quadruplex inuentum eſt genus membri: Clauſula, quæ uno pūcto inferius poſito diuiditur. Membrum maius, quod ſuperiori notari poſſet, quia appendicem maiorem indicat. Membrum minus, quod duobus punctis duas partes habere dignoſcitur: Articulus, qui à commate caudato pūcto, ſicut & commata, inter ſe diſiunguntur. Præter hæc eſt in parentheſi interuallum duabus lunulis (ſeu hemicyclijs) conceptum. Hæc omnia in exemplo contemplare. Nam ſi unquam de bonis, & fortibus uiris: ſi unquam de benemeritis ciuibus poteſtas uobis iudicandi fuit: ſi deniqꝫ unquam locus ampliſsimorum ordinum delectis uiris datus eſt, ubi ſua ſtudia erga fortes, & bonos ciues (quæ uultu & uerbis ſæpe ſignificaſſent) re & ſententijs declararent. Hoc profectò tempore eam poteſtatem omnem uos habetis: ut ſtatuatis, utrum nos (qui ſemper ueſtræ authoritati dediti fuimus) ſemper miſeri lugeamus: an tam diu uexati à perditiſsimis ciuibus aliquando per uos, ac ueſtram fidem, ſapientiamꝗ recreemur. *Clauſula.* Clauſulam itaqꝫ uocamus eam comprehēſionem ſententiæ, quæ per ſe ſola conſiſtit, & uno puncto inferius terminatur: in qua ſi membra uel articuli ita cōponuntur, ut unum principij, aliud finis rationem habeat, *Periodus.* periodus eſt Græcis, Latinis circuitus. Vt autem una ſit comprehenſio, ſeu una clauſula, & generaliter unum membrum, id à coniunctione conſequitur. illud uerò quod principium & finem non præ ſe fert, cum ſeparatum non ſit partibus, rectum eſſe dicitur, & longum atqꝫ breue. Protēditur autem

tem membrum longius duobus modis. Vnus eſt, ſi adiectiuorũ & appoſitorum participiorumq́ magno apparatu oneretur: alter, ſi mutato ordine naturali & recto, quæ aliàs cõmate ſeparari debuerant, in unum componas. ut Liuius: Nam neq́ ualidiores opibus ullæ inter ſe ciuitates gentesq́ contulerunt arma. Traiectione quidem ſubſtantiui & adiectiui alia dictione interpoſita, & appoſito ſequente uerbum, protenditur membrum hoc & dirigitur: ſed non omnino ſimpliciter. Simplex enim uno uerbo & uno nomine, unoq́ aduerbio efficitur, ſine coniunctione. Quod ſi deſit unum, ex his, non ſimplex erit, ſed compoſitum: licet aliud rectum dici poſsit, aliud obliquum, ſiue cæſum, & commatis compoſitum. Patet igitur ex his, interualla definiri partim ex proprijs partibus (nomine inquam, uerbo & cõiunctione) partim ex adiunctione alterius interualli. adeò ut poſsit ex adiunctione, quod membrũ erat integrum, fieri articulus: & fieri membrũ, quæ integra periodus. prioris exempla dedi, huius erit: Qui ſæpius cum hoſte cõflixit, quàm quiſquam cum inimico decertauit: plura bella geſsit, quàm cæteri legerũt: plures prouincias confecit, quàm alij concupierunt. Vides hic frequentatas periodos una comprehẽſione? Videamus ergo quid ſit periodus. Periodus tam diaſtoles, & antitheſis, quàm conuerſionis eſt ſyſtema. In hanc autem ſi mixti per epembolen ſenſus animum longè ſuſpendant, ita ut ad finem ſententiæ reſpirationemq́ ſerò, quaſi ab errore, perueniatur: figura comprehenſionis dicitur, Græcè περιβολὴ, hoc eſt ambitus, & longa circuitio. Iam ſi membra & periodi cõtinuentur longius, & alia diu ab alijs depẽdeant, perq́ ſyſtaſeis quãmultas oratio uincta effundatur, quemadmodum in hiſtoria uidemus: figura compoſitionis εἱρμὸς, hoc eſt tractus, & ſeries dicitur: ſicut ſeparatio eorundem, qualis in prouerbijs, ſententijsq́ moralibus, & præceptis mathematicis, legibus, & alijs id genus ad unguẽ ediſcẽdis regulis, ἀφορισμὸς, id eſt præciſio nuncupatur. Porrò autem illa cõtinuatio ſenſuum diſſoluta, qualis in hiſtoria ueteri & inculta (ubi neq́ periodorum, neq́ membrorum ulla ratio habita eſt: ſed ut in buccam quæq́ uenerant, ita ſine diligentia, quaſi ex tẽpore reddebãtur) ſchedia ſunt: quaſi dicas rates aut ſcopas diſſolutas, ut,

Ambitus. *Eirmos.* *Aphoriſmus.* *Schedia.*

Principiò cœlum & terram, campoſq́ liquentes,
Lucentemq́ globum Lunæ, Titaniaq́ aſtra,
Spiritus intus alit.—Nam licet hiſtoria nõ aphoriſmis, neq́ enthymematibus contorquenda ſit: non ideo tamen debet ita fuſum eſſe genus ſtructuræ, ut ſolutum ac diſsipatum: ſed cum ambitu & circumſcriptione ita temperatum, ut tanquam in orbe concluſa oratio, diu inſiſtat, & currat ad finem uſq́ argumenti: genus quidem aptũ laudationibus. nam rerum geſtarum memoria non niſi narratione cõ-

tinetur. Atq; ut circuitio diſputationibus idonea eſt, ſic illud alterũ conſilijs: in familiari colloquio abſolutioni, quã διάλυσιν uocarunt, & ſchediaſmo locus datur, cum omnia commaticè, reſpondendo et interrogando proferuntur: genus dicẽdi humile atq; extenuatum, Græcè ἰσχνόν. Hoc uſus etiam Cicero in Miloniana alijs cùm multis

» locis, tum in his: Sed erant permulti alij, ex quibus id facile ſcire poſ

» ſet: omnes ſcilicet Lanuuini. Milo de Clodij reditu unde quæſiuit?

» quæſierit ſanè. Videte quid uobis largiar. Legite teſtimonia teſtiũ

» ueſtrorũ. Item illud: Sed finis ſit. neq; enim præ lachrymis loqui poſ

» ſum: & hic ſe lachrymis defendi uetat. Doctus itaq; formas huiuſmodi, cum diligentiam adhibere decreuerit, fugiet. Nam ubi omnia aphoriſmis & periodis exponuntur, ſatietatem & faſtidium ſimilitudo parit (qualia ſunt eorũ ſcripta, qui Iſocratẽ malè imitati ſunt.) Vbi uerò ſemper continetur oratio, nec illæ quaſi reſpirationes interuallis atq; definitionibus periodorum interponuntur, utrunq; & dicentem & audientem fatigant. Cæſa ubiq;, nihil à ſermone imperitorum differunt. In circuitione quoque & continuatione ſenſuum oſcitare & diſtendi auditorem, compertum eſt. Quare permiſcenda hæc, & rebus pro conditione accommodanda. Prætermiſeram, ab Nicanore grammatico facta eſſe octo genera punctorum: perfectum, imperfectum, perfectiſsimum, & medium: tum ſupernè unũ, & ſupernè alterum: & cum actione, ſeu geſtu, & ſine eo. Octauum uocat ſubdiſtinctionẽ. Sed ea quæ nos diximus, facilè mentem Nicanoris declarabunt. Siquidem punctum diuerſis cauſis diuerſa nomina ſortitur: & propter exclamationes, admirationes, & interrogationes, duo genera inuenit, ἐνυπόκριτον, & ἀνυπόκριτον. ἄνω πρώτη, καὶ ἄνω δευτέρα, illa ſunt, quæ in exartiſi, & omni reſumptione ſpiritus fieri ſolent: quoties inquam in parte membri aliæ fiunt diſtinctiones. Horum nanq; ratio quia non eſt eadem ambobus, loco pũcti ſuperioris, duo hemicyclia in ea, quam uocamus parentheſin, collocamus. Illorum ſcriptio ſic erat: Nullum unquã, iudices, mihi tantum dolorẽ inuretis ** Etſi quis poteſt eſſe tãtus? Sed ne hunc quidem ipſum, ut obliuiſcar, quanti me ſemper feceritis * Hic eſt perfectus punctus, quem ſequitur: Quę ſi uos cœpit obliuio, aut ſi in me aliquid oſtendiſtis * cur non id meo capite luitur potius, quàm Milonis? Sed redeamus nos ad periodum. Et ſciendum quidem eſt, non omnem exæquationem, atq; in partes diſtinctam orationem, eodem modo dictam eſſe periodum: niſi hæ ſic inter ſe connectantur ac complicẽtur, ut totius orationis principium

» & finis, uno quaſi obtutu conſpiciantur. Ei uerò mors parabatur,

» cuius in uita nitebatur ſalus ciuitatis. Item: Quia perfecta res non erat, non fuit punienda. Ariſtoteles enim periodum finit, orationẽm

Punctandi ratio à Nicanore tradita.

Periodi finitio.

quæ

quæ principium finemq́ continet: Halicarnaſſeus, conſtitutionem ex membris, & inciſis, bene conuerſis, ſubiectamq́ ſententiam perficiẽtibus. Eam obrem periodus (ſi uim ei datam recipimus) totius ſententiæ eſſet rotunda quædam breuiterq́ coacta compoſitio. Et uirtutes nõ ab re dederũt ei, εὐσυνόπτον, εὐανάποδοτον, εὐμαθῆ. Quãquam fieri poteſt τρίκωλος, & τετράκωλος. Nam duplici propoſitioni frequenter unam reddimus: & uni duplicem nõ rarò. Quæ ſi op- «
poſita Miloni putarem, cederem tempori, Iudices, nec inter tantam «
uim armorum exiſtimarem oratori locum eſſe. Plures præeunt in «
hac: Si Milonem times: ſi hunc de tua uita nefariè, &c. Dicolos ferè ſententioſa eſt, teſte Hermogene: Multos timeat oportet, quẽ multi timent. τὸ γὰρ εὐπλεκτεῖν παρὰ τὴν ἀξίαν, ἀφορμὴ τοῦ κακῶς φρονεῖν τοῖς ἀνοήτοις γίνεται. Tetracoli etiam fieri poſſunt: quippe cum duplex redditio duplici propoſitioni adijcitur, aut utrunq́ ineſt (ut ſentiũt ueteres) & propoſitio & redditio. Quod genus periodi elegantiſſimum eſt, propter partium commutationem. Poteſt enim quatuor modis conuerti. ut propoſitio prima cum redditione ſecũda: & rurſum propoſitio ſecunda cum redditione prima. Ex duabus quoq́ propoſitionibus, & duabus redditionibus ſimul iunctis: & contrà, ex duobus redditionibus præeuntibus propoſitionẽ. Exemplum ex Demoſthene ſumpſit Hermogenes: ἐν μὲν γὰρ τῷ γράψαι μηδέν᾽ εἶν᾽ ἀτελῆ, τοὺς ἔχοντας ἀφείλετο τὴν ἀτέλειαν, ἐν δὲ τῷ προσγράψαι μηδὲ τὸ λοιπὸν ἐξεῖναι δοῦναι, τὸ δοῦναι ὑμῖν ἐξεῖναι. Hac quoque ratione inuenit illam comprehenſionem, quam χιαζομένην περίοδον, id eſt decuſſatam dixit: & quater ac uicies commutari poſſe docent Hermogeniani, ut utraq́ redditio utriq́ propoſitioni congruat, & cõtrà. ὁ μὲν γὰρ Φίλιππος ὅσῳ πλείονα ὑπὲρ τὴν ἀξίαν πέπραχε τὴν αὑτοῦ, τοσούτῳ θαυμαστότερος παρὰ πᾶσι νομίζεται: ὑμεῖς δὲ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὅσῳ χεῖρον ἢ προσῆκε κέχρησθε τοῖς πράγμασι, τοσούτῳ πλείονα αἰσχύνην ὠφλήκατε. Has quatuor partes ſi in χ figuram diſponas, nulla eſt quę non queat cæteris & præponi & poſtponi. Quare cõſequi uigintiquatuor periodos neceſſe eſt: ſenſu rerum eam uim permittente.

Verùm enimuero, cum abſolutus orbis, fiat omnis exęquatio interpretandi: tum maximè omnium ſyſtrophe. Eum ciuem retineatis, «
qui ſemper genus hoc hominum clamoresq́ neglexit. Siquidem ex «
complicatione relatiui cum antecedente & hypoſtaſi atq́ ſuppoſitione hoc efficitur, ut oratio in ſe ipſam reflectatur, & quodammodo redeat. ideoq́ pleriq́ hanc unam uocant (uti dixi) periodum.

Sed inter periodos, quædam ſunt longis ambagibus circunductæ, quas appellauimus περιβολάς: aliæ protenſæ, quarum ratio tantum in eo ſita eſt, quòd principio conſtant & fine, eam uim atq́ naturam una coniunctione monſtrante. Ita ſunt aliæ ſic in orbem conuerſæ

acrotatæ, quarum figura multo elegantior, & curſus concitatior
Couolutio. (neſcio tamē an multis cognita) cōuolutio dicta eſt à Latinis: quod
partes exæquationis ἀπὸ κοινοῦ (ut dicunt Græci) id eſt ex communitate, per ſuppletionē alicuius uocis in altero membro, aut per breue hyperbaton, ſuſpenſæ connectuntur, & quaſi conuoluuntur. Sit hoc genus ϛρογγύλον, id eſt turbinatum, & cum rotūditate tanquam tendens in acumen: cui ſi numerus adhibeatur, nihil eſt cōcitatius.
» ut, Quid igitur ait Hortenſius? ſi uni omnia tribuenda ſunt, unū di-
» gniſsimum eſſe Pompeium. Item: Duos ſe habere ſemper amiciſsi-
» mos ſperaſſe, te tuo beneficio, me ſuo. Et illud: Miloni nulla facultas
» manendi, exeundi non cauſa ſolum, ſed etiam neceſsitas fuit. item:
» Hæc non delata ſolum, ſed penè credita: nec antè repudiata ſunt,
» quàm quæſita. Breui hyperbato: Quem diem ille, quam cōcionē,
» quos clamores, niſi ad cogitatum facinus properaſſet, nunquam re-
» liquiſſet. Et, —*Coràm, quem quæritis, adſum Troius Aeneas.—*
Nec norat Lyricos illa, uel illa modos.
» Coniunctione relatiui & antecedētis: Neq; aliter facere poſſunt ij,
» quibus commiſſa eſt tota reſpub. Et, Vulnus in latere, quod acu pū-
» ctum uideretur, pro ictu gladiatoris putari. Sententia pro ſuppoſi-
» to uerbi poſita: Neſcire autem quid antequam natus ſis accideret,
» id eſt ſemper eſſe puerum. τὸ γὰρ εὐπράττειν παρὰ τὴν ἀξίαν, ἀφορμὴ τοῦ
» κακῶς φρονεῖν τοῖς ἀνοήτοις γίνεται. Sed participio & comparatione
» inprimis: —*Quæ non inuenta reperta es.* Neminem unquam hominem
» homini chariorē fuiſſe, quàm te ſibi. In his autem (Spe ampliſsimo-
» rum præmiorum ad rempublicam adducti, metu crudeliſsimorum
» exitiorum carere non poſſumus) concinnitate ſimiliū æqualiumq;
ſyllabarū extincta eſt, ſuppreſſaq; uolubilitas. Siſtitur ergo curſus, quem inceperat participium. Omnis enim æqualitas fine caret: conuolutio autem in conū deſinit. Itaq; ſi principium eius productiore tenderes ſpiritu, aut ὑποσυναφῇ, id eſt adiunctione alterius cōuerſionis, & εἱρμῷ, produceres membrum, quanto breuius priore erit alterum, tanto celerius uolui ac ruere tota uidebitur oratio: quod
» eſt maximè ϛρογγύλον. ut, Quem diem ille, quam cōcionem, quos cla-
» mores, niſi ad cogitatum facinus properaſſet, nunquam reliquiſſet.
» Item, Depreſſam, cæcam, latentem domum tuam, pluris quàm te &
» fortunas tuas æſtimaſti. item, Niſi eum Dij immortales in eam mē-
» tem impuliſſent, ut homo effœminatus fortiſsimum uirum conare-
» tur occidere, hodie rempub. nullam haberemus. Quòd ſi e diuerſo
Adron. protrahatur redditio, quaſi ſurſum baſi facta, τὸ ἁδρὸν, id eſt plenū
» genus, robuſtumq; fiet, & teres. ut, Vinceretur q; ab eo, quem ſi ui-
» ciſſet, habiturus erat impunitatem, & licentiam ſempiternam. item,
» Nam quid eſſet ingratius, quàm lætari cæteros: lugere eum ſolum,

propter

propter quem cæteri lætarentur? Hoc genus non ſolum robuſtum, ſed amplum & magnificum, paſsim occurrit in orationibus Tullij. Producit enim ferè alteram partem exæquationis, alia nunc exæquatione, nunc hyperbato aut extenſione, nunc etiam diſtributione. Nec ſupinitas aut imperitia dicenda eſt, ſi finis maior ſit principio. Nam diſtingui partibus & menſurari poteſt etiam extenſa red ditione cum concinnitate. Imò uerò compoſita periodus, quæ ſine numero deprehenditur (etiamſi reliqua non deſint) claudicat omnino, & inciſæ ſimilis eſt. Tu ipſe periculum fac, detractis particulis à Ciceronianis. Atq; hæc quidem de ſtrongylo, & adrotete. Sed non unus amborum uſus. conuolutio enim Elenctica eſt, & charácteri inſeruiens, quem poſtea nos dicturi ſumus, Gorgon: Adrotes uerò, encomiaſtica, & quieta. Cum igitur conuolutio nonnihil abſcondat membrorum commiſſuram, uiſum Hermogeni eſt, fieri interdum monocolon periodum: contrà uerò Aquilæ, quem magis probo: quia ſub genere membrorum etiam articulos & commata comprehendimus. Nam quæ periodus dici poſſet, quæ fine & principio careat? Sed hinc deceptio orta eſt, quòd latet aliquando membrorum iunctura. Etenim ſicut corporis noſtri membra quædam manifeſta articulatione, alia oculta compegit naturæ Deus (ue luti cum brachia, tibias, & crura moliretur) ita artus illos inter ſe cõiunxit, ut nihilo minus ſeparati diſtinctiq; conſiſtãt. In cranio autẽ & mandibula ita partes commiſſæ ſunt, ut præter doctos, alios omnes fugiat commiſſura. Hanc medici uocant συναρθρωσιν, illam διαρθρωσιν. *Synarthroſis.* Et pari ratione erunt in oratione coarticulationes quædam, & dearticulationes: ut particulæ quibus membra committuntur, *Diarthroſis.* uel extant & manifeſtæ ſunt, uel latent, & nullæ uidentur. Ac tales quidem ſunt in ijs periodis quæ per participium componuntur: quarum uſus frequens in hiſtoria. Atq; "hunc uir ille ſummus ſcelere ſolutum periculo liberauit." Et illa Platonis elegantiſsima in Epitaphio, cuius ideo fuſam dictionem arbitrantur nonnulli. ἔργων γὰρ εὖ πραχθέντων λόγῳ καλῶς ῥηθέντι, μνήμη καὶ κόσμος γίνεται τοῖς πράξασι παρὰ τῶν ἀκουσάντων. Naturam participij habent gerundia, & nomina multa. quocirca per analogian de cæteris exæquationibus cenſeto. Nam ut diſtinctio lateat, tamen ratione aliqua partes coaleſcunt. Et ſanè contraria ſic inter ſe cohærent in comprehenſione, ut nullam deprehendas iuncturam, aut ſuturam: quòd ſola cõtinentur applicatione. "Quòd ſemper pro bonis contra improbos ſenſerat." Iam uerò quod periodi quædam ἰσόκωλοι, id eſt parium membrorũ: aliæ μύουροι, id eſt extenuatę in fine: & aliæ βραχύκωλοι, id eſt, celeres, quorum ſcilicet præceps incitataq; feratur concluſio: partim ad numerum referendũ id erit, partim ad concinnitatem. Atq;

hæc

hæc quidem hactenus de interuallis. Habes igitur, ſimpliciſsimum eſſe comma:clauſulam compoſitiſsimam.Inter hæc conſiſtunt articulus,membrum rectum,& reductum : quæ dicitur periodus. poteſt autem clauſula ſubſiſtere in eo ſyſtemate,qui eſſe poterat nō ſolum periodus & membrum,ſed etiam articulus.In quorum compoſitione illud laudat in primis Cicero, ut poſt cæſa ſequantur membra integra,deinde omnia tanquam crepidine,cōprehenſione longiore ſuſtineantur.Sed nos hunc μετασχηματισμὸν iam ſuprà definij mus ἀκμὴν,ſi per ſolum ſpiritum ducatur: καταφορὰν uerò,id eſt de grauationem,ſi in accuſando cum uehementia.ut,Domus tibi deerat? at habebas:pecunia ſuperabat? at egebas:incurriſti amēs in columnas,in alienas inſanus inſaniſti.Depreſſam,cæcam, latētem domum pluris quàm te,& quàm fortunas tuas æſtimaſti.Ea figura in Roſciana nō tam iuueniliter, quàm eleganter inſurgit: Quid enim magis commune,quàm ſpiritus uiuis,terra mortuis,mare fluctuātibus,litus eiectis? & quæ ſequuntur. Verùm ut data ab Cicerone

Acme.
Cataphora.

» rat? at habebas:pecunia ſuperabat? at egebas:incurriſti amēs in co-
» lumnas,in alienas inſanus inſaniſti.Depreſſam,cæcam, latētem do-
» mum pluris quàm te,& quàm fortunas tuas æſtimaſti.Ea figura in
» Roſciana nō tam iuueniliter, quàm eleganter inſurgit: Quid enim
» magis commune,quàm ſpiritus uiuis,terra mortuis,mare fluctuā-
» tibus,litus eiectis? & quæ ſequuntur.

doctrina utilis eſt in uigore,non ubiq; tamen ſectanda:quoniā nec ubiq; amplum hoc & magnificum dicendi genus exquiritur: illud tamen præcipiendum duco,quòd niſi ad tertium ſchema perueniatur,nulla neq; uigoris,neq; cataphoræ uis appareat. Quare ſolent ab interrogatione incipientes, deinde ſecundam figuram enunciationē ſubijcere, tertiam conditionalem & incertam : uel è diuerſo, ab hypotheſi incipiētes,in interrogationem deſinere. Sed neq; uniuerſalis eſſe poteſt hæc præceptio,nō magis quàm alia.Pro decoro uſurpabimus figuras.Craſſus in periodis laudat longitudinē membrorum, Hermogenes breuitatē poſterioris membri: Ariſtoteles ęqualitatem,id eſt ἰσοκωλίαν.Sed neq; ſemper ἰσοκωλία,neq; μακροκωλία,neq; μονοκωλία ſeligenda ſimpliciter:ſed pro loco omnia,uti dixi. Omnis ergo ſpiritus, tam in productione, quàm in uigore & cataphora,orationem implet: cui ſi periodi inſerantur, & breues comprehenſiones,contorquet:reliqua fluit & trahitur, interdumq; reſupinata iacet,& languida:quæ χύσις dicitur. Nihil autem fortius, quàm binis aut ternis, interdum etiam ſingulis conciſe uerbis ferire:paulo aliàs pluribus.Sed inter hæc uarijs clauſulis, & comprehēſionibus interponatur rarò aliquando numeroſa periodus. Itaq; & illud quoq; curandum eſt, ut in ſpiritus productione ultimus articulus aliqua ratione à proximis & præcedentibus ſeparetur, aut declinatione,aut numero:quia terminari debet ac ſiſti prolatio.Sed hoc paſsim occurrit,nec aliter ferè inuenias. quare ſufficiet monuiſſe. Nam quæ omnes articulos & cæſa modo aliquo differentes habent,cum in ſpiritu figuram arte commutant,proximè ad uigorem accedunt diligentia.Habetq; floridū neſcio quid,ac renidens,cum

docta

docta compoſitione: quod etſi facile non appareat, nihil minus tamen probatur & placet. Vt in illis: Animum uincere, iracundiam «
cohibere, uictoriam temperare. Mutata quidem declinatio eſt uer- «
bi, à tenuiore uocali paulatim ad ampliorẽ progrediendo. Et illud, O callidos homines! O rem excogitatam! O ingenia metuenda! Sed hæc fortaſſe extra negotium. Ergo ratio membrorum & commatũ, hæc eſt, ut optimi cuiuſq; authoris characterem imitari poſſis uno uerbo, unoq́; nomine unum membrum. Si uel aliunde pendet, uel cæſum aliquid recipit articulus: periodus una coniunctione membrorum atq; articulorum conſtat. Et ſi aduertas, hiſtoriæ genus illud tractum & fuſum, ferè continuatione membrorum efficitur: quæ per ἐκφορὰς primùm & frequentationes, deinde exæquationes alias breues, breuesq́; reſpirationes, ad alia atq; alia argumẽta, quaſi curſu quodam properat, non ſaltu. In foro autem & in iudicio longę reſpirationes, & interualla probantur. Sed cum ſit priuatus ſermo commaticus: doctrinam præ ſe ferunt breues & conuolutæ periodi.

De numero. Cap. 5.

CVM ſit aurium ſuperbiſsimũ iudicium, quæ niſi completo perfectoq́; numero nõ gaudẽt (ſentiunt enim quæ curta ſunt, & redundantia aſpernantur) inſeruiendum nonnihil huic uoluptati erit, ut ſermonem quaſi melle tinctũ pharmacum nõ abhorreant auditores. Vocamus autẽ hoc loco numerũ, non quẽ Grçci ἀριθμὸν, ſed quẽ ῥυθμὸν: hoc eſt tẽpora, aut momenta tẽporis, nota aliqua proportione, et certo ordine ſuccedẽtia. Quid Rhythmus.
Sicut enim tempus numerus quidam motus eſt, in quo prius & poſterius: ſic temporis quædã menſura, uel, ut planius dicã, temporũ commenſuratorum ordo, rhythmus: quatenus momẽta hæc longis breuibusq́; interuallis ſeparãtur, & analogia aliqua inter ſe cõponi uidẽtur. Quare licet diſtincta nomina ſint ῥυθμὸς & ἀριθμὸς: et Latini nõ ad tẽporis tantũ partes, ſed uocũ, et membrorũ, etiam & ſyllabarum retulerint: quia tamen ab omnibus poſt Ciceronẽ uox numeri uſurpata eſt, nos etiam cum cæteris poſthac eandem accipiemus: exiſtimantes nimirum, quam Græci ἁρμονίαν nominant, hunc Harmonia.
ipſum eſſe quem Latini numerum. In quo hi Græcorum præcepta doctrinamq́; amplexati, nõ ſolum rhythmũ, ſed & melos & pariſoſin & metabolẽ ſimul uno nomine cõprehenderunt. Nam ſi uel Ciceronis uel aliorũ ſcripta legas, non magis in quantitate ſyllabarum obſeruari numerum comperies, q̃ in cæteris. Eam ob rem cõſtitui ſeorſum ſingula exponere. Nam uniuſcuiuſq; natura ſigillatim expoſita, quid unumquodq; poſtulet ac poſsit in oratione intelligemus. Sed illud conſiderandum, quàm grata ſemper fuerit numeris

incluſa

incluſa dictio. Id quidē docet antiquitas, quæ omnia, quæ nunc ex-
tant, ueterum monumenta ſcriptorum, ea carmine numeriſq; inclu
ſa ſeruauit. Veteres enim illi cum oratorium numerum (de quo lo-
quimur) arte aſſequi non poſſent: numerum tamen aliquem eſ-
ſe ſentirent: ſpecie carminis delectati, cuncta propemodum quæ li-
teris mandarent, certis finitiſq; pedibus menſurabant. idq; apud
Græcos maximè. Nam Hebræis propter uocalium abſentiam, con
cinnitas & ſimilitudo uocum magis in uſu fuit. Et quidem unicum
exemplum Ciceronis, quod ille ex Graccho diſſolutum compoſuit,
quanta ſit uis quantitatis ſyllabarū atq; numeri, demonſtrat. Dixe-
» rat eleganter quidem Gracchus, ſed abſq; numero: Abeſſe non po-
» teſt, quin eiuſdē hominis ſit, probos improbare, qui improbos pro
bet. Parum mutatis uerbis, uide quàm quadratum euaſerit per Ci-
ronē: Abeſſe nō poteſt, quin eiuſdē hominis ſit, qui improbos pro-
bet, probos improbare. Siſtit enim dichoreo, ſolida & ueluti qua-
drata baſi, periodū: nec fluctuat amplius ſimilitudo pedū. Sed ſi in
ſoluta oratione numeri quidā grati ſunt: uitium tamen maximū eſt,
ubi uerſus apparet, præſertim qui natura, uel conſuetudine ſtatim
deprehendi poſsit: ut Heroicus, ſenarius, anapæſticus, aut trochai
cus. Quanquam uerſum fugere ſæpe non minus difficile eſt, quàm
numerum inuenire. Nam pręter iambum (qui ob ſermonis uicini-
tatem ubiq; ſeſe ingerit) nullum genus eſt, quod in ſummo oratore
non inuenias. Nam quod magno uitio uerti ſolet, ut finis metri in fi
ne clauſulę, aut initium in initio deprehendatur: tamen excidit Ci-
» ceroni, *O' miſerum cui peccare licèbat*, finis Heroici: &, *Manant ex illo fon-*
» *te dolores*: &, *Latent iſta omnia Varro, magnis obſcurata & circumfuſa tenebris.*
» Et in Verrinis plenum uerſum, una quidem ſyllaba inutilem fudit:
» *Quum loquerer, tanti fletus gemituſq; fiebant.*
» Nec finem uitauit elegi: *Oderat ille bonos.* Incurrit etiam in Hendecaſyl
» labi petulantiam, cum dicit: *Succeſsit tibi Lucius Metellus.* Demoſthenē
in Philippum iambos permultos fudiſſe, compertum quoq; eſt: to-
tumq; exordium contra Ariſtogitonem ferè anapæſtico metro de-
currit, et elegiaco. Quod ſi grauiſsimis authoribus id omnino uita-
re non licuit, quid nos infœlices, & parum exercitati, non uerebi-
mur? Quanquam ubi ſe offert clauſula non uulgaris, deponenda
eſt ſanè iſta religio. Illic maior adhibēda cautio, ne ijdem pedes, ma
ximè uerò breuium ſyllabarum, ſe ſequantur & continuētur. Neq;
id in ſoluta modò oratione, ſed in uerſu etiam tenendum eſt. Cum
enim æqualitas omnis interuallorum metri ſimile quiddam præ ſe
ferat (quod uitium dixi ſermonis, ſi continuetur) breuium tamē ſyl
labarum (quia celerius mouentur) moleſtius multo frequētia offen
dimur, quàm longarum. Quare miſcendæ dictiones, quantum fieri
poteſt

poteſt: ne illud audiatur omnino puerile, *Perit auipedis animula lepo-ris*: ſed illud potius, *Auratus aries Colchorum*. Cum ſint autem plures rhythmi, quos tam poetæ quàm muſici proportione quadã pulſationeq́ꝫ definierunt: tamen in primis Ariſtoteles (qui poſteris glaciem fregit) oratorem iubet ab iambo, trocheo, & omni heroico pede abſtinere. nec immeritò. Nam iambus uulgaris & minutus pes, ſermoni quàm orationi magis quadrat: choreus mollis, & (ut uocant) corax, indignus uiro graui cenſetur. Heroici autem, quales dactylus, ſpondeus, anapæſtus, elegantes quidem & graues ſunt: ſed eorum menſura, cum pulſantur, ad cantum & harmoniam plus ſatis inuitat. Quapropter unicus relictus pæan ſummo philoſopho. Hic enim & amplitudine nulli cedit, & metrum, etiamſi frequens occurrat, nullum facit. Adhæc, quia proportione conſtat hemiolia, non tam facile deprehenditur pulſatione, quàm ij qui aut dupli-ci, aut æquali. Qua ratione Creticum, quòd eiuſdem temporis cum pæane, & epitritum, quòd contraria comparatione diuidatur, non puto reiectos ab Ariſtotele. Imò concinnitas ſæpe ex contraria dimenſione exiſtit, ut in uerſu Sapphico. Duobus nanq; his, epitrito ſecundo, & pæane tertio, tota conſtat carminis harmonia. Quanquam Ariſtoteles (ut mihi quidẽ uidetur) de primo & ultimo tantum loquebatur: quorum ille principio, ultimus clauſulæ finiq́ꝫ deſeruiunt. Nam & priorem procatarcticum, poſteriorem catalecticum dici inuenio. Ciceroni multo aliter uidetur, maximè de pęane: cui & ipſe ſummus philoſophus parum uidiſſe uiſus eſt. Nam & heroico progredi orationem duos ſaltem pedes, & paulo plus poſſe ait: nec pæanem illum tanti eſſe debere, quanti facit Ariſtoteles. Argumento huius clauſulæ probat: Patris dictum ſapiens, filij temeritas comprobauit. Verte enim dichoreum in pæana, Filij comprobauit temeritas: nihil erit diſſolutius. Cæterùm ſi M. Tullius certiora docuiſſet, nec ideo tamen reprehendere debuit Ariſtotelem, qui ſuę gentis linguam, non Latinam excolebat. Illis enim ſuauis eſt clauſula quæ poſt breues aliquot in longam quieſcit, & circumflexam: quemadmodum & initiũ quod ab eadem progreditur in breues. Verùm cum ex ijs quæ à Cicerone traduntur, non facile ſit conſequi, quæ ratio ſit habenda numeri non magis in fine quàm alio loco: quoniam Aſiatico more Ionicum iubet claudendum dichoreo, interdum pæone: Dochimum quoq; omni loco congruere, idem ſenſit: nec Amphimacrum, Dactylum, Anapæſtum, aut Dijambũ excluſit (quæ ratio nonnihil confuſa eſt:) malo equidem Chirij Fortunatiani ſententiam ſequi, quem diſtinctius ac familiarius hæc ipſa tradidiſſe comperio. Sed antequam ad eius præcepta accedamus, declarãda nobis ſunt omnia genera rhythmorum. Et primùm qui-

Rhythmorũ genera. dem rhythmus in pede cernitur, deinde in metro, ac demũ in uerſu. Pedes autem omnes aut diſsyllabi ſunt, aut triſyllabi. Reliqui ex his componuntur, & metra potius, quàm pedes appellari debent. Diſſyllabi ergo quatuor fiunt. Pyrrhichius, omniũ minimus: ideo & ignobilis habetur, indignusq́ꝫ quem in oratione graui componas. Contrarius huic ſpondeus, grauis & honorãdus. Inter eos medius Iambus. Sed mollis penitus trocheus. Ex triſyllabis choreus humilis & ignobilis, ob uelocitatem. Cõtrà firmus, ſublimis, magnæq́ꝫ dignitatis Moloſſus. Amphibrachys, mollis mediocriter. Anapæſtum in affectibus ducebant ueteres. idem uenerãdus eſt, & amplitudini aptiſsimus. Dactylus etiã, ſed eo tamen pulchrior. In cretico autẽ media ſyllaba breui extremæ duæ producuntur: nec parũ propterea generoſitatis habet, & in ſoluta oratione frequentiſsimus. Bacchius deniq́ꝫ & hypobacchius, quorum hic prima breui, ille po ſtrema conſtant, ambo graues & magnifici cenſeantur. Ergo pæones, ionici, epitriti, & ſimiles quatuor ſyllabarum numeri, non pe-
Dipodium. des, ſed metra appellentur, aut ſyzygię, & dipodia. Siquidem dipo-
Syzygia. dium duorũ pedum ſimilium eſt compoſitio: Syzygia duorum diſſimilium. Atq́ꝫ hæc quidem de pedibus. Ex quibus (ſi continuentur) fiunt rhythmi: hoc eſt, æquales temporum percuſsiones. Quæ ſi mutẽtur (quia finiens rhythmus) iam metrum dicitur, aut uerſus.
Metrorum genera. Metrorum autem genera (mihi rhythmorum genera) Hephęſtion definit nouem: quæ natura nobis dedit prima, & ſumma. Hæc ſunt, Dactylicum, Anapæſticum, Iambicum, Trochaicum, Antiſpaſticũ, Choriambicum, Ionicum à maiori, Ionicum à minori, & Creticum. Reliqua ab his confuſa ſunt, & imperfecta. Verſum autem duobus ſaltem conſtare metris, Aurelius docet Auguſtinus: quæ uel æqualia ſint numero ſemipedum, non tamen pariter deſinentia: uel diſpari numero ſemipedum, aliqua tamen æqualitate coniuncta. Nam ſilentium ſæpenumero locum ſubit omiſsi ſemipedis, aut ſyllabæ. Sic poſſunt quatuor ſemipedes cum tribus cõponi, & quinq́ꝫ cũ tribus. quoniã poteſt alterũ metrũ initio & fine ſilere: ſex cum ſeptẽ, octo cũ ſeptẽ, ſeptẽ cum nouẽ. Semperq́ꝫ hoc tenendum eſt, finẽ uerſus nunquã fieri pleno pede. Sed de hac re ſatis, pluraq́ꝫ aliàs. Nunc ad Fortunatianũ reuertamur, quem numeri rhetorici authorem ac principem cenſuimus. Iubet ergo is primùm, ut ſi ultima dictio monoſyllaba eſt, & longa, ut trocheus præmittatur. ut, Non ſcripta, ſed nata lex: Etſi turpe ſit. Hæc autem pendenti ſenſui, commatisq́ꝫ apta eſt finis, nõ ἀναπαύσει. Si uerò breuis monoſyllaba, iambus aut anapæſtus antecedat. Prorſus enim breuem breuis, & longam longa fugiat, ſi poteſt, monoſyllaba. Diſſyllabę etiam malè per iambũ cludũt; niſi ſit ſpondeus prior. ut, Tenui ſeruos meos. Bona autem

clauſula ex iambo & ſpondeo, uel trocheo. ut, Patria continet bonos ciues: Aſſerit caput legis. Abſint ergo duo iambi, & iambus cũ pyrrhichio, quod idem ualet. ut, Pugnauerunt iuuenes pro parentibus ſuis. Incides etenim in iambicum numerum, & comicum ſermonem abiectum nimis atq; humilẽ. Duo quoq; pyrrhichij neſcio quid habent mutilum, atq; exile. ut, Perdidi bona mea. Poſt pyrrhichium ſpondeus, aut trocheus, finem heroici uerſus facit. ut, Imputat ſibi demens. Multo etiam deterior trocheus cum iambo aut pyrrhichio: quoniam comma eſt elegiaci pentametri. Duo trochei probantur in primis, quemadmodum dicetur ſtatim. ut, Hæc ſunt, quæ principes ſola curant. Colligo ego ex his, pedum diſſyllaborũ tantum duos trocheos cludere: iambum, præcedente ſpondeo: & ſpondeum, præcedente iambo: ultima indifferente. In triſyllaba uerò clauſula, poſt trocheũ Chirius uult eſſe moloſſum. ut, Mare fluctuantibus, litus eiectis. Qua de re ſi ſpondeum pro trocheo poſueris, frequentatio ſpondei (ut mihi uidetur) & pondus longarum uenuſtatem clauſulæ, quæ in uarietate omnis ſita eſt, obſcurabit. Quale eſſet, Mare fluctuantibus, rupes eiectis. Malè etiam præibit pyrrhichius. ut, Mare fluctuantibus, lapis eiectis. euaderet nanq; in metrum anapæſticum. Nec minus uitioſe fieret breuis prima moloſsi: quod comma heroici uerſus exeat. ut, Mare fluctuantibus, litus amicis. Sed pro moloſſo ionicus minor præcedente trocheo ſuauiſsimus omnium, pulchritudiniq; atq; ſplendori accommodatiſsimus. ut, Mare fluctuantibus, litus agitanti: Antè iniuſta pœna luenda ſit, quàm iuſta repetẽda. Huius eſt illa Ciceronis, Eſſe uideatur: & illa, quæ à nonnullis reprehẽditur, Brute dubitaui. Quãquam cauendũ ab ſpondeo, ſi ſequatur ionicus. Non ſolum enim in heroicũ deſinit prior, ſed ſi ultimam moloſsi reſoluas, in mẽſurata ſpacia ſic incides, quaſi nullo fine inueniendo. Vt Cicero: Si te ſemel in meas capſas admiſero. Si uerò penultimo trocheo, mediã moloſsi reſoluimus, pulcherrima exibit concluſio. Vt ſi diceres, Litus Æmyliæ. Et, Ego in patria per eoſdem retinere non potero. Item trocheo penultimo, pulchrè reſoluitur tertia eiuſdem moloſsi. ut ſi diceres, Litus æquabile. Et, Metu crudeliſsimorum exitiorum carere non poſſumus.
Item ſi trochei penultimi longam ſolueris, & primam moloſsi ultimi, formoſa atq; ſplendens clauſula. ut, Curas regere animorũ. Atq; hæc quidem præcepta certiſsima ſunt. Quibus & illud addendum cenſeo: quatuor ſyllabarum finem optimum eſſe Dichoreũ: & quancunq; dictionem, quæ quatuor ſuperauerit ſyllabas, in finem ſi ſeruetur, pulchrè abſq; dubio cludere periodum: modò ne in medio numerus aut minor ſit, aut maior, quàm priores & pendentes in cõmatis atq; articulis deſiderauerint, longitudo nanq; dictionis nu-

merum diſsimulat. Quo in loco illud etiam memoriæ mandãdum: non tam moleſtum eſſe auribus, ſi numerus reſiſtat, quàm ſi excurrat longius: quia ſemper quod nimium eſt, magis offendit. Cæterũ Chirij præceptionem, quam tantopere celebramus, ideo certè celebrare cogimur: quòd ſi omnes clauſulas examines, quibus potiſsimum demulceri aures arbitrêre, illas pẽdêre manifeſtum eſt à quinta ſyllaba à fine: ab eaq́;, tanquam quæ ad metam peruenerint reflecti. Tanta uis eſt quaternionis. Hinc eſt quòd inter omnes clauſulas optimo iure Cicero Dichoreum probauit, Cretico præſidente, ut, Aduentum & comitatum cum exercitu & uictoria conferatis. Extat enim, & quodam modo eminet, ultima illa Cretici: ex qua, reſumpto uelut ſpiritu, decurrit tota oratio celerrimè per trocheos, & ad ſilentium decliuis, pronaq́; decumbit: quod Græci ἀνάπαυσιν & κατάληξιν nominant. Multo autem pulcherrimum, quatuor illas ſyllabas uno accentu ferri. Pulchrius enim quàm duobus. Nam finis uerſus, quicunq; ſit, in duorum pedum differentium ſyzygia collocatur: in qua & ſyllabam aliquam extare atq; eminere prĝter alias neceſſe eſt, quæ totius numeri rationẽ exponat. Eadẽ ſyllaba quoq; per quandam excellentiam à Muſicis κατάληξις dicitur, & accentũ habet. Porrò hic accẽtus ſi in penultima ſit, præcedet tunc quatuor quinta illa, uel longa, uel quæ ſaltem aliquo pacto ſiſtat, retineatq́; ſpiritum. Fieri nanq; poteſt, ut breuis longæ locum habeat: uel quia dictio monoſyllaba. (ut, In monumento maiorum tuorum ſit interfectus.) uel quia breuis eam præcedit abſq; ullo accentu: ut, eius gloria uinceret. Etenim pulſatio Dactyli hoc loco uix à Cretico diſtinguitur, propter accentum penultimę. Quòd ſi ultima dictio ſex aut plurium ſyllabarum fuerit, non eſt hoc neceſſe. Nam dictio omnis ſic polyſyllaba celeritate pronunciationis ad ſilentium properat, & quieſcit: ut iudiciariæ controuerſiæ conſtituerẽtur. Idemq́; eſto iudicium, quando particulæ quædam monoſyllabæ cum alijs uno accentu iunguntur. ut ſi diceres, Iudiciarię controuerſiæ non adhiberentur: aduerbium non, cum uerbo, uno accentu iunctum eſt. Porrò autem in illis quæ per Trocheum cum Ionico definiunt (ut, Eſſe uideatur) prioris trochei longa in duas (ut ſuprà dixi) diuiſa eſt: ut etiam in illo, Retinere nõ potero, penultima Moloſsi in duas eſt diuiſa. Nec in illo, Regere animorum, quinta ipſa in duas ſoluta non abijcitur. Omnis enim lõga in duas breues ſecari poteſt, præſertim in rhythmo continuo, non item in uerſu. Atq; hæc quidem ratio eſt firmæ clauſulæ, quam βεβηκυῖαν appellant Græci: ſuſpenſæ aliæ omnes exiſtimentur. Habemus igitur ex his quæ dicta hactenus, non unam ſemper eſſe formam concluſionis: ſed fieri poſſe multas, quæ aptè ac numeroſe cadant: ne ſemper eodem modo deſinamus. Vt

enim

enim uarietas ubiq; iucunda eſt, hic certe maximè optanda. Nam finis orationis, & eorum omnium quæ audiuntur, diutius cum hæreat auribus, quàm uel principium uel medium: ſpacium maius de ſe iudicandi præbet: & ſi quid deliquerit, magis offendit. Docent hoc uerſus iambici & anapæſtici: qui neglecto priori, alterum pedē diligenter obſeruant. Quæ uerò dicta ſunt à nobis hactenus, ea de firma integráq; clauſula, & (ut quidam uocant) conſtanti, intelligenda ſunt. Pendentes enim, & quæ ſenſum non perficiunt (quales articulorum, & minorum membrorum, & alloquutionis) nec in quinta ſyllaba ſubſiſtunt, nec ullum ad finem è ſuperiori ſyllaba ruere certum eſt. ut, Quam non didicimus, accepimus, legimus. &, Silent enim leges inter arma. Hic enim Dichoreus (quem tamen ſelegimus) pendulus eſt, nec ſiſtit ſermonem: quia à fine quinta non apparet. Idcirco frequentiores diſſyllabi pedes ſunt in his locis. Quinetiam monoſyllabis dictionibus ſæpe locus eſt. ut, Non ſcripta, ſed nata lex. Et in monoſyllabam allocutiones inſurgunt ſæpius: Pompeiū pro Milone dicentem impetus factus eſt? Iam illud ſæpe dictum à nobis etiam refricandum: in ſubtili acutóq; argumento omittendos numeros. ut certè omiſit in noſtra etiam acuratiſs. Cicero: Quod obliuiſci non poteſtis, inſidiatorem iurè interfici poſſe. Et, Sed quod ego uellem re decernere. Quis enim ferat geometrā, qui in demonſtranda proportione duarum ſuperficierum (ueluti dodecahedri, & icoſahedri) ſyllabas dictionum & tempora ſyllabarum eodem tanquam circino metiatur, quo duo illa corpora metitur? Solutū hoc, etſi non uagum, eſſe debet: nimirum ut ingredi liberè, non ut licenter uideatur (inquit Tullius) errare. Præterea concinnitas membrorum, & exæquatio comprehenſionis, quādo acciderit, numerum clauſulæ alia uoluptate metietur, multo etiam maiori: ne anxiè in his rhythmum quęras. ut, Parum ſunt foris arma, niſi eſt cōſilium domi. Sed hactenus quidem de clauſula. De qua ideo plura diximus, quia finem aures expectant. Cumq́; debeat à capite tota iam comprehenſio decurrere ac labi, ut ad extremum ueniens conſiſtat ac finiatur (id nanq; eſt quod numeroſum appellamus, cum ex tota oratione fit quidam numerus quadam tenus procurrens, unde reflexus poſtea conquieſcit) nihil magis notatur iudicio aurium, quàm ipſa decenter, ac ſecus expenſa concluſio. Quàm uerò à deflexu pendeat finis, unicum docere poteſt carmen Sapphicum: quod niſi Adonico intercipiatur, perpetuo curſu ſine fine procedet. Cum autem poſt tertium colum Dactylus cum ſpondeo, qui primo commati eius eſt áſymmetros, auditur: nihil ſimile amplius expectante ſenſu, neceſſe eſt ilico uerſum conſiſtere, aut nouum aliud principiū poni. Id quidē cum diu obſeruarim, & in clauſulis reperi maximam

Numeroſum.

uim obtinere:nempe cum cõtraria proportione reſiſtit finis, quàm præcedẽs terminari mẽbrum uidebatur. Illa enim antapodoſis, uel ſola efficit ut expleatur animus, & quieſcat. Ergo genus illud amplum atq; ornatum quando rerum aut perſonarum laudes conſectari cupimus:aut ubi narratio exponenda eſt, quæ plus dignitatis habeat,quàm doloris:aut honeſta res grauiter definienda: unam aliquam concluſionem ex illis accipies, quæ ſint maximè polyſyllabæ:in cæteris,pro analogia. Principium autem comprehẽſionis ſit heroicum:quale inprimis amplum decorumq; eſt, & in exordijs uſitatum,Dactylicum.ut,Principiò generi animantium. Deinde A-
» napæſticum,& hoc rurſum cum ſpondeo iunctũ:Animaduerti,iu-
» dices:Etſi uereor, iudices:Vnũ genus eſt aduerſum infeſtumq; nobis.Spondeus autem raro inuenitur,niſi in breuibus periodis,et cõuolutis.ut,Nam qui non pœnam confeſsioni, ſed defenſionem dedit:is cauſam interitus quærendam,non interitum putauit. Huius autem ratio eſt:quoniam oratio quæ à breuibus ad longas progreditur,dura grauiſq; ac tarda eſt:quæ contrà à longis ad breues,mollis et uelox:media temperies ubiq; reperitur.Grauitatem igitur hęc habet,In alienos inſanus inſaniſti.illa leuitatem: Statim complures cum telis in hunc faciunt de loco ſuperiori impetum. Quocirca moloſſus raro etiã exorditur.Quanquã in aduerſatiuis,at uero,ſi uero, & ſimiles,frequẽter:ſed accẽtu graui diſsimulatur longa.Iambus in
» principio ardet,uehementerq; inſurgit:Quouſq; tandem: Silent e-
» nim leges inter arma:Erant enim leges,erant quæſtiones.Choreus
» contrà,mollius ingreditur.ut, Comprehenſus eſt in templo Caſto
» ris.Singularis illa huic uni.Creticus modeſtè: ut, Et quidem cæte-
» ras tempeſtates:Neminem ueſtrûm ignorare arbitror.Huic ſimilis eſt Epitritus tertius,ſicut & Iambo primus.Pæonem primum Ariſtotelis raro uſurpauit Tullius:nonnunquam tamen.ut,Multà mihi neceſſariò.Nec frequentius epitritum quartum. ut, At non Publio Clodio. Atq; hæc ferè obſeruanda initio clauſulæ.In medio autem continuari numeros conuenit pro neceſsitate. breues enim celeritatem,longi tarditatem orationi inferunt. Et quidem in medio ſpondeus cum mẽſurauerit breuia commata, ob tarditatem grauis
» fiet,& mẽbra ſæpe definiet:In alienos inſanus inſaniſti. Huius quoque partis compoſitio ſi trochaica aut iambica fuerit, perſpicuitati & elegantiæ ſeruire poterit.contrà uero ſplendori,dignitati, & amplitudini,dactylica,anapæſtica,pæanica,ſpondaica: modò hæc ſeparatos pedes & expreſſos ne habeat. Siquidem hoc grauitatis eſt, illud ſuauitatis,quocunq; pede incedatur.Fit enim dictio multo tardiſsima,& quaſi põderoſa,uocibus diſſyllabis. Quod ut pateat,uerſus Homeri proferam:quos & alij priores obſeruarunt.

ὡςδ

καὶ μὴν Σίσυφον εἰσεῖδον κρατέρ' ἄλγε' ἔχοντα,
λᾶαν βαστάζοντα πελώριον ἀμφοτέρῃσιν,
ἤτοι ὁ μὲν σκηριπτόμενος χερσίν τε ποσίν τε,
λᾶαν ἄνω ὤθεσκε ποτὶ λόφον. ἀλλ' ὅτε μέλλοι
ἄκρον ὑπερβαλέειν, τότ' ἀποστρέψασκε κραταιῒς,
αὖτις ἔπειτα πέδονδε κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής.

Hic uides, cum laborē Siſyphi deſcribit, omnia ſunt diſſyllaba: cum uerò ruere à ſummo lapidem narrat, uerba etiam ipſa tum breuitate ſyllabarum, tum mulitudine, quaſi ſtrepitum curſu magno ſonitūq; facientia, non'ne ruere uidentur? Quod ſi à ſpondeo in moloſſum trahas, non ſolum tarditatem, ſed renitentiam (ut ſic loquar) oſtendes. Quod Vergilius quatuor uerbis expreſsit, (mea quidem ſentētia) uſq; ad miraculum. — *Scandit fatalis machina muros.* Videtur quidem mihi moles illa, cum diu aſcendēdo hæſiſſet, mox impetu quodam ſubitò nonnihil decurriſſe, atq; iterum reſtitiſſe, alicubi impacta. Itaq; ſicut eſt ſuauitatis pedum commenſuratio, & mobilitas: ſic aſperitatis non ſolum dictionum breuitas, ſed inæqualitas pedum, & difficilis iunctura. ut, Hæc tanta uirtus ex urbe expelletur, exterminabitur, eijcietur? In ſimplicitate uerò, atq; ueritate (quod ſuo loco dicetur) caue appareāt quæſiti numeri. Omnis ars ſimplicitati contraria eſt. ruſtica ueritas capillis: & quicquid magna diligentia exquiritur, cum operoſum infinitum'q; ſit, tum ſecuritatem dicentis nimiaſq; delicias oſtendit. Ideo Ammianum Marcellinum, hiſtoricum alioqui doctiſsimum, uix quiſquam ferat. Non enim ut tibicinum ſunt in oratione ſectandi modi: ſed immodeſtia fugienda, ut omnis decori labes. Hoc igitur optandū eſt, ut clauſa ſit ac terminata, apteq; pro natura negotij procurrēs uniuerſa comprehēſio: partim coagmētatione uerborum, partim membrorū exequatione, partim (quod hoc loco diſputatū eſt) ſoluto numero. Nec aliud eſt cur Cicero dicebat, Demoſthenis fulmina nō tantopere uibrari potuiſſe, niſi numeris contorta ferrentur. Cęterùm ſi id etiam deſideras, qua ratione aut methodo hunc ipſum numerum, cum opus eſt, conſequare: dictu facile eſt, ſi reliqua tenueris. Præcepta autē dantur, adiectio, cum minor dictio nō quadrat: detractio, cum maior: declinatio, & mutatio loci, cum aliter non cōgruit. Perperam uerò illi, qui inania quædam uerba inculcant, quaſi complementa numerorum. Nec minus reprehendendi, qui longa traiectione omnia confundunt. Nam qui ſtudioſe mutilos aut redundantes numeros uenantur: hos tam præceptis, quàm exercitatione, caruiſſe neceſſe eſt. Cauendum igitur, ne quid inane, curtum, claudicans, aut contrà redundans deprehendatur. Hæc enim uitia curſum impediunt, & motus ordinem peruertunt. Sed hactenus de rhythmo, hoc eſt de nume-

ro orationis:non quouis,ſed temporum,& moræ ſyllabarum analogia.Hunc à muſicis,poetisq́ue defunctoriè mutuati ſumus. Super-
Melos. eſt Melos, hoc eſt concentus, & modulatio quædam, non minus à poetis & cantoribus acceptum, quàm alterum: & præterea Concinnitas, cum membra ſcilicet membris reſponderit, & inter ſe aliqua ratione comparantur. De quibus ubi dixero & de Metabole, finem accipiet uniuerſa illa diſputatio de figuris & eloquutione, quam in ſecunda parte noſtri Operis propoſui.Nunc igitur modulari etiam doceamus orationem.

Melos. Cap.6.

EST autem in oratione latens quædam obſcuraq́ue pronunciationis uis,quam ſequimur,etiam imprudentes. Hanc qui in componendo rectè concipiunt, iĳ ſolum poſſunt
Melos quid orationem edere εὐμελῆ,& aptè modulatam. Definimus autem melos, Græcum uocabulum, modulationem uocis ſuauem: quam intentio facit,& remiſsio,in certis quibuſdam & definitis lo-
Spacia. cis. Vocantur hæc ſpacia:quæ cum multi non aſſequantur,aut non exactè metiri ſono uocis poſsint, ſed alienis & malè commenſuratis ſæpe finibus pulſent,uoce offendunt auditores obſtrepera. Sed hoc actionis eſt: & nos iamdudum ab ea cura nos liberauimus.

Quærimus autem hic,an obſeruari aliqua modulatio præter numerum queat in oratione.Quod dubium non erat prius,cum nemo animum aduerteret: ſed ego certum eſſe poſthac uolo. Et quamuis poetarum quoddam genus reperitur, quos Græci dicunt μελοποιοὺς: qui uerba & ſententias ſic componunt, ut non ſolum ſaltari cum thyrſis ad numerum, ſed etiam cum tibĳs cantari, & certis quibuſdam modis, flectenda uoce, aurem demulcere poſsint: nos tamen ne horum quidem rationem habere hoc loco uolumus: quoniam neque tibias inflare, neque ductare chorum propoſui: ſed ex tonis,quibus partim dictio ipſa profertur, partim aliĳs compoſita,quo pacto exiſtat melos docere. Siquidem illi ſolam modulationem reſpiciunt:cui & tonos dictionum,& orationis numeros ſubmittere non uerentur (tonos nanq́ue dictionum iuxta propoſitū ſibi melos mutant,non melos iuxta tonos) nos à uulgi conſuetudine proferendi modum ſumpſimus, quem ad rationem aliquam & analogiam redigere poſsint,qui melioris formæ amantes,omnia iuſta,ſuauia, decoraq́ue ſectentur. Quàm uerò illi, de quibus loquor, poetæ melopœi, & rhythmum à quantitate propria ſyllabarum liberent,ut ſuis rhythmis ſubĳciantur ſyllabæ:ex breuibus quoq́ue lōgas,ex acutis graues, & contrà conficiant: exēplo nobis erit, quod Dionyſius ex Euripidis Oreſte protulit: ubi chorus ita cantare deprehenditur,ut nullum propè dictionis tonum ſeruet:

σῖγα

σῖγα σῖγα, λεπτὸν ἴχνος ἀρβύλης
τιθεῖτε. μὴ κτυπεῖτε.
ἀπὸ πρόβατ' ἐκεῖσ', ἀπ' πρόμοι κοίτας.

Tres enim primæ dictiones uno ſono uocis proferūtur, ſine diſcrimine accentus acuti & grauis: et quarta duas poſteriores ſyllabas acuit: quanquam una dictio unum habere accentum acutum deberet. Et illud τιθεῖτε eodem modo, & κτυπεῖτε, duas poſteriores (nulla ratione habita circumflexi) acuunt. Sic perit etiam accentus acutus in his ἀπὸ πρόβατ' ἐκεῖσ': reijciturq́ in quartam. Sed hæc, ut dixi, cantat chorus cum Electra: & multa ſimilia in eccleſijs audiuntur. Nos licet obſcuremus aliquando quantitatem & accentum ſyllabarum in loquendo, non omnino tamen corrumpimus. Quāquam fit etiam aliquando ſine cantu, ut ſola prolationis ſpecie (etiamſi ſyllabarū quantitati nihil decedat) tamē ratio carminis mutetur, & idem uerſus heroicus in ſotadeum uertatur, & contrà ſotadeus in heroicum. ut hic, Si metiaris tres moloſſos primū, quarti prima reſoluta.

ὣς ὁ πρόσθ' ἵππων καὶ δίφρου κεῖτο τανυσθείς.

Hinc eſt quòd pronunciationi primas & ſecundas dedit ſummus orator. Quid enim aliud illud eſt, quod apud Xenophontem Socrates arbitratur ſermones ad tibiam habendos ſuauiores fore, ſicut cātilenas? maximè ſi nutus adhibeatur, ſicut illa tibicina ſolebat addere. Illud etiam quod Plato in ſuis legibus cenſet, ut fortium & temperatorum uirorum rhythmi & accētus à poetis muſicisq́ referrentur, non alij (ut adoleſcentum animi gaudendo aſſueſcerēt legibus obtemperare:) aliquem profectò docet in ſermone cātum obſeruari poſſe, quem lyra incitet. Sed prætermiſsis multis alijs quæ de hac ratione dici poſſunt, de quibus etiam nos in libro de Muſica: quia melos orationis eſſe non negamus: & à Chirone, generoſi adoleſcētis magiſtro, ad noſtra uſq; tempora ſtudium muſicæ neceſſarium ſemper exiſtimatum eſt oratori: unde id fiat, & quæ eius genera ſuſcipiat oratio, paucis exponā. Muſici ex phyſicis demonſtrationē mutuati, melos omne in quatuor rebus poſuere: ex quibus tanquā *Melos in* principijs, & ueluti ſubiecto materiaq́, ut mihi uidetur, exiſtat. ſunt *quatuor* hæc, ſonus, reſonantia, uox, & motus. Sonus quidā, quicquid audi- *reb. ſpectari.* tum mouet. Reſonantia autē dicitur, cum repercuſſo aere cōtinua- *Sonus.* tur ſonus: quale interdū in aure experimur laborāte. Vox autē, ani *Reſonātia.* malis tantū eſt: quæ cum uariè reſonando ſurſum deorſumq́ ſubſi *Vox.* ſtit, Cantus appellatᷓ: ſecus, uel ſermo eſt, uel clamor. Motus deniq; *Motus.* (quem omnes modulationis principiū fatētur) eatenus conſideratᷓ, quòd nec ſonus ſine motu fit, nec ratio quantitas'ue ſonorum aliunde, q̄ ex motuū celeritate uel tarditate conſiſtit: melos autē ex ſonorum proportionib. delectat. Et ſicut harmoniā definiunt ordinem,

in

in acuto & graui, contemperata uoce: rhythmum uerò, in motu: ſic melos, harmoniæ ſimul & rhythmi erit quædam ad aurẽ allata ſuauitas: quæ ſicut harmoniæ expers non ſubſiſtit, ita forma quædam uideri debet grata ſenſibus, cuius & genera & partes tam uocibus quàm ſonis demonſtrari licet, & ſeparari planè mathematicè. Sed ſi in oratione melos eſt, quo pacto (inquies) ſcripta reſonabit? Certè moueri nõ poteſt una magis quàm alia in libro ſyllaba. Fateor. Sed quemadmodum nec in codice longior eſt uocalis una quàm alia, ſed ad prolationem relata, rationem eam cõſequuntur: ſic tonorum eſt quædam compoſitio in ſyllabis, ex quibus ut ex quantitate uerſus, ſic & tonorum modi uarij, flexuſq; deſumuntur. An eodem tono hæc recitabat Vergilius,

Conticuere omnes, intentiq; ora tenebant: Et illud,

Heu fuge nate Dea: aut illud,

Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo

Hectore.—At omnia tamen eodem atramento deſcripſerat. Sic ergo tonorum eſt quædam ratio & modus, quod melos dicitur, quod licet nõ adeò apertum in ſermone appareat, atq; in cantu: nullum tamen eſſe, non eſt exiſtimandum. Et quid ita parũ deprenditur declarabo. Aduerte igitur animũ: et ſi quid in arte muſica didiciſti, huc cõfer. Vox hominis dupliciter diſtincta eſt. una dicitur διαστηματικὴ, hoc eſt ſpacijs diſtincta: altera eſt σύγχυς, hoc eſt confuſa. Illam in cãtu facilè cognoſces, & inſtrumentis muſicis. Hæc enim ſingulis in intentionibus hæret, ſaltimq; nunc aſcendit, nunc deſcendit. Continua autem alia & confuſa tam in ſermone cernitur, quàm etiam in legenda ſoluta oratione. Et quidem uim huius (ſi placet) facilè percipies, ſi percuſſa chorda, ſimul atque ilico tendatur, aut digitum ipſe ſuperducas ab uno ſpacio in aliud. Albinus tertiam componit ex his duabus, qua uerſus legimus heroicos. in his etenim legendis partim ſpacia metimur exactè ſeparata: partim ita confuſe, ut ubi conſtiterim, aut per quæ decurrerim, uix perſentias. Quoniam igitur in ſermone uox non ſaltim, necq; pedetẽtim, ſed continuè & (ut ita dicã) tractim progreditur: ita ut uix dum ſignato ſpacio, mox & ueluti continuo recurrat: hęc una cauſa eſt, cur multos ea ratio feſellit, & nullũ eſſe in ſermone genus meli perſuaſit. Sed nequaquã Socrati. Eſt & aliud diſcrimen: quòd dialecti & ſermonis omne melos intra ſpacium cõſonantiamq; ſiſtitur diapẽte, nec egredit: cantus autem, & organa, ex diapaſon incipientia, concinũt, per diapente, diateſſaron, diatonon, hemitonium, & dieſin. Adde quòd, quia noſtra tempeſtate cantus et organa diatonico genere omnia cõcepta ſunt, ignari aliorum generum cantores, nullum aliud eſſe putãt, quo proſa oratio legatur, ſermoq; habeatur, quàm quem ipſi norunt. Sed

Vocis humanæ diſtinctio.

quàm

quàm iſti fallantur, unico exẽplo declaremus. Quid minus modulatum dici aut fingi poteſt, quàm quod apud Terentiũ illa parturiẽs exclamat: Iuno Lucina fer opem, ſerua me obſecro? Atqui ſi & meli genus, & modum, & dialectum hic certum demõſtrauero, quis amplius de re certiſsima dubitabit? Age igitur, ſume Pythagoricum monochordum: idq́ iuxta ſummi philoſophi tria genera diuiſum. ſi ter percuſſa trite hyperbolæon enharmonicon, ad neten aſcenderis: & rurſum continuè recurrendo, ad neten diezeumenon ceſſaueris: uox tua modulationem accipiet Phrygiam huius metri, Iuno Lucina. Deinde quod ſequitur, Fer opem, paraneten mouet chromaticam hyperbolæon, triteńq; eiuſdem tetrachordi, deficiendo in nete diezeumenon. Reliquum, Serua me obſecro, diatonicè fertur atq; æolicè in tetrachordo diezeumenõ: percuſſa ter paranete, atq; hinc nete, & poſtea redeundo ad eandem paraneten continuatur uox, quæ tandem deficit in tertia. Atq; hæc quidem intentio nihil mirum, ſi ſeſqualteram ſuperauit: etſi dialectum intra diapente con ſonantiam concluſerim. Nam clamor ille eſt, non ſermo: & uocem quàm poteſt maximè cõtendit mulier. Sed quid adeò magnificum, ac uenerãdum illud eſt, *Auratus aries Colchorum*: niſi quòd diatonico genere clauſulam complet Dorij concentus? In cantu quidem formas cuiuſq; modi ex catalexi maximè definimus: at uerò in lectione & dialecto, magis ex ingreſſu. Ob eam rem Horatius inſurgere ſæpius dictus eſt: quanquam non ſemper. Nam ut illud, *Mæcenas átauis édite régibus*, uirile eſt, & erectum, doricéq; inchoatum (aſcendit enim ilico, & frequentius, quàm deſcendit: idq́ nunc tono, nunc ſemiditono, nunc ditono) illud tamen quàm flexũ & planè ſublydiũ? *Horatius cur ſæpius inſurgere dictus.*

Lydià dìc pèr ómnes
Té deôs ôro, Sybárim cùr próperâs ámándo,
Pérdere?— Deſcendit nanq; ſtatim ditono: frequentiusq́ deſcendit: & tonum flectit, cum catalexi ditona. Nec alia ratione Phrygiã in illo alio modulationem inuenies,

Scribéris Uarió, fórtis & hóſtiúm
Uictòr Mæónii cármìnis alité
Quàm rém cunq; férox náuìbùs aùt équìs
Mìles te dúcè geſſerit. Hic, quod quidem phrygij proprium eſt, hemitonium ſpacium bis repetijt: deinde ſemiditonum, & toniæum, attollens ultimam in catalexi. Sed hæc ſcrupuloſius perſequi, nimis ſit operoſum. Tamen quia non eſt neganda omnis ſtudioſis opera, quod hic præterea ſentio exponam. Non eſt melos tam ex quantitate metiendum, quàm ex accentu. Primùm dictionis proprio, deinde ex natura uocalis, quarum alia (ut ſuperius patuit) alia magis uocalis eſt & ſonora, aut contrà argutior tenuiorq́. quo namq; angu- *Melos ex accentu metiẽdum.*

ſtiori

ſtiori ſitu oris profertur, eo fit acutior: ut latior fiſtula, grauiorẽ edit ſonum. Adde his dictionũ ſeparationẽ, qua uitamus ſynalœphen. tolli enim & intẽdi ſolet uocalis ſequens, ut magis extet: Authoritate publica ármàrè. Accidit ergo, ut eadem ſuccedens litera intentior ſit, ob accẽtum dictionis. ut, Vario fórtis. Et quæ natura amplior, ideóq; grauior: tamẽ ob quãtitatem attollatẽ. ut, Varió. Quapropter breuibus hic præcedẽtibus duabus, Atauis, licet accentus in prima collocetẽ, tamẽ loga ultima, & ſtridula tollitẽ, & ſequẽtis dictionis prima propter accentũ propriũ, maximam præcedentis intentionẽ ſuperauit.

Allocutionis accẽtus. Suũ ad hęc & allocutio accẽtum habet. ut interrogatio finalem acuit: quod uidetur mihi Varronẽ induxiſſe, ut caſum uerbi dixerit. Obſecratio circũflectit penultimas, quas attollit. ut, Serua me óbſecro. Igitur ex accentu dictionis, & quantitate ſyllabæ, deinde ex natura uocalis argutæ uel cauæ, tum ex ſeparatione dictionis & figura ſententię, omnis intentio remiſsióq; modulationis accipietur. Et quidem ſuccedentium ab initio ſyllabarũ omnis intentio uirilis eſt, et erecta: cõtrà quę ab initio deſcendẽs, poſtea exurgit, cõmota, religioſa, & lamentabilis. Varia autem & flexa, flebilis eſt, & ſuauis. Intenſa uiciſsim & remiſſa, non circumflexa, furibunda. ut,

Me né incépto deſiſtere uictám?

Modulatio grauis & magnifica. Plana demũ, moderata. Grauis itaq; magnificáq; modulatio ſic fiet: ſi primum membrum intendatur paulatim, & aſcendat: media'que plana ſint, ultimo ad finem cadente. Atque hoc pacto exorſus eſt in noſtra Miloniana: Etſi uereor Iudices, ne turpe ſit pro fortíſs. Huc uſq; aſcendens, paulatim ſyſtema cõfecit diapente. Hinc deſcendit, & in eadem chorda hæret, præterquam in penultima ſyllaba eius membri quam hemitonio inflexit, pro Dorico more: & deniq; clauſula quieuit pentaſyllaba. Nec aliunde quidem (niſi fallor) clauſulæ illius pentaſyllabæ grauitas atq; amplitudo conſiſtit, q̃ quòd Doriam omnium generoſiſsimam harmoniam ſola hæc complet. Finis nanq; huius in quinq; uocum caſu continuo ſita eſt, cuius eſt in penultimo ſpacio hemitonium. Sed hactenus pro rei & negotij neceſſitate. Siquidem muſicæ accuratior meditatio illis relinquenda eſt, qui hoc unum quærunt, ut aures demulceant. Sed illud ſilentio prętermittendum non eſt, quòd ſuus eſt cuiq; nationi in loquendo tonus.

Suus cuiq; genti in loquendo tonus. Et ob eam rẽ Gallos, ueluti oxytonos, uerſiculi breues et iambici ſuæ linguæ delectant: Hiſpanos uerò contrà, Scazontes, & anapęſtici. Cum eſſem ab Archiepiſcopo, Mæcœnate meo, legatus ad Cęſarem, & inde Mecliniam ad Senatum illum ſupremum, cui cõmiſſa erat cognitio noſtrę cauſę: cõſuetudo mihi interceſsit cum illius ordinis uiro doctiſsimo atq; humaniſsimo, IOACHIMO HOPPERO: ad quem frequenter, quando à curis illi reip. uacabat, accedebam:

(quanquam

(quanquam certè rarius quàm cuperem) ob ſtultam ſuſpicionem nonnullorum, qui nullum putant cum iudice miſceri poſſe ſermonem, niſi de lite.) Quadam uerò die, cuius memoria inter alias mihi ſuauiſsima eſt, illum reperi confabulantem domi cum Petreio Tiara. Sed cum reperiſſem clauſum cœnaculū, ubi inambulabant, nec puer (ut ſolebat) adſtaret pro foribus: pulſaui leuiter extremis digitis, ne nimio ſtrepitu eorum colloquium perturbarem, qui uidebantur mihi intus de philoſophia cōmentari. Quis iſtic eſt? inquit. Ego de more reſpondi, Amicus. Tum ille: Iam. Et cœptum ſermonem continuauit. Expectaui paululum. Sed percepto eo ſermone, cuius audiendi iam pruriebant aures, pulſaui iterū clarius. Ad hæc aperuit. Et ò Lulle, inquit, túne hic eras? Nō alius profectò, inquā. Et malo importunus eſſe ſalutator, dum ueſtri fiam particeps colloquij, quàm officioſus tantum uiſitator, uel nil niſi amicus. Ignoſce, inquit. Vocem non agnoui: nam uiſus es grauius loqui, quàm pro tua natione. Sed nunquam poteras opportunius. Audiemus enim & tuam ſententiam, ſi quam habes, in hac quæſtione. Quorum adoleſcentum ingenia putas ad capeſſendam rempub. in primis idonea: quos ad id genus ſtudij mox à pueritia applicari cōferat. Sunt nobis etenim liberi: quorum curam natura ſagax tantā ingeſsit parentibus, ut nihil nobis bonū uideatur, niſi quod in filios transferri poſſe putemus: non diuitiæ, non honores, non ipſæ uoluptates. Quid ego, inquam, inter uos diſceptator fiem, cum de ea re Platonis ueſtri ſentētia palàm extet? Nec iuſtū eſt à præceptore ueſtro, quem tam multis ambo coluiſtis lucubrationibus & ſcriptis, uelle deſciſcere: & quantum audire licuit, uterque ueſtrûm etiam ſe Platone tuetur. Sed antequàm huius audiam diſputationis fontem, rogo mi Hoppere, quam tandem uocas meam nationem? ut me grauius loqui cenſeas, quàm pro ea? Hiſpanos, inquit: loquūtur enim ferè acutè. Celtiberi ſanè (inquam) & mediterranei maximè: at uerò Arragonenſes, Catalani, & Hiberi omnes, grauiores ſunt: meique Baleares, uocales admodum, & ſermonē cum clamore faciunt. Ad hæc Hopperus. Sanè quidem arbitror uocales fieri, cum ſtrepitum maris & fluctuū qui ad ſcopulos ueſtros illiduntur, uocem cogantur exerere, ut ſuperent: & parentibus ſic exercitatis (ut fit) ſimiles naſci liberos. Hic Tiara: Lepide, inquit, tu quidem Hoppere: ſed ego medicus aliam cauſam arbitror, & puto uerā eſſe. Quam, ſi uultis, referam: modò (inquit) paululum ſedeamus. tres enim nō poſſumus facilè inambulando loqui. Imò uerò optamus, inquam. Et productis ſellis duabus (nam ſcamnum muro affixum erat, quod ſtatim occupauit Tiara) ita cōſedimus in angulo, ut ſermo uices habere poſſet abſque prohedria aliqua tam eius qui loqueretur quàm

M qui

qui reſpōderet. Et Hopperus: Peccaui de re phyſica te præſente, Tiara, tam citò pronuncians. Verùm tu Lulle, dum hic ſuam ponit ſententiam, uide quam tui Theologi pœnitentiam huic meo peccato cōſtituant: ut tibi etiam tuæ partes relinquantur. Tunc Tiara: Puto idem Hiſpanis illis cōtingere, quod in multis populis uicinis nobis obſeruaui: ut hydropotæ, qui loca plana habitant, omnes ferè exili uoce ſint, & acuta: contrà uerò, qui montes & loca aſpera, exercitatione pulmonis latiorem habent, quam uocant, aſperam arteriam. Quod idem certè præſtant, cum calore, uinum & ſomnus. Quapropter Hiſpani illi (quos dixit Lullus) ſobrij & uigiles, per anguſtam ſiccamq́ arteriam, uocem edunt acutiorē. An probatis meam rationem? Probauimus certè quàm maximè. Et poſtquam multa in hanc ſententiam poſtea attuliſſet, antequàm hic ſermo finiretur, illud mihi adijciendū uiſum eſt: quod cum Hiſpani ijdem dictionibus ferè utantur polyſyllabis & barytonis, quaſi lamētantes aut conquerentes, à tertia diſiuncta plerunq; ordiūtur ſermonem, etiam familiarem: inq; proximo Lychano deſiſtūt. Belgæ uerò, maximè Picardi, eadem ratione oxytoni, ad coniunctā aſcendunt, tanquam expoſtulantes aliquid, aut increpātes: cum Alemanis pleraque circūflectentibus, uix unquam grauium eiuſdem rationis chorda deſeratur, niſi ſeſquigradu aſcendendo nonnunquā, & uno ſubſidendo. Inter hos propterea Itali quidē ad Hiſpanos, Galli ad Germanos magis inclinant. Nam grauior eſt Gallorum ſonus, & in fine altior, quàm illorum. Noſtrum hoc prçceptum in pueris & mulieribus quiuis deprehendet. Atq; hac quidem ratione non ſolū ſermo & altercatio gentis modū cuiuſq; retinere conſueuit, ſed etiam contentio, quæ pleno continuoq; flumine decurrit. Omniū uerò muſicatiſsimus eſt Græcorū ſermo, & dignus quē maximè obſeruaremus. Sed pergamus ad reliqua: ſatis de modulatione dictū eſt.

De Concinnitate. Cap. 7.

Concinnitatis uſus.

Ἁρμόνιον, quam nos Latinè diximus concinnitatem, requirunt oratores non tam ad iudiciorū certamen, quàm ad uoluptatem auriū: ideoq; hæ dictæ ſunt à maioribus figuræ theatrales. Nam niſi prius uel cauſa, uel ratione alia ueniam mereantur, ſordent penitus, & odioſę fiunt: ut nimis ſolent affectatæ delicię. Conueniūt tamen exornationibus, & in gymnaſijs palàm ſtudioſeq; petuntur ab adoleſcentibus: ut in quibus nullæ timentur inſidiæ: & elaboratæ prius (tanquā in umbra) poſteaq; uſu rerum, peritiaq; cōfirmatæ, tanquam membra corporis exercitione roborata, uires acquirūt. Nam quæ in foro tractari grauiter ac ſeuerè debent, harum adminiculo interdum fortiora etiam robuſtioraq; euadunt, ſed uitanda affectatio. Nam ſi uſquam faſti-

Affectatio uitanda.

dio eſt, hic certè quàm maximè. Ergo quibus modis fiat concinnitas, atq; illa, quæ in primis docuit Polus, μουσεῖα λόγων, aperiamus. Et licet hanc in omni comprehenſione ponamus, tamē exæquationis (hoc eſt ἀπαρτίσεως) ornamentum maximè reperitur: cum ſcilicet partes inter ſe cōponunt, aut ſimiles, aut æquales, aut quodam modo etiam relatæ. Eſt autem in ſyllabis (ut hinc ſumā exordium) perquàm manifeſta uerborum ſimilitudo: non item in caſibus, etſi tamen argutior. Et hanc quidem uocarūt ὁμοιόπτωτον, illam ὁμοιοτέλευτον. Fit ergo ſimiliter deſinens, cum duorū cōmatum, aut membrorum, extremę ſyllabæ ſunt eædem. Quantò ille plura miſcebat, tanto hic magis indies inualeſcebat. Non modò ad ſalutem eius extinguendam, ſed etiam gloriā per tales uiros infringendam. Differt autem à Paronomaſia, & Parecheſi: quòd Homœoteleuton ſimiles tantū ſyllabas extremas in interuallis requirit, alia ubiq; inuenias. ut, Quod lubet, licet: *Puppesq; tuæ, pubesq; tuorum:* Vi uicta uis, aut potius uirtute oppreſſa audacia eſt. Nec uerò quenquam mouere debet, quod Plato hanc pæxin, (quæ tantū parecheſis eſt, & figura interpretationis) ad cōcinnitatem uidetur retuliſſe. Dixerat enim, παυσανίου παυσαμένου: & ſubdit, διδάσκουσι γάρ με ἴσα λέγειν οἱ σοφοί. Sed loquitur Plato de more ætatis ſuæ, quando omnia hæc uocari ſolebāt πάρισα: nos ea diſtinctè proponimus, ſicut ex inſtituto rem tractamus: & in illis parecheſin obſeruauimus ſuprà. Eiuſdē porrò uerbi repetitio uirilior eſt, q̄ quę concinnitatem deceat. Quamobrē generis huius nō erūt: Conſulatū Miloni eripi non poſſe, uitā poſſe. Quinetiam niſi in ultimis uocibus ſit, etſi in medijs dictiones uerſent̄ ſimiles, nō erit tamē homœoteleutō, ſed fortè homœoptoton uocandū. ut, Non periculū nobis denunciāt, ſed pręſidiū. Ergo ſimiliter cadens, alterius membri caſus refert eoſdem, qui in altero præceſſerūt. Quem igitur cum omniū gloria noluit, hunc uoluit cū aliquorum querela? Item, Quia non ſemper uiator à latrone, nonnunquam etiam latro à uiatore occiditur. Et quanquam plerique hac figura productionem ſpiritus definiunt (ut, Nec cōtentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec uarietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec ſimilitudine bellorum poſſe conſici:) tamen ſi aliqua ineſt uis uocabulo, & in ipſa τάσει ſemper concitatur ſpiritus, nimirum non ſimiliter cadens, ſed productio per eoſdem caſus appellabitur. Cæterùm ut nō debeat niſi ex finalibus dici homœoteleuton, tamen ex uocum aliarum ſimilitudine multo fit illuſtrius homœoptoton. Spe clariſsimorū præmiorum ad rempublicam adducti, metu crudeliſsimorum exitiorum carere non poſſumus. Et, non periculum nobis denunciant, ſed præſidium: neq; ſolum ut quieto, ſed ut magno animo ſimus, hortantur. Si dixiſſet

Similiter deſinens.

Pæxis.

Similiter cadens.

ceſſe ſit, & ad libellam adæquata. Sæpe mutatio elegãtior uidetur, ut paulo pòſt dicemus: & magis in proportione numerorum quærenda dimenſio eſt, quàm in ijſdem numeris. Alterum nanque ἔμμετρον λόγον ποιεῖ, alterum uerò ἔνμετρον. Illud poeticum, hoc oratorium. Quid ſi poetæ idem faciunt? certè id curant diligẽter, etiam cum ſyllabas ponderant, & legem carminis timent, ut membra ſint in ſeparationibus commẽſurata quidem aliquo modo, non autem adæquata uerſibus. Secant enim uerſum ſententijs abſque certa lege membrorum: ut cum ſimiles numeros uix liceat auditori deprehẽdere, magis ſolutæ orationi uideantur ſimilia, quàm poemati. itaque ſententiam cogunt nunc in membrum, nunc in comma. & rurſum periodos nunquam ferè eiuſdem quantitatis, neque eiuſdem figuræ efficiũt. Qua in re peccauit pueriliter Silius Italicus: *Ordior arma, quibus cælo ſe gloria tollit Aeneadum*, & quæ illic ſequuntur. Sed concinnitatem doceamus elegantiſsimã: quam niſi qui à nobis didicerit, nemo queat imitari. Proportiões tam in membris quàm in alijs ſectare, in primis & præcipuè illuſtres. Tales ſunt, duplex, triplex, ſeſquialtera, ſeſquitertia, bipartiens tertias, & deinceps quæ ſunt proximæ, & ratione quidẽ dupla captus frequenter eſt Vergilius, in periodis, ut duobus propoſitis membris unum reddat: *Proportiones illuſtriores ſectandæ.*

Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet
Ante fugam ſoboles: ſi quis mihi paruulus aula
Luderet Aeneas, qui te tantum ore referret:
Non equidem omnino capta aut deſerta uiderer.

Hic duo uerba ad tria referuntur. Hæc ſicut expoſui, ita geſta ſunt. Tria ad ſex: Vi uicta uis, aut potius uirtute oppreſſa audacia eſt. a Sex ſyllabæ ad nouem. Si id iure non poteſt, nihil habeo quod defendam: quæ ſeſquialtera dicitur. Huius tamen ſi dictiones numeres, tres ad quatuor fiunt, quæ ſeſquitertia. Siquidem dictionũ numerus ab accentu petitur: qua re facta ſynalœpha in s'id, pro una ſumuntur duę uoces. Continuatiuæ etiam particulæ nihil augent. ut, Quem igitur cum omniũ gratia noluit, hunc uoluit cum aliquorum querela: Quinque dictiones utrinque ſunt. Atque hęc quidem maximè in contentionibus & ἀπαντήσεσι. uerùm in commatibus quæ frequentatione exponuntur, aut utcunque continuantur, illam progredi rationem inuenies, quam omnes uocant proportionem arithmeticã. ut in uita Romuli in initio Plutarchus expreſsit, in hunc modum: τὸ μέγα τῆς ῥώμης ὄνομα, καὶ δόξῃ διὰ πάντων ἀνθρώπων κεχωρηκὸς, ἀφ' ὅτου καὶ δι' ἣν αἰτίαν τῇ πόλει γέγονεν, οὐχ ὁμολόγηται παρὰ τοῖς συγγραφεῦσι. Progreditur à quinque ad ſex, hinc ad ſeptẽ: & ne abſque fine ceſſaret, reuerſus ad primum conquieuit. In oratore ad Brutũ contrà progreditur Cicero, à ſex uſque ad tria, & reſumpto quater-

» nario quieſcit: Nam & negari ei quem unicè diligerem, cuiq; me
» chariſsimum eſſe ſentirem, præſertim & iuſta petenti, & præclara
» cupienti, durum admodum mihi uideba ur. Exempla iſtorum, ſi
deſideras, paſsim occurrunt. Sed in longioribus membris modò ad hanc ſymmetriã proximè accedat, nõ magni refert quæcunq; ſit ratio, ut docui in illa Cecinnæ. Quo fit, ut quædã magna nonnun-
» quam cum paruis pluribus conferri poſsint. ut, Cuius illi conatus,
» ut ille ratiocinabatur, nec ſi cuperent, reprimere poſſent, cum tantũ
» beneficiũ ei ſe debere arbitrarẽtur: & ſi uellent fortaſſe, uix poſſent,
» frangere hominis ſceleratiſsimi corroboratã iam uetuſtate auda-
ciam. Eodem loco fugit orator de induſtria membrorum æquali-
» tatem: Sed etiã his Conſulibus Prætor eſſet, quibus ſi non adnuen-
» tibus, at conniuentibus certè, ſperaſſet ſe poſſe rempub. eludere in
» illis ſuis cogitatis furoribus. Excurrit nanq; totum hoc (in illis ſuis cogitatis furoribus) quaſiq; ambulantẽ ſecum alium dimiſit in meta, progreſſus ipſe ulterius. Nec in dictionib. modò & ſyllabis, ſed in accentibus eſt hæc cõcinnitas. Elegantius enim reſpondent tres ad duo hic, *Multum ille & terris iactatus, & alto*, quàm eadem quantitate ſi dixiſſet, Multum per terras iactatus & alto. Quia deeſt unus accentus, nec poteſt prolatio quieſcere. Obſeruanda igitur hæc erunt maximè: multo uerò magis reſpirationum interualla. Non enim in pluribus membris ſolum, aut commatis, ſed in eodem ſæpe commate retenta prolatio, eam, quam diximus, numeri rationẽ ſeruare neceſſe eſt. Quod exemplo diſces: Temeritatem cõcitatæ multitudinis autoritate publica armare. Hic arithmetica progreſsione tria præcedunt, duo ſequuntur: quæ ab uno ultimo, ut manifeſtius ſepararentur, duas uocales longas felix ac diuinus orator, non ſine admiratione quorundam (ne dicam ſtulta reprehenſione) coniunxit. Eſt autem hæc idonea clauſulis progreſsio, ut illa altera principijs. Sic enim hæc procedit, ut undecunq; inceperit, tandẽ deſinat neceſſe ſit: illa nullum habente finem, quia in creſcendo numeri fine carent. Quid enim putas adeò multas narrationes exordiri Vergilium à monoſyllabis? *Urbs antiqua fuit: Eſt in conſpectu Tenedos: Rex arma Latinus: Ut belli ſignum: Sic fatur lachrymans: Nox erat & ſomnus: Mos erat Heſperio.* Sed alijs exemplis aliquot doceamus, quanta ſit harum proportionum uis.

An Deus immenſi uenias maris, & tua nautæ
Numina ſola colant.— Vnde tanta quæ ſit a eſt in his pulchritudo? An non ideo, quòd ſyllabæ hac ratione conſtent: una, duæ, tres: iterũ reuertẽtes tres, duę: & rurſum una duæ tres (ratione diphthõgi) & deniq; ut quieſceretur tres ad duas, quæ quãtitate inuerſa ab alijs duabus exciperentur planè muſicè? Pulchra & hilaris illa compoſi

tio: *Hinc atq; hinc glomerantur Oreades*. tam enim ex oppoſito ſunt, hinc atq; hinc, quam pæanes duo. Viget atq; inſurgit illa uocabulorũ ſeries, — *Omnia circum*

Incipiunt agitata tumeſcere, & arduus altis
Montibus audiri fragor, ac reſonantia longè
Littora miſceri, & nemorum increbreſcere murmur:

Aucta eſt enim proportio paulatim, ut ſit primo unum ad unum, deinde unũ ad duo, duo ad tria, & quatuor ad tria. Quàm uerò grauis ac ueneranda illa, quæ nõ una ratione ſymmetriam hanc de qua loquimur obſeruat?

Romanos rerum dominos, gentemq; togatam.

Prior conciſio duplam refert uocum & temporum epitritam (quæ eſt ſex ad octo) ſyllabarũ uerò bipartientẽ tertias, trium ad quinq;. Sed innumera ſunt eiuſmodi apud Vergilium: uerùm collatione uitij doceamus idem. Quàm indigna eſt Vergilio illa compoſitio, niſi eſſet quo in tanto opere excuſari poſſet ipſe autor?

Occurit, ueterem Anchiſen agnouit amicum.

Præter concurſum uocalium inſuauem, tribus dictionibus ab eadẽ litera incipientibus, & ſeſe ſequẽtibus, quinq; omnes triſyllabæ incommenſurabiles ſunt, adeò ut exemplum inconditi ſermõnis atq; inepti dare uideatur. Sed dicet aliquis, Nunquam iſta tua philoſophia uenit in mentem poetæ fortaſſe: ſed iſtud ignoramus nos. An uerò artes prius inuentæ, quàm obſeruationes? Aures poetæ naturaliter magis hoc demulcebat, quàm aliud, ad hoc conſectandũ maius adhibuit ſtudium, & nunc oblatam ultrò amplexus eſt compoſitionis ſuauitatem, nunc quæſiuit longius. *Multa quoq; & bello paſſus dum conderet urbem*: ſeſquiquarta prior eſt proportio, à qua decidit ad duplam, multo ſuauius, quàm ſi eadem quãtitate dixiſſet, Multa etiam bello paſſus. Vtq; concinnitatem aliquandò tueretur, maluit poeta in leges quantitatum cõmittere dicẽs, *Fluuiorum rex Eridanus*, quàm (quod licebat per quantitatem) Eridanus fluuiorũ rex. quia nulla ratio progreſsionis à quatuor ad quatuor & unum: nulla etiã modulatio concentuſq; ſequeretur, ſed potius fragor quidam moleſtus & clamor ex monoſyllaba in fine rex: quæ duas alioqui conſonas partes, Eridanus, fluuiorũ, obſtrepera diſſonaq; terminaret, ſi in fine poneretur. Minus illud peccatum uideri poſſet, quòd ſyllabam inutilem adiecit (ſi quantitatem reſpicias ſenarij uerſus)

Cornua uelatarum obuertimus antennarum.

Si nanq; dixiſſet, uertimus, rhythmum pulſaſſet infinitum, non uerſum: nec poſterior uerſus conciſio fuiſſet anapæſtica. Hanc quidem ſuauitatem pleriq; ſentiunt, & rationem eius in his ipſis uerſiculis quæſierunt quamplurimi: ſed quamuis huc atq; illuc ſe iactauerint,

&c omnia anxiè rimati ſint, nihil tamen oſtenderunt magni operæ precij. Ac de compare quidem hactenus. *Relata interſe.* Relata uerò nō eodem modo hic accipimus, atq; in comprehenſione ſuprà: ſed quæcunq; plura in diuerſis membris, aut commatis ſeſe reſpiciunt, ea inter ſe relata dicemus: ſiue id fiat genere rerum, ſiue caſibus nominū, ſiue oppoſitione numerorum, ſiue alio modo. Et uocantur hæc græcè παράλληλα, &c fiunt in commutationibus frequenter. ut, „ Pecuniam „ qui habet, non reddidiſſe: &c qui reddidit, non iam habere. Gratiam „ uerò qui retulerit, habere: &c qui habeat, retuliſſe. Fit autem duplex *Parallelum duplex.* παράλληλον: unum coniunctum, quod συνημμένον, &c συζυγίαν græcè dicunt: alterum appenſum, quod per exarteſin cōſiſtit. Et appenſum quidem, eſt in dato exemplo: coniunctū, in conuerſione. Et efficitur quidem ijſdem rebus παράλληλον; quę plures opponuntur inter ſe. ut, Quem iure, quem loco, quem tempore, quem impunè nō eſt auſus: hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis nō dubitauit occidere. Similibus caſibus: Quam nō didicimus, legimus, accepimus: uerùm à natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſsimus. Rebus &c uerbis in ſuperiori exemplo, uis &c audacia, ui &c uirtute, uicta &c oppreſſa. Oppoſiti inter ſe numeri ſunt Iambus &c trocheus, Dactylus &c anapæſtus, Epitritus &c pæan. Ideo concinnum eſt (licet carere numero uideatur) Parum ſunt foris arma, niſi eſt conſilium domi. Habes igitur pigmenta orationis. His nō nulli populo ne dum ſibi ipſis, uideri ſolent non ſolum diſerti, ſed etiam prudentes. Nam ſi graues ſententiæ, argumentaq; neceſſaria hunc quaſi mundum induerint (ut non quæſitę, ſed ſponte ſua oblatæ figuræ uideantur) magna certè ui ferri omnia cōperies, &c ueritatē proximè imitari. Verùm ut deformē natura faciem fucus *Affectatio cauenda.* deformiorem reddit: ſic puerilis harum affectatio mollem, &c ſine uiribus ſenſum declarat. Nam &c poetæ ipſi, (quos uerſiculorum legibus aſtrictos eſſe notū eſt) ne in eadem, eodemq; modo dimenſa interualla ſententias reponant, quàm poſſunt, tam certè cauent: idq; omni ſtudio conantur, ut carmen ſolutæ orationi fiat quàm ſimillimū. Quis ergo laudet in oratore, quod in poeta reprehenditur? Nimirum ſi quaſi emblemata quædam, &c teſſerulas arte compoſtas, uerba diſponat: ut maius in metiendis ſyllabis ſtudiū, quàm in colligendis ſententijs iudicium ſentiatur. Ocioſis ergo relinquatur hæc cura. Non equidē prohibeo, ut exercitationis cauſa obſeruentur (alioqui fruſtra hæc præciperemus, quæ multi initio calamum terendo adepti, ut effunderent poſtea ſua ſponte numeroſa cōſequuti ſunt) ſed alia eſt ratio diſcendi in gymnaſijs &c ſchola, alia *Concinnitatis autor Gorgias.* dicendi in foro &c iudicijs. Cæterùm huius elegantiæ, quam hactenus dixi concinnitatem, autorem principemq; fuiſſe Gorgiā, tradit

Cicero (qua etiam uſum fuiſſe ait intemperantius) uti & Thraſymachum numeroſæ concluſionis. Quorum utrunq; poſtea Iſocrates uicit, non inuentione (inquit) ſed moderatione. Obiter autem, ſi quis meum iudicium expectat, de eo genere carminis, quod nunc uulgo eſt in ore: in quo non ratio temporum, ſed pro eo numerus ſyllabarum & ſimiliter deſinentium concinnitas ſeruatur: dicam ingenuè. Expecto ego, ut tandem aliquando memores docti, quàm uulgaris ſit, indignaq; ſtudio liberaliori ea laus: ad numeros illos reuertãtur, quos uetuſtas coluit, atq; admirata eſt: quoſq; religio ſemper fuit, importunis caſibus & homœoteleutis eneruare (ὥσπερ ἐν φακῇ μύρῳ) cerdonum inuento imperitiſsimo.

De Metabole. Cap. 8.

ERGO concinnitatẽ, quaſi ſuccenturiatus miles, excipiat mutatio, ultima harmonię pars. De qua illud ſufficiet in uniuerſum præcepiſſe: quòd ſi continuatio rhythmi, aut melus, aut pariſoſeos ualde apparet, ac dignoſcitur, ilico in aliam figuram uertatur compoſitio, ut queas obſcurare nimiam uoluptatem: & ne ſimile quid pictoribus illis patiamur, qui omnia induunt eadem ueſte. Nam ſi ſimiles caſus declinationum differentia potes obtegere, elegantia & flore quodam dictionis ita illuſtrabuntur omnia, ut ſpem imitationis perdant etiam exercitatiſsimi. Tale eſt exemplum hoc: "Animum uincere, iracũdiam cohibere, uictoriam temperare." Item illud: "O' callidos homines, ô rem excogitatam, ô ingenia metuenda." Eſt ergo Metabole, quæſita diuerſitas in his ſimilibus, quæ ſua ſponte ſe offerunt: nec minus grata diligentia, quàm in differentibus quæſita ſimilitudo per pariſoſin. Quare ſicut in ſimilibus quærenda diſsimilitudo, ſic in æqualibus inæqualitas. Si uerſum itaq; poteſt perficere compoſitio, ſyllaba addita uel detracta perturbato: & ſi integrum fundi contigerit, caue ſimilem priori uerſum ſubijcias. Fieret enim carmẽ. Exemplum Demoſthenis contra Ariſtogitonem examinauit olim Dionyſius: eodem nos breuitatis cauſa contenti ſimus. In hoc quidem obſeruauit ille primum, metrum eſſe tetrametrum anapęſticum, uno pede mutilum. Huic autem adhæret pentameter elegiacus exactiſsimus, ſi ſynalœphen auferas: deinceps paucis ſolutè interiectis, adeſt ſapphicũ metrum epithalamium, & Ariſtophanium tetrametrum: poſt hæc, duplex iambicum dimetrũ: rurſus anapęſticum, pedũ octo: ac demum iambicum. Verba Demoſthenis ſunt hæc: *Metabole.*

μηδεὶς ὑμῶν ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι νομίσῃ με---, *Demoſthenis locus.*
μήτ᾽ ἰδίας ἔχθρας μηδεμιᾶς ἕνεχ᾽—
ἥκειν ἀριστογείτονος κατηγορήσοντα τουτονί,
μήτε μικρὸν ὁρῶντά τι καὶ φαῦλον ἁ

μάρτημα

ἁμάρτημα ἑτοίμως οὕτως ἐστὶ τοῦτο
προάγειν ἐμαυτὸν εἰς ἀπέχθειαν ––
ἀλλ' ὑπὲρ ὧν ὀρθῶς λογίζομαι
καὶ σκοπῶ.

περί γε τοῦ τὴν Χερρόνησον ἔχειν ἀσφαλῶς ὑμᾶς καὶ μὴ παρακρουσθέντας ἀποστερηθῆναι πάλιν αὐτῆς ––

Eſt autem adeò neceſſaria in omni dictione metabole, ut ſimiliũ ſatietas uitetur: ut etiã in carmine heroico, ne dimenſa ſemper atq; æqualia ſpacia uideantur (quod ſuprà etiam dixi) ſententiã membris inæqualibus ubiq; concipiant. Quo fit ut doctiſsimi cuiuſque carmen ſolutę orationi ſit quàm ſimillimum. Nam reſpirationibus incertis diſtinctæ ſententiæ, nullum propè uideri uerſum, faciunt. Etſi non licet tamen hexametrum in heroico mutare (quanquam nunc dactylo, nunc ſpondeo agatur) quoniã à longis ſemper pes incipiat neceſſe eſt: nec aliter rhythmus eius carminis ſeruatur. Elegiaci unius tantum uerſus mutatione facta, ad eadem reuertuntur. Conſtat enim Elegia hexametro & pentametro: quod carmen dicolon diſtrophon appellatur. Dithyrambici, qui & melopœi, magis uariant. Non cõtenti ſiquidem ſtrophe atque antiſtrophe, epodon, & aliquando ὑλέων, id eſt extenſionẽ, uel παρέκβασιν, id eſt exceſſum adijciebant. omnibus tamen ea lex fuit, ut non diſsimilium, ſed eorundem uerſuum concentuumq; eſſet antiſtrophe: eademq; periodus, quorum fuiſſet ſtrophe. Ita fiebat, ut per eaſdem uſque figuras & progrederẽtur & redirent Melopœi, atq; diu. Ergo qui melos aut rhythmum componũt, ijs non licet, ubicunq; libet, μεταβάλλειν: quoniã (ut dixi) eaſdẽ ἀγωγὰς (nos deductiones uocamus) ſeruare neceſſe eſt, quocunque genere utantur flexus & modi. In epodo autem atq; extenſione omnia mutari ſolenne eſt: modò poſſit communis aliqua menſura temporum utriſq; dari, & meleos aliqua participatio. Ea re paucas inuenias mutationes in paruis ſtrophis: paucos inquam uerſus diſsimiles, ut quales faciebant ueteres, Alcæus & Sappho, & nunc Elegiaci, ac ſæpe etiã Horatius. Quãquam ego elegiacum ſemper duxi tetracolon tetraſtrophon, quaternione ſuum decus ubiq; demonſtrante. Sed cum uulgo loquentes interea, dicolon diſtrophon appellamus. Pindarus igiť, & Steſichorus, & comicus Ariſtophanes (præſertim in choris) multo, quàm illi, maiores periodos commẽti ſunt. Vnde & epodos, & extenſiones, etiam multorum membrorum ſequi opus fuit. Nec potuit tamen res eo loci cõſiſtere: tanta eſt ubiq; uarietatis admiratio. Nam Philoxenus, & poſt hunc Timotheus, ac Teleſtes, non ſolùm metris perquàm uarijs in periodo uti, ſed modis etiam inter ſe mixtis ac mutatis auſi ſunt: Doriumq; in Phrygiũ, & hunc in Lydium

ac

ac Mixolydium flexerunt. Quinetiam melodias (quod planè inſolens præfractumq́ue uidebatur) commiſcuerunt, Chromatici generis cum Enharmonici, et horum cum Diatonici. Adeò præter cæteros indulſiſſe ſibi hos poetas comperimus. Hinc Ariſtophanes in Nubibus, facta uoce, appellat ἀσματοκάμπτας: quaſi dicas, carminũ euerſores. Sed quemadmodum noſtra tempora mores produxere corruptiſsimos: ita & muſicam hanc non tam arte, quàm uſu & exercitatione (ne dicam naturæ uitio) multi imitantur, quæ mollicie ſola placet: & propter quod illi pellendi erant è repub. id noſtra tempeſtate dignitates ſæpe & honores confert. Quid ſi Socrates, aut Plato, aut Lacedæmonius populus laſciuiã hanc præuidiſſent? Sed ad inſtitutionem. Ex ijs igitur quæ diximus facilè eſt cõijcere, quibus modis fieri aptè poteſt Metabole. Primum enim reperitur in partibus ſtrophæ differentibus: deinde in reditu antiſtrophæ: tum in extenſione: ac demũ in epodo. itaq; partes mutationis principes erunt, ſtrophe, antiſtrophe & theſis, & epodus, idq́ue tam ratione rhythmi et melus, quàm pariſoſeos. Numerum uerò atq; concentum ad amuſsim examinari ueteres in ſolo carmine & poemate uoluerunt, non item in ſermone. Cauſa fuit, quoniã in illis tantum hoc quærebant, quod Græci dicunt ἐμμελὲς, & ἔῤῥυθμον: fugerũt autem pariſoſin illam, quam noſtri recẽtiores, poſt illuuiem barbarorum (cum literæ exularunt non ſolùm ab Italia & Græcia, ſed toto ferè orbe) ſolam retinuerũt. In oratione igitur ſoluta non tam cernatur hæc harmoniæ perfectio, quàm obſcurè ſuboleatur. Et quidem contentus ſuperiore exemplo Demoſthenis, ad demonſtrandam naturã mutationis in rhythmo flexuq́ue uocis, pariſoſeos unum ſubijciam ex Miloniana: ut idem quoq; in his præceptum dominari conſtet, quod in illis eſt, etſi non fuerit antea obſeruatum. Verba Ciceronis ſunt: Eſt enim hæc, Iudices, nõ ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: uerùm à natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſsimus: ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus. In his dico partes eſſe illas quatuor metaboles concinnitatis, ſi paululũ mutato ordine diſpoſueris, in hunc modum, primùm ingrediendo, Hanc non didicimus, accepimus, legimus: erit ſtrophe. Sequitur Antiſtrophe, principio ſimilis: Verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſsimus. Apponatĩ nunc extenſio: Ad quam non docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus. Claude tandem epiphonemate, tanquã epodo: Hæc enim lex, Iudices, non ſcripta, ſed nata eſt. In hunc modum diſpoſita totius loci concinnitas, cernetur palàm ac dilucidè, partes omnes metabolæ habere expreſsiſsimas. Et niſi me fallit opinio, ex quatuor iſtis mutationis generibus illa producta eſt, de qua in tertio libro præcepimus,

Muſicæ noſtro tempore abuſus.

Metabole quibus modis fiat, eiuſq; partes.

Pariſoſeos exẽplũ ex Cic. Miloniana.

mus, quatuor exordiȷ̃ partium harmonia: nec aliter ſtrophę, & antiſtrophæ, & extenſioni, atq; item epodo addi poteſt. Paragraphos, quàm protaſi, & apodoſi, & aliȷ̃s illis ſua addebatur ætiologia, ut longius producerentur. Sed fortaſſe de re muſica amplius, quàm pro opere: præſertim cum de ea integrã artem ſcripſerim. Vtcunq; ſit, nemo tamen mirabit̃ quòd ex muſico quis fiat rhetor: quod tradunt de Phileſto quodam Mileſio. nam partem uterq; cum tractẽt eandem, non eſt diſsimile ſtudium exiſtimandum. Nec minus rhetor à muſico, quàm hic ab arithmetico & geometra, principia quædam ſuæ artis mutuatur. Hic ergo finem accipiat tota diſputatio de figuris, quam ſuprà ſecundã partem noſtri operis propoſui. Sequẽs liber totus in dicẽdi formas impendet̃, characteres uocãt aliȷ̃.

De Muſica A. Lulli ſcriptum.

DE ORATIONE
LIBER SEXTVS.

De Idea. Cap. I.

QVID eſſet oratio, quotq; eius genera, atq; ſcientiæ quæ hanc docerent, & quo modo fieret, hactenus demonſtratum eſt: nec quicquã (ut opinor) prætermiſſum, quod in hanc præcipiendi rationem cadere poſſe aut duci uideretur, ſiue eloquutionis modos cerneret, ſiue inuentionis artem. Nam locos argumentorum primus & ſecundus liber continet: partes orationis forenſis, tertius. reliqui ſigillatim ductum, & figuras, & tropos: & ſi quid in parte orationis uenit exigendum, non conſectati modò paucis ſunt, ſed reuera etiam conſequuti. Dixi autem In parte: quoniam de uniuerſæ idea, & ueluti forma (ueluti cum ſuauẽ Neſtora, Menelaum breuẽ καὶ οὐκ ἀφαμαρτοεπῆ, id eſt preſſum & propoſiti tenacem, Vlyſſem multa & denſa uerborum ſupellectile utentem finxit) quanq; aliquid obiter, & aliud agentes monuimus: non poteſt tamen perfecta ratio, iudiciumq; haberi, niſi ſua cuiuſq; conſtitutio, ac ueluti ſubſtantia cognoſcatur. Atq; hæc quidem eſt ars, qua qualitas orationis diſcitur, uelut Aſiaticę, Laconicę, Atticę: quaq; aliȷ̃ rurſum graues, aliȷ̃ acres & ardentes, aliȷ̃ dilucidi, aliȷ̃ acuti, aliȷ̃ illuſtres, aliȷ̃ ſuaues, aliȷ̃ picturati, & ſimiles appellantur. Item qua longi atq; extenſi habentur, à quibuſdam Plato, Liuius, Herodotus: breues et conciſi Florus, Ariſtoteles, Thucydides, Saluſtius: pinguis & floridus Cicero: aridus Pontanus, Ptolemæus: puri & nitidi, Cæſar & Lyſias: turbulẽti & mixti, Plinius auũculus, & Galenus. Rurſus Coruinus Cicerone mitior, dulcior, & in uerbis elabo

ratior: hic Craſſo urbanior, et ſublimior: Craſſus Graccho politior, & Catone uberior. Ita dicendi genus non unũ eſt, nec una dictionis forma atq; uultus: nec unquã duo ſcriptores reperti ſunt, quorũ nõ eſſent aliqua ex parte inter ſe diſsimiles orationes atq; ſtyli. Quod licet omne præceptum in tria genera diſtribuatur: Amplum, quod & ſublime dicitur, quia magno cùm ſententiarum tum uerborum curſu ſonituq́; fertur (ut eſt tota cauſa Rabirij, & pro Cornelio illa maieſtatis) Modicum ac temperatum, quod inter hoc & tenue medium incedit (ut laùdatio Pompeij) Tenue atq; acutũ, & in primis callidum (quo modo tractata eſt cauſa Cecinnæ, & pro Quintio: nempe tranquillè, leniter, partitè, definitè, diſtinctè.) addunt, Vergilij triplex opus triplici hoc genere deductũ: Æneida ſublimi, Bucolica tenui, & Georgica medio: tamen quia multum generalis pręceptio non multum prodeſt, noſtrumq́; inſtitutum ad perfectam cognitionem artis contendit: operę preciũ erit, ſpecies diſtinguere, ut in ſingulis quod maximè propriũ deprehenditur, hoc diligenter à nobis ac perpetuò obſeruetur. Nam per Deum, quid dictu facilius, quàm ſermonem hunc ſublimem eſſe, illum humilem? Quid uerò difficilius, quàm utriuſque cauſam oſtendere? Neque ſufficit ut grande dicatur, longa comprehenſio, membrorumq́; productio, aut commatum: quoniam res magnas etiam habeat opus eſt, honeſtas aut aſperas ſententias, methodum non unam, comprehenſionem uariam. Imò uerò genus hoc amplum (ut ſuo loco dicetur) in aſperitate breuibus & conciſis utitur, maximè dictionibus: tantum abeſt, ut ab una comprehenſione argumentum ſufficiat. Nec ſermo petulans, obſcœnus, liberalis, pius, arrogans, ſcurrilis (& id genus) figuræ ſunt aut ideæ, de quib. loquimur: ſed rerum nomina quæ tractantur ipſo ſermone, uel morum eius qui loquitur. Quę cum innumera eſſe poſsint, certam ſpeciem formamq́; nullã inde finiemus: quamuis ex re ipſa atq; ſententia non ineptè ſic appellaris eos ſermones. Quo modo Phrygium olere dicimus, quo narrantur fabellæ animantium Æſopicis non diſsimiles: & Socraticam doctrinam, quæ traditur per ſimilitudines & interrogationes: Ariſtippeã, quæ diſſolutis diaſtolis. Neq; rurſum inter characteres ideasq́; ſermonis referemus illas dicendi formas, quas διαλέκτους uocant: ueluti Doricam, Ionicã, & ſimiles proprietatis Græcæ dictionis: quas ſi ad unguem examines, non plures nationes, quid dico nationes? imò ne pagos quidem plures inuenies, quàm phraſes & dialectos cuiq; peculiares. Sed finitam nos oportet & naturalem rationem ſequi. Quare diſtinctius, mea quidẽ ſententia, facta ſunt quinque genera: Dilucidũ, breue, probabile, illuſtre, ſuaue. Quanquam ne hæc quidẽ diuiſio ſufficiat, ſi, quæ dicturi ſumus poſtea, proben-

Triplex dicẽdi genus.

Dicendi quinq; genera.

N tur.

tur. Interea tamen hoc ſciendum eſt, quòd hæc quæ dixi genera, alij characteres appellant, alij formas dicendi, alij ſtylum, alij uirtutem: nos tamen poſthac ex Platone & Iſocrate, ideas nuncupabimus. Quia nec alia uis in hoc uocabulo eſt, quàm in illis. & ideæ uocabulum phyſicũ magis uidetur huic noſtrę meditationi conuenire. Eſt

Idea. autem idea (ut à definitione inchoemus) cogitata forma ſermonis, ad quam imitando referimus noſtri ſermonis qualitatem. ut, cum à perturbato homine omnia tumultuariè & imperfectè proferãtur, irati ſermonem referens Poeta, *Tanta'ne* (inquit) *uos generis tenuit fiducia ueſtri? Quos ego.*— Conſequimur autem quæſitam formam, ſi Theophraſto credimus (maximè uerò τὸ σεμνὸν καὶ περιττὸν) tribus rationibus: delectu uerborum, harmonia, & figuris: ſententia, inquam, dictione, et compoſitione. Sed præceptio hæc nimis incerta eſt, nec parum anguſta, niſi quis delectus, quæ concinnitas, quales figuræ ſingulis debeantur characteribus, enarretur. Neq; enim ſola eſt illa quam admirari ſolent homines σεμνότης, aut copia: aut, cuius artem ſe inueniſſe putat Longinus, ſublimitas. Sed ex uarietate figurarum & uerborum & ſenſuum, uarias quoq; admodum fieri formas neceſſe eſt: quas nõ ex uno aut duob. ex iſtis definiemus, ſed ex omnibus ſimul, quatenus in unam ideam conuenerint. Et ut ideam aliquam certa ratione efficias, puta eam conſtare partim ſententia, partim ductu, partim dictione atq; interpretatione, partim ſtructura. Nam pro ratione temporis (perſonarum inquam & rerum) modos & figuras, & omnem compoſitionem ab iſtis ſeligimus: quibus propoſitę in animo ideæ ſermo aut poema generetur.

Characteres dicendi ſeptem. Ab Hermogene, quem nobis animus eſt quoad poterimus ſequi, ſeptem propoſita ſunt quaſi exemplaria hæc orationum: σαφήνεια, μέγεθος, κάλλος, γοργότης, ἦθος, ἀλήθεια, δεινότης. Latinè dixeris claritatem, amplitudinem, pulchritudinem, toruitatem, ſeu contentionem (alij dicunt celeritatẽ) mores, ueritatem, grauitatem, ſeu (ut uidetur Hermogeni) decorum. Ex his, quanquam diuerſis inter ſe ideis, tanquam elemẽtis, Demoſthenicã orationem conſtare, componiq; tradit, permixtione quadam ad rem idonea: qua fit oratio uaria, copioſa, ornata, et quam uocabant Ciceronis ætate Atticam. Nec minus tamen etiam harum ſingulæ ex ſeſe mutuò partes accipiunt, atq; elementa. Nam methodus eadem nõ uni tantum formæ ſemper ſeruit, ſed pluribus: ut neq; ſententiæ, neque interpretatio, neq; compoſitio eiuſdem figuræ ſemper. Sed ex horum ueluti craſi uaria, & cõmixtione, diſcrimẽ euadit: ut ex ijſdem chordis nõ idem ſemper melos efficitur. Sunt autem hæc (ut dixi) primùm ſententia, hoc eſt res ipſæ de quibus loquimur: tum perſona. Ex his enim duobus argumenta moreſq; ducuntur. Deinde methodus, hoc eſt

œconomia

œconomia quędam, qua ſenſus animi uerè uel fictè proferuntur. In hac cum inueſtigentur figuræ ſententiarū, proinde locus alter fiet Methodi. Tertius dictionis, quam alij uocant nomen, & ὀνομασίαν: non quòd tantum nomina, & non uerba ac participia & aduerbia hîc ponderent: ſed quia potiſsima eſt pars nomen orationis. Quarta erit interpretatio, et ultima ſtructura. Et locos quidem rerū prioribus duob. libris tradidi. Oportet autem iudicio ualeas, ut res magnas ab exiguis ſecernas. Magnas exiſtimabis, ſentētias de religione, de pietate, de morte, de charitate patriæ, de officio, de uirtutib. & uitijs, de bello, uictoria, pace: de bonis rebus & malis: de dolore, de uoluptate, de perturbationibus animi, de erroribus, de ſectis, & ſimilib. rebus. ut contrà humiles & abiectæ ſunt, caſeus & lac, corbis, et (quod ille ait) focus & fumoſa palilia fœno. Ideo uir eloquēs teneat oportet phyſicorum placita, iuris ciuilis ſcientiam, agriculturam, rem militarē, uenaticam, & cæteras artes omnino ne ignoret. in primis autem memoriam rerum geſtarum: ut ſacræ hiſtoriæ, ſuę gentis, populi Romani, & aliorum populorum regumq́ illuſtriū. Quorſum uerò hoc? Quorſum? ut cum opus fuerit, ſimilitudinib. & exemplis inde ſumptis, ſermonis idea magnitudinē aut uoluptatem, aut acerbitatem, aut aliud quicquid deſiderauerit occaſio, accipiat. Poſtea enim iudicij quadam alta celeriq́ ui, ductum quæret: ſiguraſq́ adhibebit, ut rectè aut figuratè oportebit. Iam in uocibus delectus eſt: ut propria alia ſunt, alia translata: & rurſum nata alia, alia facta, uetera & recentia, ampla & ſonora, et contrà obſcura atq́ breuia. Ex quibus item poetica quædam, quædā hiſtorica, alia dialectica, mathematica: & præterea Terentiana, Plautina, Ciceroniana, prout horum quiſque una aut alia uoce frequenter uſus eſt. Ad hæc figuræ enunciandæ ſententię, atq́ interpretationum, habendę in promptu ſunt: quia uel ſimpliciter dicendum eſt, uel cōiunctim: diſſolutè, uel cum coniunctionibus: & arte nouata forma, uel uſitatè. Deniq́ compoſitionis præcepta, ſuis quæq́ ſeruiunt uirtutibus orationis. ut ſunt ordinis, iuncturæ, membri, harmoniæ. Erunt ergo capita in ſingulis characteribus examinanda hæc, atque exigenda: primùm res & mores, deinde ductus, tum dictio, poſt hęc interpretatio, poſtrema cōpoſitio: Theophraſti quidem ratione haudquaquam neglecta, qui tres magnificæ orationis atq́ amplæ cauſas poſuit: delectū uerborum, eorundem harmoniam, & figuram. Sed ut typo quodam & rudi (quod aiunt) Minerua, quod dixi, percipias: ſi claritati ſtudueris, principiò res huiuſmodi tractabis, quarū intellectus in promptu ſit, nulloq́ modo difficilis: Methodo recta, rectis caſibus, rectaq́ compoſitione. Si moribus: perſonæ aſſumentur moratæ, figura ꝓſopopœia, & multæ epicriſes. Si amplitudini,

Magna res. *Humiles.* *Oratori quæ tenenda.* *Vocum delectus.* *Capita in ſingulis characteribus examinanda.*

multa ſimul complectère: res magnas, inſignesq́ enarrabis: membris aut longis diſtingues ſententias, aut acribus. Si uenuſtati, concinnitas petetur. Acrimonia, altas ac ſubtiles poſcit ſentētias, occupationibusq́ multis prætercurrit. Acerba oratio increpat, prohibet, interrogat, iubet. Veritas demum ita ſimulatur, cum circūſtantiarum ratio non omittitur: ſed exponitur res dilucidè, cōfirmationesq́ ex occupatione inſerūtur: iamq́ interpretatio quàm ſtructura diligentior negligitur, & ex animo loqui, quaſiq́ coacti præ nobis ipſi ferimus, & uidemur. Hinc formarū uarietas orta eſt. Hæc porrò omnia cum pro dignitate negotij, perſonæ, loci, temporisq́ cōcurrunt, & adhibentur: tunc ſpecies conſurgit, quam Hermoge-

Δεινότης. nes Græcè cum appellauerit δεινότητα, pleriq́ grauitatem, alij decorum interpretati ſunt: ſpecies optatiſsima perfectæ eloquentiæ, & Socrati peculiaris. Sed nos de Decoro ultimum opus faciemus: & aliam fortaſſe docebimus eſſe τὴν δεινότητα, quàm grauitatem, aut decorū: nec minus ab Hermogene recedemus, quàm à Demetrio. Verùm enimuerò ſi noſſe cupis qua ratione Hermogenes in politica oratione formas iſtas inueſtigauerit, & unde acceperit, non longa eſt demōſtratio.

Dilucíditas, prima orationis uirtus. Siquidem uirtus orationis prima eſt, omnium iudicio, dilucíditas. Dilucidum autem ſæpius hic humile euadit: id ne fiat, ſtatim oratio eſt in amplitudinem extendenda. Iam magna quæ ſunt, uaſta appellantur, niſi ornatu & concinnitate aliqua deformes: tarda etiam natura ſunt omnia, & immota. Ideo igitͬ ſequitur hanc primùm pulchritudo, deinde uelocitas. Quoniam uerò ciuilis ſermo nō ſolùm ad cauſam explicandam adhibetur, ſed ad mores etiam oratoris commēdandos, & ad mouendum aliquo pacto auditorem: hoc efficit ἐνδιάθιος, id eſt affecta oratio: mores autem

Affecta oratio. oratoris cōmendabit morata. Porrò autem affectæ orationis ideæ, quia ueriſimilitudinē pręſe fert (quaſi quæ ex animo, non ex com-

Veritas. poſito procedat) dicta eſt ἀλήθεια, id eſt ueritas: & ad rem ipſam attendere auditorem facit. Ergo in uerbis erunt primùm & per ſe dilucíditas, amplitudo, uelocitas, & uenuſtas: in re, ueritas: in oratore, mores. Sic inuentæ ſex ideæ: ex quarum commixtione exiſtit popularis. Harum ueluti coronis, & ſumma perfectio erit, τὸ πρέπον, Hermogeni δεινότης. Verùm etſi graue mihi eſt ab ſummo huius rei artifice & inueſtigatore recedere, quem perinde admirari quidem quàm imitari æquum eſt: tamē ſi noſtra illa quaternarij numeri nunquam nos ratio fefellit, neq́ hic puto equidem decipiet: maximè qui neque Hermogenis omnino ſemitas deſeramus. Quoniam etſi id quidem diſsimulauit unde mutuatus ſit, tamē ſi quis ad Sympoſium Platonis animū aduertat, ex eo nō ſolùm hunc paradigmata accepiſſe omnium formarum, ſed etiam & numerum iuxta perſo

narum

narum numerũ quæ in illo conuiuio ſermones contulere, facilè cognoſcet. Quanquam nõ prorſus ſeptem has ideas,quas uelut capita & ſummas poſuit,ita perſonis illis diſtinctas inuenio,ut ſuã quęque maximè referat,& non magis aliam quæ ſub generaliori continetur.Nam Pauſanias plenus eſt, & circũductus,alioqui etiã ſubtilis:Eryximachus,ſemnos:Agatho,illuſtris:Apollodorus, habetur aſper. Quæ tres formæ poſitæ ſunt ab Hermogene ſub amplitudine.Sed puto primùm ab eo Socratis orationẽ expenſam:in qua uirtutes illas cum deprehenderet,quas alij ſigillatim uidentur uoluiſſe conſectari, & definitiones quaſdam Platonis obſeruaſſet,circa illarum nomina tam hic quàm alijs multis in locis:ſecurus quid ſinguli effecerint, ex eorum numero numerum cepit, & ex oratione Socratis finitiones. Itaque ſeptenario numero cõtentus fuit: quòd ſeptem illic ſint, qui ſymbola ſua in laudem Amoris contulere. Et ſanè laudo, quod numerũ illum conuiuarum carere myſterio non potuit arbitrari: ſed nos haud adeò religioſi ſumus, ut propterea iam receptam quaternarij rationem deſeramus. Nam ſi quatuor ponamus in dictione uirtutes: claritatem, magnitudinem, pulchritudinem,& celeritatem, ſeu toruitatem:in animo dicentis,mores: in re ipſa,probabilitatem: nihil certè erit aut quod deſiderari poſsit,aut quod tanto autori detractum eſſe uideatur:quin idem nobiſcũ ſenſurus ſit Hermogenes,niſi fallimur: etſi perſonarũ numero perſuaſus eſt.Sex enim ſunt tantum qui ſuum quiſq; ſtylũ purè expreſſerint,Socrate in unum quaſi faſciculum omnes colligente. Iam uerò quæcunque dicimus (ut autor eſt Philoſophus) illa uel ἐν τῷ λόγῳ conſiderantur,& ueluti corpore ac ſubiecto uocis ac ſermonis: uel ἐν τῷ ἤθει τοῦ λέγοντος,id eſt in nutu quodam, & ueluti expreſsiori ſignificatione eius ſenſus qui eſt in animo dicentis:uel ἐν τῷ διαθεῖναι πῶς τὸν ἀκροατήν,id eſt in mouendo ſeu afficiendo aliqua ratione auditorem. Afficitur autem uel credendo,uel amando,uel abhorrendo. Nam ſicut uſu loquendi frequentiore affectus pro morbo & perturbatione animi accipiatũ: ſic φυσικωτέρως, fides animi eſt quædam διαθέσις: nec in amorem,aut odium, aut alium motum induci poteſt auditor, niſi prius uera eſſe credat,quæ dicuntur. Ea re potiſsimum ex rerum probabilitate ſumetur idea ueritatis,quam dixi ἀλήθειαν. Quoniam uerò non ſolùm ex rerum probabilitate fit oratio ueriſimilis, ſed etiam ex eo quod orator ex animo udetur, nõ arte,loqui: eidem ſubijci debebit moratæ dictionis (ſeu mauis dicere affectæ) color:quem alij ἐνδιάθετον λόγον, alij παθητικὸν nuncupant.is eſt ſermo impræmeditatus,ex aliquo affectu erumpens:uel ob rei indignitatem, quæ eſt βαρύτης: uel ob gratiam, quæ ſuauitas, & deliciæ,græcè γλυκύτης.Nec diſsimili ab hac ratione in claritate Morata dictio.

N 3 quidem

quidem repertæ puritas,euidentia,& diſtinctio:in amplitudine di
gnitas,aſperitas,uehementia,ſplendor, uigor,circunductio & ple-
nitudo:in toruitate, elaboratio,robur,breuitas.& celeritas: in mo
ribus,ſimplicitas,modeſtia,& calliditas, affectus præterea duo: ac
demum in credibili, probabile, & conſentaneum. Sic formæ di-
cendi repertæ ſunt cum ſex illis principibus uiginti aliæ, ex qui-
bus licet orationis politiæ uarietatem metiamur,et ad hanc omnes
adhibeamus,ut uaria ſit & popularis:nulla tamen iſtarum caret a-
matoribus:ut neq; deſunt qui amaris delectentur,et puellarum mo
res diuerſiſsimos amari poſſe docuit Ouidius. Sed primùm quidẽ,
quomodo fiat claritas,expendamus.

De tribus claritatis ideis, & primùm de puritate. Cap. 2.

ET ne ab Ariſtotelis doctrina recedamus, quæ ſermonis
tres fines poſuit,ut ſuprà dictum eſt: cumq; hoc potiſsimũ
quærat noſtra actio, ut fidem faciat:uериſimilem quoq; ſer
Veriſimilis monem tribus modis efficiemus, omiſſa interim pronun-
orationis ciatione.prima in ipſo erit ſermone claritas: alter,in morib. dicẽtis
tres modi. motus:tertiũ,in re credibile,uel probabile. De quibus ſigillatim in
præſentia cum diſſeremus, ſi breuitate utamur, nihil tamẽ præter-
Claritas. mittemus,quod ad rem faciat. Ac de claritate quidẽ principiò dicẽ
dum uidetur,quę prima ſemper & maxima uirtus exiſtimata eſt o-
rationis. Hanc alij puritate, & caſtimonia quadam dictionis aſſe-
quuntur:alij explanatione,ſeu diſtinctione, & elegãtia:alij demum
euidentia,& ſubiectione eorum ob oculos, quæ dicuntur. Ideo &
nos claritati tres formas ſubijciemus,puritatem,elegantiam & eui-
dentiam. Græca nomenclatio eſt, καθαρότης, ἐυκρίνεια, & ἐνάργεια.
Puritas. Fit autem purus ſimplexq; character, primùm ex natura rerũ quæ
tractantur:deinde uerò tractatione,nempe methodo, dictione, in-
terpretatione,& ſtructura. Puritatis ſentẽtiæ omnes illæ ſunt,quæ
uulgo facilè intelligi & poſſunt,& ſolent: nihil habentes reconditi
» aut ſubtilioris intellectus. Milo domum uenit, calceos & ueſtimen
» ta mutauit:pauliſper,dum ſe uxor comparat,commoratus eſt. Du-
Ductus. ctus ſimplex,minimeq; figuratus:qualẽ natura formauit primo in-
telligendo. Quare nihil ſubintelligendum: tenuiter incipiendum
à re ſimplici:nulla occupatione,nulla adiunctione cauſæ, loci, tem-
poris,modi:quoniam plenitudini ſeruiunt hæc,& circuitioni, quę
puritati eſt contraria. Hinc Cicero,ne nimia puritate, quæ humilis
eſt,abijceret ſermonem: cum rectè ac ſimpliciter incepiſſet, ſtatim
» circumiuit cum circumſtantijs cauſæ. P. Clodius cum ſtatuiſſet om
» ni ſcelere in prætura uexare remp. Et in ſuperiori exemplo, cum
» circumſtantia temporis et loci: Milo autem cum in ſenatu fuiſſet eo
» die,quoad ſenatus dimiſſus eſt, domum uenit: calceos & ueſtimen-

ta

ta mutauit. Omittenda igitur omnis commoratio, quæ rei aliquid adiungit: ueluti genus formæ, totum parti, infinitum finito, qualitatem ſeu quantitatem, differẽtiam ſeu ſimilitudinẽ, iudicia ſeu confirmationes: deniq; omnia quæ aliam præter ipſam rei intelligentiã requirunt. Iam ergo patêre poteſt, non ſolum qualis eſſe debet interpretatio, ſed etiã & dictio, propria & Latina. Nam ſi tropus omnis alio quodam trahit auditorem: & aſperitas atq; inſolentia uocũ perturbant, & ad ſe rapiunt attentionem: nec tropus quidem, nec onomatopœia, nec affectatio ulla dictionis locũ in claritate habeãt: ſed communia uſuq; trita, propriaq; & abſq; interprete per ſe nota uocabula. Demum luminibus obſtruere exiſtimabis tropos obſcuros, uocum ambiguitates & alluſiones ad fabulas uel hiſtorias ignotas: atq; eadem etiã puritati officere, quæ prima eſt figura claritatis. Interpretatio autem fiet primùm enunciatione recta: ut recto caſu, indicatiuo modo, nulla allœoſi, nulla mutatione quantitatis, nulla reſolutione: deinde exæquatione nulla, nulla productione ſpiritus, nulla parentheſi, aut omnino hyperbato. Quinimo extẽſio ipſa ſententiæ, etiam quæ fit per adiunctam expoſitionem (nos ſuo loco diximus ἀφήγησιν) quanquam puritatis uidetur eſſe propria (ut certè, quantum attinet ad hoc genus interpretationis, nihil contra puritatem peccat) tamen quia aliquid rei adiungit, ut ſuprà declaratũ eſt, & plura ſimul complectitur, contra methodum puritatis eatenus committere exiſtimabitur: & ſimilis magis puræ dictioni erit, quàm uerè pura. Nam et quæ uerè pura eſt atq; idiotica, interdum componitur, & circunductæ ſimilis fit. Pauliſper dum ſe uxor (ut fit) comparat, commoratus eſt. Iteratio quoque, cum fit res ambitioſè petita, nullo pacto ſeruire poterit huic formæ. De duobus autem alijs interpretandi capitibus, illud eligendum, quod nullo modo figuratum uidetur: quia ſola figura in his puritatem tollit. Supereſt itaq; compoſitio: cuius prima ratio ordinis recti habẽda eſt. Et fieri quidẽ poterit ea ratione, ut pura uideatur atq; ſimplex oratio, quæ tamen nihil minus ſit quàm pura. ut, Fingite igitur cogitatione imaginem huius conditionis meæ. Rariſsimè tamen utitur Cicero rectitudine, cuius omnia inflexa ſtudioſe ſunt: adeò uir ſummus ab humilitate uulgiq; ſermone abhorruit. Iuncturæ nulla ratio habebitur: quoniam cura hæc diligentiã prodit. Membra quoque breuia ſint, & cõciſa, neceſſe eſt. Non ſolum enim longiores ambitus efficiunt, ſed & ſuccinctæ periodi. Quare ut de extenſione diximus, ſic hoc loco ἔρμος & διάλυσις puritatem ſimulare poſſunt. Exemplo eſt omnis ſcriptura ſacra: maximè ueteris Teſtamẽti, quę tota colis componitur, licet profundi ſenſus & obſcuri crebrò inſerantur. De numero idem deniq; ſentio, quod de iunctura: curam

Dictio.

Interpretatio.

Cõpoſitio.

 abeſſe

abeſſe oportere, nec uſquam ſolidas illas baſes exquiri, de quibus ſuperius tam multa. Siquidem familiari ſermoni cum ſit idonea puritas, decentius mouebitur iambo & trocheo ſine ordine, quàm alijs. » Pauliſper dum ſe uxor (ut fit) comparat, commoratus eſt. Quod ſi ita eſt, quis locus dabitur concinnitati? Certè nullus. Neq; enim diligentia tantum puritatem tollet, ſed multo etiam magis exæquatio: quæ ſemper multiplici, nunquam ſimplici dictione cõcinnatur. Atq; hæc quidem de puritate. Quam ideo primam noſſe oportuit, ut quę prima ſit, & alijs poſsit uiam ſtruere: maximè uerò ijs quę de plenitudine paulo pòſt dicentur. Hanc figurã amplexatus eſt præter cæteras Ariſtoteles. Sed cum uerum copia abundet, non tãtum purus, ſed diues etiam habetur: quem Cicero aureum fontem eloquentiæ dixit appoſitiſsimè. *Turbida oratio.* Puritati contraria eſt turbida oratio, primùm importunitate figurarum, & uerborum atq; epithetorum ineptijs: deinde amplificationibus & digreſsionibus affectatis.

De Elegantia. Cap. 3.

QVONIAM uerò ſæpe contingit, partim ex natura rei, partim ex conſilio oratoris, qui amplitudini ſtudet, ut nullus puritati locus relinquatur: & uitium cum ſit maximum orationis obſcuritas, & inter cætera pręcipuè fugiendum: ideo ut claritatem conſequamur, puritati eſſe ſubſidio ſo-
Elegantia. let elegantia. Hæc rem natura perplexam diſtinguet, & partietur in ſua genera: & nunc repetitione, nunc cataſtaſi, nũc partitione (ſi quã ex hyperbato aut circuitione noctẽ inductura erat tractatio) eam cum inſigni explanatione diſcutiet: & unà cum ornatu (quod mirandum eſt) quaſi nudam & expreſſam efferet orationem. Atq; hæc, uirtus eſt diſertorum hominum. Cæterùm non ut puritatẽ faciunt res puræ & ſimplices, ſic diſtinctionis aliquæ eſſe poſſunt ſententiæ. Tota namq; hæc ex tractatione pendet: quæ ad obſcuriores ſenſus declarãdos magis adhibetur, quàm ab ulla re clara aut obſcura efficitur. cõfuſum namq; genus alioqui per ſuas differẽtias
Methodus. diſtinguere, hoc artis eſt proprium. Quapropter methodo potius » rem ita duxeris, ut diſtinctè, quæ in ipſa priora ſunt, eo ordine collocentur: nihil per contrarium aut Emphaſin ſignificando. Sed ab occupatione (quæ figura eſt ſententiæ) illas formas ſeligemus inprimis, quæ paucis proponunt ſtatum cõtrouerſiamq; uniuerſam: » κατάστασις uocabamus. ut, Quónam igitur pacto probari poteſt » inſidias Miloni feciſſe Clodium? Sic & prædictio eorũ quę dicturi ſumus, & ordinis præſignificatio. ut, Tria ſunt de quibus me dicere oportet: primum hoc, &c. Concluſio ſimiliter ante argumentum ſignificata, clarius argumentum facit. Item, quæ ad principium reuocant intelligentiam: ut ſunt epanodi, repetitiones, & epilogi.

Hæc,

Hæc, ſicut expoſui, ita geſta ſunt: inſidiator ſuperatus, &c. Tranſi- «
tiones: ut, Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pau «
ca dicam. Omnis denicp pręmunitio, quę dicendis anteponitur, &
epanalepſis, ſeu repetitio dictorum, claritatem cum elegantia con-
iungunt. Quæ quoniã cum diſtributione proponuntur, eo quocp
fit diſtinctio elegantior: auditore, niſi ea quæ propoſita ſunt, nihil
expectante. Qui primo audito, ad ſecundum quocp attentionem
parat. Ex commoratione autem ſola Synonymia admittitur, ut,

—Furor iraq́ mentem præcipitant.—

Perfuſus ſanie uittas, atroq́ ueneno.

Ideo præcipua cura circa interpretationem ponenda eſt, quæ'nam
adhibeatur. Atcp ex hac quidem primũ accipiemus eos meriſmos,
qui ſummatim ſenſum omnem proponunt, diſponuntq́. Vt ſunt,
præenumeratio: ut, Duo ſunt de quibus me dicere oportet. Ordi- «
natio, quam faciunt dictiones illę, Primum, deinde, poſthęc, & ſimi
les: ut, Sed ſi illius inſidiæ clariores hac luce fuerint, tum denique
obſecrabo obteſtaborq́ uos iudices. Sola uocula, Tum denicp,
orationem pleniſsimam quadam quaſi luce illuſtrauit. Partitio illa
quæ per aduerbium Partim, & per cõiunctiones Cum & Tum: ut,
Ex quibus qui animo fideli in dominũ erant, & præſentes fuerint, «
partim occiſi ſunt, partim cum ad rhedam pugnari uiderẽt, &c. Hi «
ergo meriſmi potiſsimam autoritatẽ obtinẽt in diſtinctione. Poſt
hos illi etiam, qui fiunt cum exæquatione breui: cum breui inquam
redditione ſecundæ partis. quoniam hæc protracta longius, non
tam diſtinctioni, quàm circuitioni parent. ut, Etſi uereor Iudices.
Facilius illud, Non ſcripta, ſed nata lex. Reddit enim oppoſita ſta-
tim. Sed ſubiecta diſtinctioni declaratio, quæ exẽplis profert, huc
etiam pertinebit. ueluti, Horum quæ ſunt, quædã ſunt natura, quę-
dam ob alias cauſas. Natura quidem ſunt animalia, partesq́ ipſo-
rum & plantę, et ſimplicia corpora: ut terra, ignis, aqua, aer, &c. Ab
eiuſdem interpretationis figuris aliquando ſumetur interrogatio
cum ſubiectione: ut, Apud quem hæc dico? nempe apud eum, qui «
cum hoc ſciret, tamen me antequã uidit, reipub. reſtituit. Item quo- «
que iteratio, ſeu reſumptio eiuſdem uerbi & ſentẽtiæ, quæ commo
nitionis cauſa tantum petitur. ut de Finibus: Delector enim, quan- «
quam te non poſſum (ut ais) corrumpere, delector (inquam) fami «
lia ueſtra, & nomine. Et paradoxum illud, quod finiebamus: Po- «
teſt reipub. prodeſſe tua legatio? prodeſſe dico? quid ſi offutura? «
quid ſi iam etiam nocuit? Traductio etiam, quòd memoriã firmet «
eiuſdem uocis reſumpta imago, eatenus tantum diſtinctioni cõmo
da eſt: Memmius erat Memmius. «

Vna ſalus uictis, nullam ſperare ſalutem.

Quan-

Quanquam certè ob uerbi metaphoram non nihil puritati detra-ctũ eſt. Quocirca magis hãc faciet abſq; homonymia τὸ πολύπτωτον: *Littora littoribus contraria.*—Et relatiuum atque reciprocum prono-men iunctum antecedenti: ut, Suum cuiq; pulchrum: uel uniuerſali atq; infinito nomini: ut, Quam quiſque nouit artem. Eodemq́; mo-

» do oppoſita: ut, Alter te doctrina augere poteſt, altera exemplis. Sed non minus quàm elegantiæ, etiam pulchritudini ſeruiunt hæc. Sed de ſecũdo quidem capite interpretationis hactenus. A' tertio autem, quod de conſtructione tractat, nihil huc deſumemus, quod figuratũ dici queat. Nec ab ultimo: niſi fortaſſe, quòd ubi alterum optandum fuerit, multitudo atque copia coniunctionum magis di-ſtinguere exiſtimabit. Reſtant igitur dictio & compoſitio: de qui-bus non aliud præcipiemus, quàm quod in puritate modò dictum eſt. Nam licet quidem metaphora nonnunquam id efficiat, ut ſit o-ratio euidentior: nõ tamen diſtinctior. Compoſitio autem, præter-quàm quod membris in elegantia utimur plerunq; aliqua articula-tione connexis, à quibus abſtinet ſimplex puraq́; dictio: omnis erit planè ſimplex, quæq́; puritati conuenire poſsit, ueluti ordo rectus, neglecta iunctura, breues articuli.

De Euidentia. Cap. 4.

Euidentia. Eνάργεια, quam Cicero euidentiam interpretatur, per-ſpicuitas quædam eſt orationis, quæ facit, ut ea quæ nar-rantur, nõ intelligi modò, ſed penè etiam cerni oculis ui-deantur. Huius exemplum eſt tritiſsimum illa conuiuij

» luxurioſi deſcriptio. Videbar mihi uidere alios intrantes, alios au-

» tem exeũtes: partim ex uino uacillantes, partim heſterna compota-

» tione oſcitantes. Verſabatur inter hos Gallius unguẽtis oblitus, re

» dimitus coronis: humus erat lutulẽta uino, coronis languidulis &

» ſpinis cooperta piſcium. Tiberius rhetor enargiæ ſententiam tri-buit, quæ cum loco & alijs adiunctis rem continet: & figuras, hypo-typoſin, & fictionem, obiurgationem, ſignificationem, demonſtra-tionem, & his aptam dictionem. Cæterùm quamuis enargia in tra-ctatione (ut cæteræ perſpicuitatis formæ) poſsit inueniri, & ſoni-tu etiam ipſo literarum res aliquando ponatur ob oculos: tamẽ res habere huiuſmodi ſolet, quæ ſenſum corporis, & in primis uiſum mouere nata ſunt. imò ſi res incorporeæ ſubijci oculis debent, eas forma aliqua & ueluti perſona induemus, uel cum rebus corporeis

» quaſi corporeas collocabimus. ut, Subter præcordia iram colloca-

» uit. Vel ſimilitudine ad eam referemus. ut, Tanquã fortis armatus

» ueniet egeſtas. Et maximè euidentes ſunt geſtus corporis atq; ha-bitus, omniſq́; operatio & energia uitæ humanę: & præterea quæ-cunq; naturæ uidemus quotidie, & admiramur; ut ſunt tempeſta-

tes,

tes,fulmina,ſol & ſtellæ.Facilè enim accipiunt ea omnia animi, quę
cognoſcunt.ut,

Conſtitit in digitos extemplo arrectus uterq;,
Brachiaq; ad ſuperas interritus extulit auras.

Habitus exemplũ eſt:Stetit ſoleatus Prætor populi Rom.cum pal- «
lio purpureo, tunicaq́; talari, muliercula nixus in litore. Actionis «
naturalis:

—Mihi frigidus horror
Membra quatit,gelidusq; coit formidine ſanguis.

Ductus ergo uterque poteſt eſſe uſui. Nam rectus in illis eſt,& em Ductus.
phaſis etiam neſcio quid maius indicat:ut, *Demiſſum lapſi per funẽ.* Et
figura hyperbole eadem ratione:ut,Caput ad fornicem Fabium of-
fendit.totum tribunal impleuit.Commoratio quoque,quando ſin
gula ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους expreſsiora fiunt, quàm ſi ſummatim di-
ceres:ut in conuiuio ſuprà. Et ſynonymia: *Perfuſus ſanie, atroq; ueneno.*
Sed dominatur latè hypotypoſis : de qua dictũ in proſopopœia a-
bundè cum ſit,hic ſuperſedebo.Quod ſi inter alia quippiã eſt quod
diu hærere cupimus in animo auditoris,illud figura aliqua inſigni,
quæ multum extare poſsit, exponemus, coniunctum etiam cum re
aliqua admirabili,uel læta,uel triſti,inuiſaq́;.hęc enim cum difficilè
moueantur ab animo, diu etiam hærere faciũt ea quibus cum con-
iuncta ſint.Dictio non non ſolùm propria,ſed etiam translata: quę Dictio.
interdum plus ſignificat.ut ſynecdoche, *Hæret lateri fatalis arundo: Pe-
dibusq; rotarum Subijciunt lapſus*. Sic rebus incorporeis,& ijs quæ ſenſu
carent,per translationem actiones damus,& quæ propria ſunt per
ſonarũ:quod iam dixi.ut, Imperante libidine,Maris iracundia. Hy-
pallage eſt: *Sordes farris mordere canini:* ſicut illud, *Pedibusq; rotarum Subij-
ciunt lapſus.* &, *Hæret lateri fatalis arundo*. Quatenus enim hæc omnia ad
rem cognitã & ſæpe uiſam transferũt cogitationẽ,aperta ſunt, atq;
dilucida. Quapropter in rerum deſcriptionibus magna utilitas in-
uenitur ex ſimilibus. Ab interpretatione igitur ſeligemus enuncia
tiones ἐξηγητικὰς, hoc eſt indicatiuas : deinde aduerbia loci & tem-
poris : tum uerò maximè pronomina & participia, quòd hæc pau-
cis membris multa ſignificant. pronomina uerò demõſtratiua rem
oſtendunt oculis.ad hæc formata à uerbis nomina : ut, Beſtiæ ſæpe «
immanes cantu flectuntur. Inter comprehenſionis figuras fugien «
dum eſt hyperbaton, atq; item hypembole. obſcurat enim ſenſum,
& tanquam nube circunfundit : aut certè negotium longè abducit
ab oculis. Exæquatio autem cõminuit & permiſcet.utrumq; abeſt
ab euidentia. Iteratio uerò cum ſit ornatus, rem quaſi fuco cõtegit.
Ergo ſola reliqua eſt frequentatio. Quòd ſi alię uſurpentur,ad eam
accedent quàm proximè:ueluti infinitus meriſmus & extenſio. Su-
pereſt

Cõpoſitio.

pereſt compoſitio. hæc negligetur, ſed ordo quæretur rectus, membra exigua: numero & iunctura magis ad aſperitatem idoneis. Ergo aberit concinnitas: quoniam (uti dixi) ornatus, quaſi fucus, formam rei contegit, nec totam cerni patitur. Siquidem ad pulchritudinem orationis reſpectantem animum, & ſuauitate captum modulationis rem attentius contemplari non ſinit. Atq; hactenus de enargia, elegantia, & puritate: ex quibus claram ac dilucidã fieri orationem propoſui. Sequitur Amplitudo. In hac ſitum eſt ſublime illud atq; heroicum dicendi genus, quod pleriq; affectantes, dum ſemitas eius, & eloquentiæ decorum ignorant, uani fiunt, & turgidi, non grandiloqui.

De Amplitudine, & dignitate, quæ amplitudini ſubijcitur. Cap. 5.

HVMI quidem ſerpet oratio, quæ tantum ueriſimilis eſt, & clara: niſi amplitudine aliqua uerborum, aut ſentẽtiarum dignitate extollatur. Nam puritas uulgaris, planè contemnitur: elegantia, ſuis illis ueluti minutijs moleſta eſſe poteſt: euidentiam autem & mores, etiam indocti efficiũt: probabilitas quoq;, quanquã magnarum uirium eſt, tamen ut precioſæ epulæ cum ornatu ſuo appoſitæ precioſiores habẽtur, ſic iſta niſi honorem ſenſuum uerborumq; accipiat, parũ certè auidè accipientur ab auditorib. Ea re opus eſt ut ueram ſequatur ampla & grãdis idea: de qua dicendum in præſentia eſt. Sed quoniam non una definitur, ſed multiplex eſſe poteſt. Quanquam uerò una ratio dari poteſt, quam ſublimitati Longinus tribuit: ὃ πολλὴ ἡ ἀναθεώρησις: id eſt, cuius multiplex animo ſuccurit conſideratio atq; intellectus: tamen dicam de ſingulis eius partibus ut potero. Quod enim ille de ſublimitate ſcripſit (id eſt, περὶ ὕψους) non unius figuræ præceptum uidetur, etſi exigua quædam & puerilia præceperit: ſed omnis prorſus orationis politicæ: & ineptius quoq; illud in uniuerſum definit: ſublime genus dicendi illud eſſe, quod per omnia placeat. quaſi nõ per omnia placeãt ſcripta Vergilij in Bucolicis, & Ciceronis in Officijs, aut Platonis aliquid à Longino iurè reprehendi poſſit. Sed Platonem hic reprehẽdit: quàm iuſtè, alij uiderint. nos in ſingulis formis dicẽdi ſuum eſſe decorum aſſerimus, nec magis unam quàm

Amplitudo quibus conſtet.

aliam probari, ſi in tempore adhibeatur. Magnitudinem ergo in primis faciũt duæ aliæ, dignitas & circuitio: deinde aſperitas, ſplendor, uigor, & uehemẽtia. Græca ſunt, σεμνότης, περιβολή, τραχύτης, λαμπρότης, ἀκμή, καὶ σφοδρότης. Sicut enim claritas puritate & elegantia efficitur, augeturq; euidẽtia: ſic magnitudo & grande genus dicendi, nunc dignitate, nunc uehementia, nunc alijs formis conſurgit, nunc etiam omnibus. Quapropter de ſingulis eſt eodem modo agendum,

agēdum, ut ſuperius propter claritatem de puritate & aliȷs dictum
eſt. Prima autem fiat maieſtas hæc ſermonis, ſiue dignitas, quã mo- *Dignitas.*
dò σεμνότητα nuncupauimus, à uerbo σέβομαι, id eſt ueneror. Nam
quod in muliere eſt uenuſtas, in uiris dignitas appellatur, pulchrũ
illud & γαυρὸν, honore dignum, reuerẽtiaq́ꝫ. Talis quoqꝫ eſt oratio,
cum de rebus honore dignis cum autoritate quadam tractat, & ſu-
percilio: & opus eſt philoſophi. Sic ſcripti libri Ciceronis de Offi-
ciȷs, de Finibus, & aliȷ philoſophici. Quãquam hic ſuum Platonem
imitatus, dignitatem moribus multum temperauit. At uerò Ari-
ſtoteles omnium certè fuit ſemnotatos. Totus enim in inquirenda
rerum natura occupatur per diuiſiones & definitiones: quod pro-
prium dicitur dignitatis. Hermogenes grauiſsimè uniuerſam di- *Dignitatis materia.*
gnitatis materiam complexus eſt quatuor generibus. In primo po-
ſuit Deum, & naturam: in ſecundo, rerum naturalium actiones, uir
tutes, formas. In tertio, res quę cum Deo uidentur homini eſſe com
munes: ut ſunt ſapientia, uirtus, iuſticia, amor. Quarto inſunt quæ-
dam ſingularia, quæ apud homines magna præclaraq́ꝫ exiſtimãtur:
ut pugna Cannenſis, triumphus Pompeȷ, Capitolium, Senatus, &
ſimilia. Sententiæ itaqꝫ quæ de dȷs proferuntur, ut de dȷs, rarò in
forum ueniunt: quia uix populare eſſe poteſt diſputatio de natura
Dei. ut ſermones Auguſtini de Trinitate, libri Ariſtotelis de Au-
ſcultatione. Nam quatenus inquirunt de tempore, de motu, de æ-
ternitate, uenerãdi quidem ſunt, ſed nullo modo tamẽ politici. Ve-
rùm quæ cum hominum propria ſint, Deo tamen aſcribuntur (id
ἀνθρωποπάθειαν uocamus) ut amores, cõcubitus, concilia, & ſimilia
figmenta poetarum: non ſemna, ſed iucunda ſunt, et poetica, ab ora
tione ciuili eodem pacto aliena. Poſſunt tamẽ fabulæ recitatione fie
ri forenſes: ut illud, Itaqꝫ hoc iudices non ſine cauſa fictis fabulis do «
ctiſsimi homines, &c. & quod prorſus ſemnũ eſt, in priuato nego- «
tio poteſt commoda tractatione uſui eſſe. ut, Eſt profectò illa uis et «
in his corporibus, atqꝫ in hac imbecillitate noſtra ineſt quoddam, «
quod uigeat ac ſentiat: & non ineſt in hoc tanto naturę, tam præcla «
ro motu, niſi fortè idcirco non putãt, quia non apparet, nec cerni- «
tur. proinde quaſi noſtram ipſam mentem, qua ſapimus, qua proui «
demus, qua hæc ipſa agimus, et dicimus uidere, aut planè qualis aut «
ubi ſit ſentire poſsimus. Maximè ergo uenerandæ, quæcunqꝫ de «
Deo aut natura per ſe abſqꝫ ulla anthropopœia efferũtur. ut, Deus
eſt circulus, cuius centrum eſt ubiqꝫ, circunferentia uerò nuſquam. «
Natura eſt principium motus & quietis, in eo in quo eſt per ſe pri- «
mùm, & nõ per accidens. Proximè his quæ de rebus naturalibus, «
& earum ui ac generatione, ut de figura mundi, de motu orbiũ cœ-
leſtium, de ſitu maris, de generatione uentorum, imbrium, fulgu-

rum:de natura plantarum, de hiſtoria animaliũ: de quibus in ſcholis medici diſputant, & alij philoſophi cum dignitate, nunquam apud populum. Inquirunt enim horum cauſas, & demonſtrationes conficiunt:an ſint, quid ſint, qualia ſint, & propter quid ſint. Sed recitatione, ut priora, etiam hæc, populariter tractari nihil prohibet: eorumq́ꝫ exemplis et ſimilitudine omnia referta inuenias. Ex tertio item genere fieri ſolent loci cõmunes: ut, quid iuſticia, quid dolor, quæ natura inuidiæ, in quo ſita eſt hominis felicitas, ac ſimilia: quoties in uniuerſum de his definimus, & per ſe. Eius generis ſunt, quæ de religione & cultu Deorum, de republica, & diſciplinis liberalib. Iam quæ quarti generis ſunt, eorum exẽplis paſsim ornatur oratio: ut præclara geſta uirorum fortium, caſus graues fortunæ, loca magnifica & ædificia, tẽpla, ſeceſſus Apollini & Muſis dicati. Hæc autem omnia non ſolum dignitati præbent materiam, ſed etiam ſplendori, ut poſtea liquebit. Ductus autem axiomaticus (ut græcè di
Ductus. cam) μηδὲν ἐνδοιάσαντας τὸν λόγον προάγειν. Et ſupercilium attollit: quia neq́ꝫ pudet, nec piget, nec omnino non tutum eſt de honeſtis rebus honeſtè loqui. Quare ſi unam ἐπίκρισιν excipias, quæ fit cum autoritate per confirmationem, & ſimilitudinis anticipationem; commorationi tantum inter figuras locus erit. Et huic quidem per apparatum, per periphraſin, per ſynonymiam, per diductionem ſenſus. ut:
» Omnes enim immemorem beneficij oderũt: eamq́ꝫ iniuriam in de-
» terenda liberalitate ſibi etiam fieri: eumq́ꝫ qui facit, communem ho-
» ſtem tenuiorum putant. Hoc eſt quod paucis ſine dignitate dixit
» Mimus: Ingratus unus miſeris omnibus nocet. Item Horatius:

Sæpius uentis agitatur ingens
Pinus, & celſæ grauiore caſu
Decidunt turres, feriuntq́ꝫ ſummos
Fulgura montes.

Hæc quidem dignitatem præſeferunt tam ex ductu, quàm ex rebus: ſed eloquutioni multum detractum eſt, præter alia, ob tenuitatem uocum. Seligentur ideo dictiones amplæ, quæq́ꝫ latioribus literis & robuſtioribus conſtent. Maximè dilatant a & o:

—Labor omnia uincit
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.

Quę cum in ultima ſede penultimaq́ꝫ reperiuntur, tumet mirum in modum & diſtenditur prolatio. ut, Heroas, Lacedæmona. Quòd ſi à robuſtis conſonantibus moueatur, maius etiam quid audies. ut, Orontes, amantes, exorta, parcas. E quoq́ꝫ longum, & diphtongus probãtur: ut, —*Urgens in rebus egeſtas.* Ergo I, & V, procul à fine, ſi fieri poſsit, aberunt: maximè dictionis, qua clauditur ſentẽtia. Dixi autem, anticipationem ſimilitudinis dignitati ſeruire: quare ſi ſequatur,

quatur, non tam ueneranda erit quàm luculenta ſimilitudo rerum
magnarum, exemplum hoc docet: Vt gubernatori curſus ſecũdus,
medico ſalus, imperatori uictoria: ſic moderatori reipublicæ beata
ciuiũ uita propoſita eſt, ut opibus firma, copijs locuples, gloria am-
pla, uirtute honeſta ſit. Sed uerborum compoſitio, & interpretatio-
nis figuræ addiderunt aliquid dignitati ſplendoris. illa uerò ſimili-
tudo ſequẽs, omnino ſplendida: *Vt cum carceribus ſeſe effudere quadrigæ.*
eſt enim appoſita ſimilitudo, tanquã lumen ad illuſtrandũ id quod
uideri poterat obſcurius. at præmiſſa lux, honorẽ præ ſe fert, & re-
uerentiam. Atq; ita ſolo ſitu mutat characterẽ. Tropus recedat me-
diocriter à communi ſenſu: niſi de Deo loquaris, & rebus quorum
nomen nõ licet niſi cum honore aſſumere. ut, *Regnator Olympi.* In his
enim (ut mihi quidem uidetur) audacem eſſe nihil uetat, & ſplen-
didum. Vt de Pindaro, quẽ ſanè putamus ſemnon, Horatius ita lo-
quitur: *Seu per audaces noua dithyrambos Verba deuoluit.* In alijs rebus fa
teor longiores metaphoræ, & audaces, uel aſperitati ſeruiunt: uel ſi
excuſentur, aliud quid efficiunt, quàm dignitatem. Idem eſto iudi-
cium de allegoria (quæ eſt continua metaphora) ut nullo pacto hu
milis aut ſordida deprehendatur: ſed ſancta, honeſta & illuſtris.
Ergo & antiquitas dictionis ueneranda erit magis quàm nouitas, ſi
alterutra opus ſit. Nam prouerbiali ſententiæ philoſophorũ, ut Py
thagoræ, Thaletis, Theognidis, & apud nos Publiani, tales ferè a-
gnoſcantur. Interpretatio autem primùm indicatiui modi, uel in- Interpretatio.
finitiui: cuius ſunt theoremata geometriæ, & ſymbola Pythagoræ:
Ἀλλοιώσεως, quæ omnia commutat in nomina. ut, *Virtus eſt uitij fuga*
(contra quod Horatius dixit, *uitium fugere.*) Quantitas uniuerſalis
atq; axiomatica, quæ in primis dignitati idonea figura eſt. Ergo
àffirmabimus uel negabimus abſq; incertitudine: quoniam addubi
tatio (quam Græci τ̀ἐνδοιασμὸν uocant) ſemper mores habet: certi-
tudo iudicij autoritatem. Quin epicriſes illæ, quæ confirmant ſen-
tentiam, propriæ habentur huius loci. ut, Lex ita iubet, & rectè iu-
bet. Nihil autem perinde ſplendidum, quo in dignitate ſæpe uti-
mur, quàm eſt dictio in nomẽ uerſa, orationéq; multis nominib. com-
poſita, abſq; uerbis. Animæq; magnæ prodigum Paulum. Túq; ex “
tuo edito mõte Latialis ſancte Iupiter. Quocirca pro uerbo amare, “
amorẽ pones: pro currere, curſum: uel in participia reliqua conuer-
tes, uno relicto. Exempla paſsim in carmine dithyrambico. Prono-
men etiam dignius eſt nomine. ut, Ipſe dixit, quàm, Pythagoras di-
xit. Cur autẽ nomina quàm uerba dignitati magis congruant, inde
fieri dicunt, quòd nomen ſubſtantiam, uerbum actionem ſolum ſi-
gnificat: atqui dignior eſt accidente ſubſtantia. Vniuerſales por-
rò ſentẽtiæ omnes axiomaticæ ſunt: ideóq; & propter autoritatem

» uenerandæ.ut,Omnes homines natura ſcire deſiderant. Eædem e-
runt & ſyſtaticæ,non quaſi aliarum ſententiarum appendices. Ex
altero capite interpretationis nihil ferè præter extenſionē accipie-
mus.Primùm quia omne hyperbaton cōfundit:deinde apartiſis di-
ligentiam in interpretando ſenſu docens,minorem fiduciam dicen-
tis arguit:reliqua uel ad delicias ſpectant, uel ad motū. Si plura igi-
tur dicenda erūt,cōtinuatione utêris,quæ per extenſionem fit,non
per ἀπαντήσεις,neq; per ἐπιβολάς.Hippocrates,ὁ βίος βραχὺς,ἡ δὲ
τέχνη μακρὴ.ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς,ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ,ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. Nō
ſuſpēdit quidem ſenſum,ὁ μὲν βίος: ſed abſq; aliarum partium com
matumq́; cura proponit & proſequitur.Quanquam(ut cum tanti,
tamq́; diuini autoris pace loquar)nimis certè extenuauit deiecta
interpretatione,cōciſioneq́; neglecta,rem. Vergilius autem proxi-
mam huic ſententiam,quam longè auguſtiorem fecit:

» *Optima quæq; dies miſeris mortalibus æui*
» *Prima fugit:ſubeunt morbi,triſtisq; ſenectus,*
» *Et labor,& duræ rapit inclementia mortis.*

Si uocem unam demas, quæ ad mores attinet, miſeris mortalibus,
reliqua fiunt σεμνότητα. De conſtructione autem,& coniunctio-
ne,idem hic quod ſuprà in puritate diximus: nimirum ut nulla cu-
ra,nulla affectatio,ſola ſimplicitas,& ſine fuco natura ipſa ſermonis
ueneretur. Quanquam non raró concinnitas ueneranda ultrò,nec
» conquiſita,ſeſe offert.ut,Ad eius non ſalutem modò extinguēdam,
» ſed etiam gloriam per tales uiros infringendam. Reſtat itaq; com-
Cōpoſitio. poſitio:quę qualis eſſe debeat,ex dictis patêre poteſt.omnis namq;
diligentia maior in uerbis quàm in ſenſu reprehenditur. Quare niſi
ſuapte ſponte & natura ſequatur iunctura,coactam & cōquiſitam
nunquam probabimus.Fugiemus tamen exilium uocalium cōcur-
» ſum,& ſyllabarum aſperitatem mediocriter.ut, *Piſcium & ſumma ge-*
» *nus hæſit ulmo.* &,*Mox reficit rates quaſſas.* Ordinem rectū ſequêre:quo-
niam in obliquitate fraudes timentur. Hoc ergo receſsità dignita-
» tis ordine,quod eſt alioqui digniſsimum, Principiò generi animan
» tium omni eſt à natura tributum,ut ſe,uitam, corpusq́; tueatur. At
» contrà autoritatis,maximè illud Hippocratis, Vita breuis,ars uerò
» longa,occaſio præceps,experimentum periculoſum,iudicium diffi
cile. Membra (ut paucis exponam quod ſentio) breuia erunt,&
ἀφοριστικὰ,cum ſententiæ exponentur generales,atq; axiomaticæ : a-
liàs productio membrorū honoratiſsima eſt. Siquidem generales
ſentētię,quo paucioribus uerbis plura demonſtrāt, eo ſunt grauio-
res: & quę cum minimè axiomatica ſint, nec aſpera, tamen epitheto
rum & participiorum magno (ut ita dicam) ſyrmate πομπεύει,etiā
in re tenui uenerationem quandam & honorem merentur. Et Co-
mici

mici quidem in choris Pindarico more uerbis rariſsimis magnā nominum conſequutionem ſectantes, hoc idem pręſtāt cum ſplendore, quod dicimus σεμνότητα. ut in Nubibus Ariſtophanes:

ἀίναοι νεφέλαι,
ἀρθῶμεν φανεραὶ,
δροσερὰν φύσιν ἐυάγητον,
πατρὸς ἀπ' ὠκεανοῦ βαρυαχέος,
ὑψηλῶν ὀρέων κορυφὰς, ἐπὶ
δενδροκόμους ἵνα
τηλεφανεῖς σκοπιὰς ἀφορώμεθα,
καρπούς τ' ἀρδομέναν θ' ἱερὰν χθόνα,
καὶ ποταμῶν ζαθέων κελαδήματα,
καὶ πόντον κελάδοντα βαρύβρομον.

Eadem hæc, ſi tempora metiris ſyllabarum, quis dignitatem deceat numerus docebunt, atque etiam ſplendorem: nempe dactylus, anapæſtus, pæon, & interdum iambus, & ſpondeus, in primiſq; epitritus in ſoluta oratione. Dactylus enim & anapæſtus heroici carminis (quod inter omnia digniſsimum habetur) partes conficiũt: pæon cultui diuino ſacer olim fuit: iambus ideo admiſſus eſt, quòd in longam deſinit, & ſubſiſtere quodā modo facit dictionem. Spondeus uerò ob longitudinē ſyllabę, & tarditatem motus, neſcio quid etiam autoritatis refert, atq; amplitudinis. ut,

Vides ut alta ſtet niue candidum.

Reijcietur ergo trocheus, ob leuitatem: & ionicus, choriambuſq;, propter mollitiē. Hoc enim conſtant Sotadei uerſus illi Ionum, moribus præfractis (ut quidam ſentiunt) idonei. ut,

Tu ne quæſieris (ſcire nefas) quem mihi, quem tibi. &,
Sic fratres Helenæ, lucida ſidera.

Ex pedibus ergo ſimplicibus, tanquam parum generoſi, fugiendi ſunt, pyrrhichius, & trocheus, & amphibrachys, & choreus: & poſt hos interdum iambus. Parum itaq; caſtus ille numerus,

Lydia dic per omnes
Te deos oro, Sybarim cur properes amando.

Tarditas illa ueneratione digna eſt: *Argumētum ingens.* poteſt autem procedere æqualiter numerus, ut quadratæ inſtar aciei pergit ille (luculentior tamen, licet tollat ſupercilium) *Hirtacidæ ante omnes exit locus Hippocoontis.* Reliquas proportiones in hac dicendi grauitate atq; ſupercilio non licet multum progredi. Sed finem cum unico præcepto, eoq; obſeruando imponam. Clauſula (ſeu quam ſuprà dixi κατάληξιν) omnino eligatur firma & cōſtans, non pendula: ſed uti appellant, βεβηκυῖα: dictione nominatiua & longa, & in primis uocali ac ſonora, cum pede aliquo dignitatis. Exemplum poſuit hu

ius formę Plato in oratione Eryximachi. eſt enim ſentẽtioſa, ut uerbum oportet ſubinde audiat. Aſſeuerat ex ſe: membris incedit mediocribus, & ferè æqualibus ſpacijs claudentibus ſenſus. Sed maxima cum dignitate iunctum eſt illud Vergilij comma,

Romanos rerum dominos, gentemq́ togatam.

Eſt enim ſententioſa primùm oratio, & definiens uniuerſaliter: habens plura epitheta abſque uerbis. Vocales hic audis ſonoras: iuncturam nõ omnino mollem, ſed initio ſeueriorem. Symmetria quoque conſiſtit uaria, diuerſis rationibus, in ijſdem uerbis conuenienti. Quæ licet omnes cõcinnę ſint, non tamen molles neq; leues: quia non progrediuntur longius. Melos etiam quàm uarium? ducitur ex acuto, circumflexo et grauibus. nanq; ſyllaba poſterior ſecundæ uocis ob ſequẽtem antitypiam circumflecti coacta eſt. Sequens hemiſtichium lenius delabitur, & proportione æquali, ſed reuertẽte. ut quod ſæpe dictum eſt, finem conſequatur harmonia, et quieſcat.

De aſperitate & uehementia. *Cap. 6.*

PROXIME dignitatẽ ſequitur aſperitas: dura inquam, triſtisq; figura ſermonis, et planè Scythica: cui licet offenſa ſit, magis tamen contraria eſt ſuauitati. Ea re poſſet ad moratum dicendi genus referri. nam contraria ſub uno genere cõtinentur: & habet hæc amarulenti animi atq; irati quendam ſenſum, et mordere moleſtiaq; uidetur auditorem uelle afficere, non delectare. Nec tamen ideo uitium putandum eſt orationis. Poteſt enim in tempore prodeſſe, ſiue deterrere in conſultando uelis, ſiue concitare in iudicijs. Huius autem prima uis in increpando reperta eſt. Quam ob cauſam Hermogenes nullam ei ſententiã certam ſubiecit, ſola methodo fieri exiſtimans, niſi quòd maiores à minoribus reprehendantur: in quo eſt indignatio. ueluti, An uerò iu-
» dices uos ſoli ignoratis? uos hoſpites in hac urbe uerſamini? ueſtrę
» peregrinantur aures? neq; in hoc peruagato rumore uerſant? Atque hanc quidem τραχύτητα, id eſt aſperitatem, alteram uerò σφοδρότητα, id eſt uehementiam nominat. uos autem ijſdem nominib. utemur: licet magis hæc acerbitas, illa aſperitas mihi uideat. ut cum Dido ad Æneam loquit, *Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus autor, Perfide:* aſperè quidem loquit, & agreſtè: cum uerò dixit, *I ſequere Italiam uentis, pete regna per undas:* acerbè. hic autem uehementer, *Quem fugis?* &c. Verùm enimuero ſi rebus magis, quàm uerbis aut tractatione, moueri homines conſueuerunt: non minus profectò amarulentum hoc dicendi genus, & quodam modo ruſticum, ſententia fiet, quàm ductu, & ex rebus quidẽ moleſtis, quibus audiẽdis offendimur, aſperitatis ſententiæ deſumentur. Docet hoc Plato in Sympoſio, ſermonẽ Apollodori aſperum definiens, cum enim ita loqueretur:

retur:Cum alios quoſdam, tum aliorum tum ueſtros diuitum ac lucri ſtudioſorũ ſermones audio, & ipſe ægrè fero, & ueſtri uelut ſociorum miſereor, propterea quòd aliquid facere uos putatis, cum nihil faciatis. Et fortaſſe uos putatis me infelicem eſſe: et arbitror ſanè uos uerum dicere: ego tamen non puto uos,ſed probè ſcio. Sequitur:Semper tui ſimilis es Apollodore. Semper enim et te ipſum & alios accuſas, & uideris mihi penitus omnes miſeros putare, à te ipſo exorſus. Et paulo pòſt:Et unde tandem hoc cognomẽ contraxiſti,ut inſanus appelleris,haud ſcio. In ſermonib. enim ſemper talis es,& in teipſum & in alios aſper es (ἀγριαίνεις) ſolo Socrate excepto. Hæ igitur ſententiæ, contrariæ inueniẽtur ijs,quæ in dignitate enumerauimus. Nam pro deo & ſuperorũ gloria, inferos (ut furias,harpyias,Cerberum,& ſupplicia damnatorum) nominabis pro rebus naturalibus, ea quæ à natura ſunt horrenda,& periculoſa,et fœda: ut terræmotus,tempeſtates,procellas,incendia,uoragines,uenena, truculentas ſæuasq́ beluas,Syrtes,Charybdin,Caucaſum,cœnum,ſordes. Ex tertio genere exiſtũt mors,morbi,mutilationes, egeſtates, infamia, dedecus, deformitas,miſeria, & uitiorũ omne genus: ut libido, auaritia, ebrietas,dementia,furor,obliuio. Ex quarto demum, quæcunq; præclaris facinoribus facta contraria:ut furtum, commiſſum,fuga,defectio, mendacium,temulentia, error,delictum,omne inquam quod pudorem ei afferre debet qui cõmiſit.Singulæ etiam res turpes,aut fœdæ:ut lupanar,cloaca Tyberina.Hæc omnia cum animi acerbitate uſurpata, acerbitatem faciunt. Et ut aſpera eſt oratio,quæ iudices alloquitur liberius:ita uehemens, quę aduerſarium.& acerba quidem,ut,Niſi uerò exiſtima «
tis dementem P.Africanum fuiſſe.Illa uehemens:

Nec tibi diua parens,generis nec Dardanus auctor,
Perfide:ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus,Hyrcanæq; admorunt ubera tygres.

Tractationis uerò in primis (quia non ex uero cõſilio ſumitur) ductus eſſe debet figuratus:figura potiſsimum proſopopœiæ allo- Ductus.
quutio,cum acerbitate.quales increpatio,obiurgatio acerbior, exprobratio,minæ,indignatio,querelæ,& omnis dicẽdi libertas,quę nulla correctione aut mitigatione ſententiæ leniatur. Eſtq; conuicium inter omnia maximè aſperum:quod ego uehementius,quàm aſperius duco.ut,

Diſsimulare etiam ſperaſti perfide tantum
Poſſe nefas?—

Ironia, quæ σαρκασμὸς dicta:hoc ipſo dicta, quòd aſpera & contumelioſa eſt.—*Meq; timoris* *Argue tu Drance:—* Conceſsiones illæ ironicæ,*Neq; te timeo, nec dicta refello: I, ſequere Italiam uentis, pete regna per* «
 undas.

undas. Commorari etiam in indignatione poſſum.ut,
» *Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?*
» *Num lachrymas uictus dedit? aut miſeratus amantem eſt?*
Quancꝫ uehementiã habet ſpiritus hęc oratio. Sed magis decet uaria miſcere,& contraria,longeꝗ remota à ſe inuicē,cum cataphora.
Dictio. Dictio itaqꝫ (ut cõſtat) eliget aſpera: quæ literis rixãtibus cõſtat,&
» malè coeũtibus.ut,Excors,carpſit,perfert,exlex,quid ſtruis? reficit
» rates caſſas.Metaphoræ præterea hunc locũ præcipuè decent,quæ rem transferũt ad rei moleſtæ ſenſum. Veſtræ peregrinãtur aures.
Interpretatio. Interpretationis prima interrogatio iudicum, aſpera eſt:aduerſarij uehemens.ut, In qua tandē urbe hoc homines ſtultiſsimi diſputãt?
» Quid ea quæ tenetis,atqꝫ ueſtra dominante homini furioſo, quod
» ius perpetuæ dominationis habere potuiſſet? Et eſt interrogatio
» rei manifeſtæ:Sunt hæc uera quæ cernitis,an falſis imaginibus delu
» duntur oculi? Aſper eſt,aduerſus eoſdem iudices & Imperatiuus
» modus: Sapite tandem aliquando Quirites: Mandate hęc memo-
» riç iudices. Verba quoqꝫ plura erunt in aſperitate, quàm nomina, quoad fieri poterit:pauca epitheta nominũ:ſermo non uniuerſalis, ſed de ſingulari perſona uideatur: quoniã illud dignitati congruit. Si ergo dicas,Stulti hominis eſt, nõ ꝓſpicere ſenectuti : etiamſi ſententia uteris aſpera, & uerbis quibuſdam, at non figura interpretationis. Idem cenſeo de infinita,quæ uniuerſali æquipollet.ut,Nun
» quis igitur eſt tam demens, qui hoc P. Clodio uiuo contingere po-
» tuiſſe arbitretur? Leuius eſt,quàm ſi dixiſſet,Eſtis ergo tam demen tes? Nec uocabuli reſolutionem facies: quia nuda ſint omnia oportet. Hac eadem ratione nihil eſt exæquandum.exæquatio enim omnis concinitatem præſefert. Neqꝫ extenſio uſui eſſe poteſt.nam qui obiurgant alios,nequeunt omnia exprimere.& in extenſione ſecuritas apparet. Iterationes ergo ex omnib. figuris adiuncti maximè cõueniunt uehementiæ. —*Num lumina flexit? Num lachrymas uictus dedit?*—Quale ergo melos quæratur, notum eſt, certè nullũ, aut unũ Phrygium.Sed coniunctiones, que, ue, ac, ita exulant, propterea quòd paucis & ſeiunctis ſententijs utitur, ut nec aſyndeton, nec polyſyndeton deſiderari opus ſit,niſi in cataphora.hæc enim inſtar procellæ homines deterret, & mutos reddit, maximè qui non ſunt ſoliti accuſari aut reprehendi.ideo Demoſthenes rarius utitur coniunctionibus,quia uehemementiæ ſtudebat: contrà uerò Iſocrates frequenter.& certè uincula ſunt orationis coniunctiones: nec facilè eam moueri ſinunt. Conſequutionis autem,etſi nulla interdum ratio habetur (natura enim aſperior eſt oratio non conſequens) tamen quia proximum uitio eſt quod arte caret, ab uſu nunquã recedemus.
Cõpoſitio. Iam cõpoſitio pura ſequitur,& abſqꝫ magno ſtudio:ordo naturalis,

naturalis,hoc eſt,uſu loquendi tritis, uerbisq́ pleraq́ definiens & claudens:Iunctura difficilis,atq́ inſuauis.ut,
Diſſimulare etiam ſperaſti perfide tantum
Poſſe nefas?—
Quanquam certè uitium exiſtimarim,non uirtutem aſperitatis cacophaton.ut,
Phœbe faue,nouus ingreditur tua templa ſacerdos.
Minus illud eiuſdem poetæ:
Vera manent Thuſcis exta probata uiris.
Membra breuia commaticaq́ erunt, ut demōſtratum eſt ſuperius. Quis enim ferat longa oratione obiurgantem?
Nec tibi diua parens,generis nec Dardanus autor
Perfide.— In proximo quoq́ (—*ſed duris genuit te cautibus horrens Caucaſus*—) epitheta quantum leniunt dictionē ex appoſitione, tantum exaſperant natura literarum. Dura enim atq́ aſpera ſunt, Duris & horrēs:adeò ut ratio una ab altera impediatur,& ſine incommodo aſperitatis uerſum compleant. Alterum quoq́ aſperum planè eſſet,—*Hyrcanæq́ admorunt ubera tigres*: niſi periphraſticôs uerbum diduxiſſet,—*Admorunt ubera*, pro lactarunt. Reliqua quæ ſequuntur,nihil in aſperitatem committunt:
Nam quid diſſimulo? aut quæ me ad maiora reſeruo?
Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?
Aſperum in noſtra, præter multa,illud eſt: Quid uos iudices? quo " tandem animo eritis? Ergo nec numerus ullo modo idem progre- " diatur:Sed pedes incommenſurabiles, atq́ incompoſiti, ut aſpera hæc compoſitio:—*Diſſimulare etiam ſperaſti perfide tantum Poſſe nefas?*—Non facta ſynalœpha, uideas Choriambū, Pæonem, Moloſſum,Dactylum,et Spondeum,& deinde Trocheū cum iambo, quid magis potuit incompoſitum? Clauſula quidem ſæpe eſt monoſyllaba: Inſidiatori & latroni quæ poteſt afferri iniuſta nex? " Frequenter quoque uerbum (uti dixi) hanc occupat:non rarò nomen contumeliæ:—*Cui me moribundam deſeris hoſpes?*—*Generis nec Dardanus autor Perfide.*— Ergo hæc cum ita ſint, nihil à concinnitate æquè abhorrebit,atque aſperitas. De qua quidem ita dictum hactenus: non planè ut in ſuperiorem minor inceſsit, ſed ut toto genere aſpera dici debet oratio, cuius ideæ uim maximè ex compoſitione & onomaſia quærimus. Vbi illud quoque intelligendum,quòd ſi res alioqui ſplendida ornatus cultusq́ uerborū honeſtioris capax, aſperis huius formæ modis inſuauiter exponatur:alia ſpecies extabit,aut potius ſpeciei morbus,quam ariditatem uocant,ut illa: *Ariditas.*
Turnus ut anteuolans tardum præceſſerat agmen,
Viginti lectis equitum comitatus, & urbi

Improui-

Improuiſus adeſt, maculis quem Thracius albis
Portat equus, criſtaq́ tegit galea aurea rubra.

Hic enim neglecta compoſitio totam expoſitionem deijcit ac deſic
cat, & uelut exanguem reddit: quæ diligentius exculta, cum ſplen-
dore ſuauitateq́ potuiſſet delectare. Ab aſperitate igitur ſeparat
Vehementia. Hermogenes (ut dixi) τὴν σφοδρότητα, id eſt uehementiam. Diſcri
men eſt: quòd aſperitate minor perſona maiorem reprehendit (ut
iudicem, auditores) ſed uehemētia minorem maior, & inferiorem:
ut aduerſarium, ſeruum, filium, & ſimiles, quorum uitia non eſt mo
» leſtum iudicibus audire, ut contumelia: Quid facies, cum in bona
» tua inuaſero? hoc eſt, cum te docuero nō maledicere? Quare & no
mina audacius nō ſolùm transfert, ſed etiam componit. Non timet
enim offendere. ut, Semiuſtulatus, cœnum, lutum, ſordes. Deinde
quemadmodum in aſperitate imperatiuo utimur, & interrogatio-
ne: ſic in uehementia ſemper apoſtrophe ad perſonam, uel demon-
ſtratione obiurgamus, increpamus, reprehendimus, uel ridemus,
uel minis etiam & conuicijs utimur cum acerbitate. Demonſtratio
fit per pronomina hic, hæc: & hæc fecit: & per aduerbia. ut, Ecce ti-
bi alter. Interrogatio autem & iuſsio, nunquā ſine apoſtrophe ad
» perſonam ſunt. Crudelitatis tu furcifer Senatum, tu Conſul in con-
» cione condemnas? Tota in Piſonem oratio uehemens eſt, & infen-
» ſa, & aſpera. O' tenebræ, ó lutum, ó ſordes, ó paterni generis oblite,
» materni uix memor: ita neſcio quid iſtud factū humile, demiſſum,
» ſordidum, inferius eſt etiam quàm ut Mediolanenſi præcone auo
» tuo dignū eſſe uideatur. Item: Hic te ille homo digniſsimis tuis lau-
dibus collaudauit. Deſcriptiones ſeu hypotypoſes rerum turpiū
ſic in uehementia reperiuntur, ut in dignitate rerum illuſtrium: ſed
ea quidem cum demonſtratione, aut apoſtrophe. Eſt enim erecta
forma hæc, & ardens, & (ut dixi) infenſa: eaq́ de cauſa etiam non-
» nihil morata. ut in Piſonem: Non enim nos color iſte ſeruilis, nō pi
» loſæ genæ, non dentes putridi deceperunt: oculi, ſupercilia, frons,
» uultus deniq́ totus, qui ſermo quidam mentis tacitus eſt, hic in er-
» rorem homines impulit: hic eos quibus eras ignotus, decepit, feſel-
» lit, in errorē induxit: pauci iſta tua lutulenta uitia noueramus. Cæ-
tera igitur ab aſperitate accipies. Et mea quidem ſententia, ſi utran-
que conſideres, aſperitatem & uehementiam: non aliud dices uehe
mentiam, quàm aſperiorē quandam obiurgationem, aut uehemen
tiorem aſperitatem. Nam quę magno cum ardore atq́ audacia hæc
facit, eadem mitius, & cum ſignificatione quadam reuerentiæ facit
aſperitas, niſi quòd membris fortaſſe utitur integris, perq́ articu-
los diuiſis: & ſpiritum intendit ſæpius; & mutata figura eiuſdem
ardet: ubi aſperitas cōmatica eſt, et magis interciſa, atq́ incōpoſita.

De

De Splendore. Cap. 7.

INTER magnitudinis formas ampliſsima uidetur, frequentiſsimaq́ꝫ, ſplendor: præſertim in exornādo. Nam Splendor. & rebus honeſtis, & membrorum longitudine ſibi placet: & abundare uerbis gaudet, cum laudare quippiam atq; honeſtare incepit. Eſt autem neceſſaria hæc, ne propter dignitatem & aſperitatem in horridam atque aridam, quam ſuprà monſtraui, degeneret oratio. Nam niſi terſum aliquid appareat, & magnificum, quo auditor recreari reficiq́ꝫ, & quodam modo frontem exporrigere poſsit: fiet proculdubio horrida atque inſuauis omnis dignitas, & planè auſtera. Splendore enim audiendo animus dilatatur: & tanquam munere accepto aliquo magnifico, delectatur & reficitur: & quæ audit, ſua quodam modo eſſe arbitratur. Non cupit autem ſplendor eam diligentiam, quę ſuauitatem ſolam quęrit: (hoc eñ humile eſt, & leue: quales figuræ cōcinnitatis, ſimiliter cadentium, atq; deſinẽtium) aliud maius eſt quod debetur. Nam niſi cum dignitate fulgeat, procul ſit à magnificentia character. Hac de cauſa dialogiſmus, et quæ primas in gorgotete habẽt, omniſq; contentio, quæq; dictionem comminuunt omnia, hinc faceſſant neceſſe eſt. Has ergo anguſtias ut effugiat, ſeſe ſplendor in ἐκφράσεις, id eſt expoſitiones perſonæ & circunſtantiarum eius effundens, amplificationes cum apparatu omnis generis expandet. Paſsim huius exempla inuenias in encomijs, & hiſtoria. Eſt nanq; hiſtoria ex omnibus uirtutibus potiſsimum illuſtris & ſplendida: quanquam neque ab alijs abhorret. Ex oratione pro Cornelio Balbo cùm multa potes colligere, tum etiam illud: Duris enim quondam temporib. «
reipub. noſtræ, cum præpotens terra mariq; Carthago, nixa duab. «
Hiſpanijs, huic imperio immineret, cū duo fulmina noſtri Imperij «
ſubitò in Hiſpania Cn. & P. Scipiones extincti occidiſſent: L. Mar- «
tius primipili centurio cum Gaditanis fœdus iciſſe dicitur. Quod «
cum magis fide illius populi, iuſticia ueſtra, uetuſtate denique ipſa, «
quàm aliquo publico uinculo religionis teneretur: ſapientes homi- «
nes, & publici iuris periti Gaditani M. Lepido, Q. Catulo Coſs. à «
Senatu de fœdere poſtulauerunt, &c. Ex Vergilio etiam ſumatur: «

Fortè ſacer Cybele Chloreus, olimq́ ſacerdos,
Inſignis longè Phrygijs fulgebat in armis,
Spumantemq́ agitabat equum: quem pellis ahenis
In plumam ſquamis, auroq́ inſerta tegebat.
Ipſe peregrina ferrugine clarus, & oſtro,
Spicula torquebat Lycio Cortynia cornu,
Pictus acu tunicas & barbara tegmina crurum.

Itaq; ſententiæ ſplendoris ex rebus ſumentur precioſis natura uel æſtima-

æſtimatione:ut Luce,auro,gemmis. Ouidius:

Regia Solis erat ſublimibus alta columnis,
Clara micante auro,flammasq́ imitante Pyropo.
Cuius ebur nitidum faſtigia ſumma tegebat.

Deniq; omnibus dignitatis,maximè uerò quarti generis.Sunt hæc præclara facinora,& illuſtria:quibus dicendis & orator,quaſi conſcius,nihil dubitãdo ſibi placet:& audiẽdis iudices,quia grata ſunt, exhilarantur,frontem'q; (ut dixi) exporrrigunt.Eſt'q; huius ideæ illa pulchritudo auribus tanquã arridens,quam Græci magna ſignificandi ui appellant φαιδρότητα:Ariſtoteles quodam in loco ſignificantius idem dixit ἐνόφθαλμον ἀκοῦσαι. Ammiano Marcellino familiaris ſtylus & affectatus nimium fuit.Hic lib.15.de lacu Conſtantio ſic loquit̃:Hanc ergo paludẽ ſpumoſis ſtrependo uorticibus amnis

Marcellini Ammiani locus.

» irrumpens,& undarum quietem permeans, pigram mediam uelut
» finali interſecat libramento:& tanquam elementum perenni diſcor
» dia ſeparatum,nec aucto nec imminuto agmine,quod intulit uoca-
» bulo,& uiribus abſoluitur integris,nec cõtagia deinde ulla perpe-
» tiens oceani gurgitibus intimatur.

Quæ autẽ præclarè geſsit orator,illa nitorem,& terſum neſcio quid in dicentis uultu præſeferũt. ut, *Et nos aliquod nomenq́ decusq́ Geſsimus.*— Quæ uerò auditores: illa nota cum ſint,& grata,& dicentis uultum ſerenant,& auditorũ mentem quaſi emiſſo fulgore alliciunt. Ea de cauſa Cicero frequẽs adeò eſt in exemplis Romanę hiſtoriæ.Siquidem exempla, ſimilitudines,comparationes,deſcriptiones'q; perſonarum,locorũ & temporum,hæc argumenta materiam'q; præbent ad ornatum. ut,Pro

» Balbo:Quorum mœnia,delubra,agros, ut ipſe Hercules itinerum
» ac laborum ſuorum, ſic maiores noſtri Imperĳ ac nominis populi
» Ro.terminos eſſe uoluerunt.Teſtantur & mortuos noſtros Impe-
» ratores,quorũ uiuit immortalis memoria & gloria,Scipiones,Bru
» tos,Horatios,Caſsios,Metellos,et hunc præſentem Cn.Pompeiũ,
» quem procul ab eorum mœnibus acre àc magnum bellum gerentem commeatu pecunia'q; iuuerunt.

Ductus

Ductus autem fiet nonnihil obliquus,& πολυγόμφος: non quidem quia tutum non ſit aut honeſtum rectè ducere,ſed quia puritas ſine ornatu fit, & in ſplendore delectatio petitur. Ideo inflectenda eſt oratio, concipiendum'q; negotium cum circumſtantĳs:ne quod amplum illuſtre'q; eſſe uolumus,in tenue genus atq; humile deducamus.Nec ſolum commorationes per apparatum,& præcipuè epitheti (quæ propria ſplendoris eſt) ſed etiam cataſtaticas occupationcs inquiremus. Apparatus autem hic non perſonæ modò ἀφήγησιν,ſed & rei qualitatem & quantitatem referet.Inſtaurationis,quam dixi κατάστασιν, exempla ſunt,ubicunq; principiũ aliquod introducitur ſermonis. Quatuor

ſunt

ſunt prouinciæ P.C. de quibus adhuc intelligo ſentẽtias eſſe dictas. "
Et unũ genus eſt aduerſum infeſtum'q; nobis. Sequitur illud quod "
à Milonis inimicis ſæpiſsimè dicitur. Cæterùm omnes huiuſmodi inſtaurationes, quæ rectè inducuntur, puræ ſunt potius, aut elegantes, quàm ſplendidæ: ſplendorem autem accipiẽt, ſi ſtatim inflectantur: & ſenſus uel caſus obliquitate, uel alia figura, longius protendatur, & finem expectet. Vt ex Ammiani exemplo ſi coniunctionem Ergò, auferas, obliqua fiet introductio: Hanc paludem ſpumoſis, &c. Cataſtaſi contraria etiam ſyſtaſis, quando ſeiuncta eſt, & per apoſtaſin inducitur, huic formę conueniet. ut, Singularis illa huic uni "
conceſſa gloria, quæ quotidie augebatur frangendis furoribus Clo "
dianis. Facit enim abſceſſus, ut ſyſtaſis ſimilis fiat cataſtaſi. Ex proſopopœia quoq; & ironia poteſt aliquid deſumi. ex hac quidẽ hyperbole. ut, *Illa uel intactæ ſegetis per ſumma uolaret*: ex illa imago & hypotypoſis, Quadriremẽ quam in ſalo fluctuantem reliquit. &, Theſſalo- "
nicenſes poſiti in gremio imperij noſtri. Omnis ſiquidem euidentia "
illuſtris eſt, ſi ſit rei honeſtæ. Atq; hæc quidem methodus. Dictio Dictio.
aũt eadẽ quę dignitatis: nempe ampla, et ſonora, et omnino biſsina.

Cæruleos habet unda deos, Tritona canorum,
Proteaq́; ambiguum, balenarumq́; prementem
Aegæona, ſuis immania terga lacertis:
Doridaq́; & natas: quarum pars nare uidetur,
Pars in mole ſedens uirides ſiccare capillos.

Mediocriter etiam tranſlata. ut, Trophæis munita. Tota autem Interpretatio.
interpretatio (ut uerbis utar magiſtri) ἰνειδὴς: hoc eſt, non ſolùm pulchra, ſed aperta, expreſſa, &, (ut ita dicam) ingenua, liberalis, & probæ indolis. Talis eſt primùm quæ palàm enunciat, ſine hæſitatione aut timore ullo. Agatho apud Platonem, cuius eſt oratio illuſtris: Proinde aſſero ego, cum dij omnes beati ſint, amorem (ſi fas eſt dicere, & abſit inuidia uerbo) beatiſsimũ omniũ eſſe: ut qui inter ipſos ſit pulcherrimus. & quæ uerba in nomina commutat, & participia. ut, Quem omnes homines ſequi decet pulchrè accinentes, & pulchra cantilena participantes: quam canit ille omniũ deorum atq; hominum mentes demulcens. &, *Animaq́; magnæ Prodigum Paulum.* & totum hoc, *Cæruleos habet unda deos*, &c. Facit enim ea mutatio, ut membrum longius naſcatur abſque coniunctione. Sed deſtituti multorum temporum participijs Latini, penuriam diligẽtia reſarciunt: ſubductisq; ex uerbo nominibus, et ex his factis aliquando aduerbijs, ut uictoria, uictrices aquilas, audax, audacia, audacter, & ſimiliter declinatis poſſunt hoc præſtare, ut periodus producatur. Eòdem ſpectat epithetum, quia participium omne adiectiuum eſt: Carthago nixa duabus Hiſpanijs. Cæterùm quanquã

P uicinus

uicinus eſt dignitati ſplendor, nunquam tamen uniuerſaliter pronunciat, ſicut illa: niſi quod uniuerſale eſt, in parte dictũ uideatur. ut, Omnis exercitus ille hoſtium. Ex duplici autem oratione illam ſeligemus, in qua per ἀντίθεσιν partes opponuntur (ut, Non turribus, ſed trophæis) & augentur (ut, Non ſolùm barbarorum incurſionibus ſit infeſta, ſed etiam caſtris Thraecǫs diſtincta). Relatio etiam & hyperthesis idonea eſt propter ἀφήγησιν & membri productionem. ut, Via illa noſtra, quæ per Macedoniam eſt. Non item frequẽtatio, nec hyperbaton, quod eſt cum interpoſitione. Exaſperat enim frequẽtatio, & ardet ſpiritu: hæc nitorẽ amittit auerſione. Nihil autem æquè contrarium ſplendori, atque genus eſt commaticum, & dialecticum. Si igitur poteſt uerbi iteratio ſine contentione fieri, nihil obſtat quo minus in ſplẽdore miſceatur. ut,—*Pulcherrimus Aſtur, Aſtur equo fidens.*— Conſtructio Latina erit: ne aut uitium incurrat, quaſi præ inſcitia: aut in re graui affectata, imitatione leuis fiat. Coniunctionis autem ea ratio habeatur, ut nihil magis deceat, quàm ſine coniunctione rectum productumque membrum, atque apoſtaſis. Sed ſi copulatiuis eſt utendum, quoties epitheta ad eandem rem expoſitionemque ſenſus pertinebunt, uſurpentur, que, & ue. Neque enim alibi admittũtur hæ à Latinis: & ab aſperitate exulare, iam ſuprà dictum eſt. Supereſt ergo compoſitio, in qua primum locum damus ordini obliquo. neque enim poſſet aliter membrum magnopere produci, niſi obliquitate atque hyperthesi. Supra modum autem illuſtris uidetur & magnifica ſeparatio adiũcti, quæ cum traiectione eſt. ut, Spumoſis ſtrependo uorticibus. Iunctura deinde, quæ et dignitatis, aut certè mollior. nam grauiſsimi quique, auſteri etiam nonnihil eſſe uoluerunt. Quare licet in exemplo Ammiani dictiones quidem ſplendidæ inuentæ ſint, at non planè compoſitio. ut, Spumoſis ſtrependo. Membrum ſæpe longum præcepi, coniunctionibus, ſi fieri poteſt, indiſtinctum: quo ſenſus quàm longiſsimè traijciãtur. Melos Dorium aut Æoliũ: quale illud eſſet, niſi iunctura ſplendori officeret.

Cōpoſitio.

O Latonia maximi
Magna progenies Iouis,
Quam mater prope Deliam
Depoſuit oliuam,
Montium domina, aut ſores
Syluarumque uirentium.

Sed Pindari æmulator Flaccus, non magnopere timuit auſteram compoſitionem. In alio læuior iunctura, ſed tonus Lydius mollior eſt quàm ſplẽdidior. *Quem Deum? cuius recinet iocoſa Nomen imago. Aut in umbroſis Heliconis oris*, &c. Vnde uocalem temerè inſequutæ *Orphea*

phea ſylua. Illud quoque ſplenderet omnino, ſi uerbum imperatiui modi in indicantē uerteretur. ἀέναοι νεφέλαι ἀρθῶμεν φανεραί. Numerum ergo ſectabimur dactylicum: eum uerò qui dignitati cōueniat, maximè in fine. Nam in medio trocheus aptè incedit: ut, Sed tro- „
phæis, quę multis uictorijs erat iam diu triumphisq́ pacata. Itaque "
metra ſic uariantur, ut multæ ſyllabæ paucis accētibus comprehendantur. *Panditur interea domus omnipotentis Olympi.* eſt enim dactylicus uerſus cum multis ſyllabis, & accentibus tantum quatuor acutis. Quòd ſi pro ratione temporū accentus reſpondiſſent, potius eſſet celer aut pulchra, quàm ſplendida. Concinnitatis demum compar (quod diximus) illuſtre eſt: quia non ſemper exæquata illa, qua paria paribus redduntur, probari poteſt: ſed quę in progreſsione quantitatum cernitur, aut in obſcura aliqua ratione. Fucum nanque illa, non ueram pulchritudinē continet: hæc perfuſum ueluti ruborem, & perfectam ſymmetriam, quam oſculari magis decet, quàm agnoſcere. Ad ſplendorem igitur aſſumuntur res cum dignitate geſtæ: res inquam, quibus nomen noſtrum illuſtrari celebrariq́ mereatur. Eædem cùm membris longis continuisq́, tum dictionibus ſonoris & ſuauibus explicatæ, cumq́ interpretatione aperta, & (uti diximus) ἐναργεῖ: quam qui inepte affectant, in tumorem incidunt, & uitium affectatæ ac ſine ſenſu eloquentiæ. Quamobrem contraria huic ex altera parte erit ieiuna & ſqualida forma: ut quæ in rerum ſumma luce, uerborum horrore atq́ ſeueritate utitur. Exemplum iam poſui, rurſumq́ aliud hoc expendatur ex eodem:

Ut fera, quæ denſa uenantum ſepta corona,
Contra tela furit: ſeſeq́ haud neſcia morti
Inijcit, & ſaltu ſupra uenabula fertur.

Et quidē locus hic idoneus mihi uidetur, ubi mentem doctrināq́ Halicarnaſei exponam, & paucis repetam. Non enim minimi eſt apud me ponderis, licet magna nō uideatur elucubratio: quod uſus docebit. Duas hic formas fecit, auſteram, et politam: ex quibus media conſiſtit, omniū præſtantiſsima. Terſa eſt, floridaq́ (quam uocat γλαφυρὰν) in qua nomina non apparent per ſe ipſa, ſed alijs hærent in ſtructura & prolatione, ita ut uno ſpiritu continuationem ſequantur. Hæc neq́ ſolida firmaq́ baſi ſubſiſtunt, nec longa tempora metiuntur in medio. Tarditatem enim uel unam odit, & firmitatem. Moueri autem nomina, & ferri, aliaq́ ab alijs tanquam uehi, & coagmētationem totam fluere, nec interquieſcere opus eſt. Id autem facilè cōſequimur, nullo inter uerba medio tempore ſenſibili. nam toties quieſcitur, quoties uerba ſeparantur. Separatio autem in primis apparet in dictionibus diſſyllabis. ut, arma, tela, equi, uiri, hoſtes atq́ ciues permixti. In triſyllabis quoq́ ſeparatio fiet, dictio-

Halicarnaſei de figuris ſententia.

nibus habẽtibus uel accẽtum, uel quantitatem eandem. Hic autem, Auratus aries Colchorũ: uel hic, *Croceo uelamen acantho:* tam quãtitas uaria, quàm uocalium ſonus, ſplendorẽ emiſere. Nomina ſint ergo ſonora, læuia, mollia, & uirgineum præſeferentia uultum. ut, *Ceruleos habet unda Deos, Tritona canorũ,* &c. Abſit autem ſyllabæ aſperitas atq; antitypia. Membra fient æqualia, & periodi: numerus non longiſsimus, ſed mediocris, potiusq; breuis quàm tardus. Baſes periodorum deniq; firmæ, & quaſi ad perpendiculum librantes antitheta. Hæc ſententia Dionyſij. Refert autem huius generis autores, inter epopœos quidem Heſiodum: inter melopœos, Sappho: inter tragicos, Euripidẽ: inter hiſtoricos, Theopompũ: inter rhetoras, Iſocratẽ. Ex his profectò liquet, quæ ſit auſtera grauisq; oratio: nimirum quæ firmat & ſiſtit nomina, ita ut per ſe quodq; uideat, nec alteri adhæreat. Dirimit enim ſpacia temporibus ſenſibilibus, ob iuncturæ renitentiam atq; aſperitatem. Huc nomina quærũtur ampla & magna, longæ ſyllabæ. Numerus autem in membris axiomaticus & magnificus: quæ tamen nec æqualia ſint, nec ſimilia, neque cõſequutionis habentia quoſdam ueluti tibicines & fulcra: uerùm generoſa, ſimplicia, & libera: ut magis natura quàm arte, & ex paſſione motuq; magis animi, quàm ex morib. profecta uideatur. Periodi in hac ſenſus nõ exæquabunt: nec nomina apponent, ut fiant circuli. Sed uarij metaſchematiſmi erunt, paucę coniunctiones, nulli articuli, uel certè pauci: neglecta cõſequutio, hoc eſt nõ terſa, cum ornatu ueteri & ſupino. Auſterũ hunc characterẽ exhibent, in morata (inquit) philoſophia Colophonius, Antimachus, & Empedocles: in melopœia, Pindarus: in tragœdia, Æſchylus: in hiſtoria, Thucydides: in politicis, Antiphon. Mediũ ergo (quẽ dixi ex duobus fieri) tenuit Homerus: & in melopœia Steſichorus et Alcæon: in tragœdia, Sophocles: in hiſtoria, Herodotus: in politicis Demoſthenes: & in philoſophia, Democritus, Plato, & Ariſtoteles.

De acme, id eſt ſublimitate, ſeu uigore & magnificentia. Cap. 8.

PROPOSITA ergo ſolum nobis illa ratione, ad exactiorem inueſtigationem ſuſcepti argumẽti pergendum eſt. Et quidem præter ea quæ diximus ut ſpecies politica orationis optatam perfectionem conſequatur, ſupereſt ut uires etiã habeat, atq; incremẽtum quale in integra ætate uiris atq; adulta contemplamur. Græci perfectionem hanc quibuſcunque in rebus ponunt, quarum nota ſunt incrementa & decremẽta, atq; ſtatus: & medici, cum morbus ad ſummum peruenit, nec amplius poteſt incrudeſcere, ſtatum illũ nominant ἀκμὴν: nos (ſi placet) à uerbo uigeo, uigorem appellabimus, & in oratione hoc loco ſublimitatem, cum aſperitas & uehementia unà cum ſplendore concurrunt.

ἀκμή. *Vigor.* *Sublimitas.*

Dixerunt

Dixerunt hanc formam nonnulli auſteritatem, quam grandiloqui omnes tenuere: ut Pindarus, Lycophron, Ennius, & in multis argumentis Horatius. nec difficilis eſt inuentu. Quid enim frequentius, quàm ſenſus aſperi, læuore, cataſtaſi, atque extenſione: uel contrà iucundi aſperitate tractati? Et cæteras quidē tempeſtates in illis duntaxat fluctibus concionum ſemper putaui Miloni eſſe ſubeundas, quòd ſemper pro bonis contra improbos ſenſerat: & quæ ſequuntur. Græcum exemplū quod profert Hermogenes, hoc eſt: νόσημα γὰρ ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι δεινὸν ἐμπέπλωκεν εἰς τὴν ἑλλάδα, καὶ χαλεπὸν, καὶ πολλῆς τινὸς εὐτυχίας καὶ τῆς παρ' ὑμῶν ἐπιμελείας δεόμενον. Et Hermogenis quidē mens eſt, ut non ſolum ex aſperitate & uehementia fiat uigor: ſed ex uigore & ſplendore mixtum quippiam aliud. ut, μέχρι τούτου λασθένης φίλος ὠνομάζετο φιλίππου, ἕως προὔδωκεν ὄλυνθον· μέχρι τούτου τιμόλαος, ἕως ἀπώλεσε θήβας. Et illud ex eodem: ἀλλ' ὁ τὴν εὔβοιαν σφετεριζόμενος, καὶ κατασκευάζων ἐπιτείχισμα ἐπὶ τὴν ἀττικήν. Verùm ſi rem penitus inſpicias, quomodocunque duæ illæ uirtutes coiuerint, uigere dictionem putabis. Etſi hoc intereſſe cēſeo: quòd magis hæc dicenda aſpera quàm nitida, alia magis terſa quàm ardens. Et uigor huius, μέχρι τούτου λασθένης, magis mihi ſplendet, quàm ardet, & magnifica dicitur. Nam quamuis uehemētiam faciat oratio in perſonam tenſa, & compoſitio tota ſplendoris ſit: tamen quoniā certa ſententia eſt, & ab oratore tanquam certo nec hæſitante inducta (quod proprium fuit ſplendoris) & ad eum plura conuenerint quàm ad aſperitatem aut uehementiam: uigere eam magis dicemus cum ſplendore, quàm cum uehemētia. Idem iudicium de illa, ἀγῶναι νεφέλαι ἀρθεῖσαι φανεραί: ubi omnia ſplendent præter unā apoſtrophen, alienam tamen à uehementia & ſplendore; ſed cum iucunda ſit, magis cum ſplendore uiget, quàm cum dignitate. Atque in hunc quidem modum de cæteris iudicato. In Miloniana igitur uix pauca ea de re inuenias merè ſplendida. Statim enim cōſurgunt omnia in ἀκμήν: quia cauſa eſt iudicialis, & ſtatus relatio. Ergo utcunque hæc miſceantur, ſiue res aſperæ cum tractatione læui, ſeu res certæ cum tractatione aſpera, ſeu res aſperæ cum rebus nitidis (ut procellæ & fluctus concionum, cum iudicio & concilio ampliſsimorū uirorum) ſiue increpationes & apoſtrophæ cum cataſtaſi & apparatu: ſiue dictio eadem ſonora per metaphoram uſurpetur (ut procellas & fluctus concionū) ſiue interrogatio & iuſſum cum ἀλλοιώσει fiant, & productione membri (ut, Potuit'ne ciue egregio & uiro fortiſsimo P. Seſtio collega ſuo uulnerato?) ſiue remotio cū frequentatione. (ut, Non periculum nobis denúnciant, ſed præſidiū: neque ſolum ut quieto, ſed ut magno animo ſimus hortantur) & mutatio figurarum ſpiritus (quam ſuprà quoque acmen appellaui) om-

nia hæc uires uigoremq́ꝫ oſtendunt. Coniunctio etiam, Et in ſententia ſeparat, neſcio quid inſurgit. ut, Et cæteras quidem tempeſtates. Compoſitio denique multis modis uariabit̃, pro re ipſa, fientq́ꝫ ordo rectus & obliquus, iunctura aſpera & læuis, membrum longum cum articulis & commatibus: numerus partim aſper, partim
» ſuauis, ſed in primis auctus. ut, Quamobrem illa arma, cẽturiones,
» cohortes, non periculum nobis denunciant, ſed præſidium. Quod ſi hęc ſingula poſſunt ſimul eſſe, quanto magis ductus unius cum dictione alterius? & dictio cum interpretatione & membro? Nihil ergo opus pluribus. Hoc unum ſufficiat, uigorem atqꝫ incrementum orationis tunc apertè nobis effundi, cum aſperitas, ſeu etiã uehementia, cum ſplendore concurrunt. Non ſic tamen puritas & elegantia ad claritatis ideam conueniunt. Poteſt nanqꝫ harũ alterutra, nempe puritate ſola, uel elegantia ſola fieri claritas: non autẽ ſublimitas abſqꝫ duabus. Dixi numerum in primis auctum eſſe debere: quia uel ſola hæc ratio magnificẽtiam oſtendit. Exemplis declaret̃.

—Omnia circum
Incipiunt agitata tumeſcere, & arduus altis
Montibus audiri fragor, ac reſonantia longè
Littora miſceri, & nemorum increbreſcere murmur.

Aucta hic eſt proportio gradatim, ſi aduertis: unum ad unum, unũ ad duo, duo ad tria, & quatuor ad tria. Item illud magis lætum atqꝫ ſplendidum: *An Deus immenſi uenias maris, & tua nautæ Numina ſola colant.*—ita progreditur unum, duo, tria: iterum, tria, duo: & rurſum unum, duo, tria (ob diphtongum au) & deniqꝫ ut quieſcat, tria ad duo: quæ quantitate inuerſa ab alĳs duobus excipiuntur.

De Circunductione & plenitudine. Cap. 9.

SVPEREST ex ĳs quæ magnitudinem faciunt, περιβολή: cui quidem dari primas hoc loco oporteret, niſi pondus ſententiarum quàm tumorem uerborum atqꝫ ſtrepitum magis probaremus. Nam quòd pleriqꝫ ita affecti ſunt, ut nihil amplè abundeq́ꝫ dictum putent, niſi circunductum, imperitię eſt, non recti iudicĳ. In re tamen tenui nõnunquam decet circuire: modò ne leuis ſit atqꝫ inanis, ubi grauitas deſideratur. Quare & de hac licet multa ab Hermogene dicta ſint, omnia tamen paucis, ſi licet complectemur. Circunductionem ergo dictiones illę declarãt:
Circunductio. in primis, quas Græci uocant ἐφελκυσμένας. ut ſunt, quæ diſtinctiones, partitiones, exæquationes, hypſtaſin, hypootheſin, ſubcõtinuationem, & ſimiles figuras conficiunt. Sic occupationes circunducunt, & longè ſenſum efferunt: & anaſtrophe, quatenus occupat: et hypertheſis, quatenus aliò deflectit. Obliquat autem & participiũ. & exordia quidem pleraqꝫ hoc genere producta ſunt. Sed pleniſſi

mæ

mę circunductionis ponamus exemplũ ex noſtra Miloniana. Nam ſi unquam de bonis & fortibus uiris, ſi unquam de bonis ciuib. po- “
teſtas uobis iudicandi fuit: ſi denique unquam locus ampliſsimo- “
rum ordinũ delectis uiris datus eſt, ubi ſua ſtudia erga fortes & bo “
nos ciues, quę uultu & uerbis ſæpe ſignificant, re & ſententijs decla “
rarent: hoc profectò tempore eam poteſtatẽ omnem uos habetis, “
ut ſtatuatis, utrum nos, qui ſemper ueſtrę autoritati dediti fuimus, “
ſemper miſeri lugeamus: an tandiu uexari à perditiſsimis ciuibus, “
aliquando per uos ac ueſtram fidem, uirtutem, ſapientiamq́ recree “
mur. Hic clauſulam, ut liquet, quàm longiſsimè produxit, ſenſumq́ multis ambagib. circuiuit bonus orator, & in una ſentẽtia diu commoratus eſt. Vergilius plenè illud etiam conſequutus eſt:

Sed ſi tantus amor caſus cognoſcere noſtros,
Et breuiter Troiæ ſupremum audire laborem,
Quanquam animus meminiſſe horret, luctuq́ refugit,
Incipiam.— Ergo dictionibus ἐφελκομένοις in primis conſtat peribole, modò ſenſum longius producãt: nam ſi ſubſiſtet breuius, fiet γοργότης, de qua mox dicetur. Epembole etiam circũducit: ſed magis replet, quàm ambit: ideoq́ plenitudinem facere eam cenſemus. Eſt enim plenitudo, ſententiarum multitudo: quam in exemplo auxit iniectio illa, *Quanquam animus meminiſſe horret.* Quamobrem ſi merismus meriſmo, aut hypoſtaſis hypoſtaſi, & aliæ ſimiles ſimilibus figuris cõiungantur, non tam circunductio, quàm μεστότης, id eſt plenitudo appellabitur. nihilq́ aliud eſt plenitudo, quàm plena circũductio, aut circunducta rerum multitudo, aut certè comprehenſæ circunductiones. Huius ſentẽtiæ certam rem nullam habent: quoniam in tractatione tantum cernitur. Ductu utimur figurato, quãtum obliquat ſenſum, aut multa ſimul intelligi & cõprehendi facit. Figura igitur ducemus ſententiam occupatione, ut cum rationes ante propoſitionẽ ita collocanť, ut quæ priora ſunt, cogaris poſteà inducere. ueluti cauſam ante conſiliũ. ut, Videns hæc & hæc, legem tuli: & omnis πλοκηςτάληψις ſiue fiat per capita generalia ad fidem, ſiue ad remedium (modò iuncta ſit cum propoſito) circũducit: & Apoſtrophe ad aliam ſententiam inſerta negotio. Commoratio autem pleniſsima eſt, ideo & circũducit, quoties in una ſententia non ſubſiſtitur, ſed plura trahuntur ſimul. hac de cauſa ad definitionem adhibentur cum definitis iunctæ, adiectiua cum ſubſtantiuis, genera cum formis, totum cum parte, infinitũ cum finito: ad hæc, & congeries, & enumeratio. præterea, ut genus formę, et totum parti iungitur, ſic & contraria & ſimilia & comparata: & rei qualitatem ſi in unam periodum cõducas, facies omnino ſpeciem hanc, quam dixi, peribolen, Quin & iudicia, quæ diximus ἐπικρίσεις: ut, Quod Sena-

Plenitudo.

tus iudicauit. Omiſſum denique.ut,Cum hoc & hoc facere potuiſ-ſet:& quod poterat accidiſſe, ſi hoc aut illud feciſſet. Omnia autem hæc commoratio ſuppeditabit. Atq; his quidem figuris conformatæ ſententiæ conquirentur: quòd in ſenſus quodam ambitu conſiſtunt.nec tamen ſufficiunt,niſi membris dilatentur.ſecus enim (ut dixi) nō πολυβολίω,ſed γοργότητα procreabūt.Quid enim celerius, quàm paucis multa complecti? Ergo ut ad cætera pergamus, di-

Dictio. ctionem hic nullam præcipio, niſi fortè mutatam per periphraſin & metonymiam. Nulla ènim comprehēſio uno uerbo fieri dicitur propriè:poteſt tamen per metonymiam ad multa transferri cogitatio.ut, *Bibit calcatā bellis ſocialibus uuam.* item: *Vagináq; eripe ferrum.* certè dictio ferrum,plenum quippiam habet.quoniam materiā cum ſpecie facit intelligi. atq; idem iudicandum de metaphoris longè peti-

Enūciatio. tis. Enunciatio autem in interpretatione prima eſt,quæ ſubiunctiui, & huic ſimiles quæcunq; connectunt ſenſus diuerſos:omnis reſolutio ut per uerba,afficere,cōſequi,proſequi:allœoſis,& maximè mutatio uerbi in participium. Nomen quoq; infinitum circunducit, quomodocunq; infinitè loquaris. ut, Quæcunq; autem ab aduerſario dicta ſunt Iudices, &c. Duplicis autem orationis figuræ omnes apartiſcωs: deinde conuerſionis,ſiue hæc fiat per hypoſtaſin, ſiue per hypotheſin. Hyperbati autem epembole magis plenitudinem facit.ſed apertius parentheſis: hyperthesis enim circūducit æqualius, illa curſum intercipit & ſecat. quapropter breuis ἐπεμβολὴ celeritatem, longa circuitionē, & multiplicata plenitudinem gignit. Quod itaq; iam dictum ſuprà, quanto plures aliæ ab alijs figuris cōcipiuntur & trahuntur, tanto magis eſt inuoluta dictio. ut in longo hyperbato, in antitheto frequētato, dilemmate & ſimilibus: quanto plures ſimul in una periodo inueniuntur interpretationis comprehenſæ uarietates. Trahit quoq; plures ſentētias enumeratio cum epanodo:tum ordinatio, & ei cognata προτίμησις,& partitio. E' conſtructione autem Zeugma natura eſt circumductū, deinde hyperbaton. Coniunctionum quoq; illæ omnes dici pòſſunt ἐφελκόμεναι,quæ præcedunt diaſtolen. ut μὲν Græcis,& quidem Latinis.item aduerſatiuæ,& diſtaticæ,& exceptiuæ & cauſales,quan-

Cōpoſitio. do præcurrunt per hypoſtaſin. Compoſitionis itaque ratio ex dictis patebit. non enim recta, ſed flexa neceſſariò erit, caſibus nominum,modis uerborum,& ſententiarum anaſtrophis. per hæc nanque fit, ut expectet ante finem aliquid aliud attētio. De iunctura autem nihil præcipio:quoniam perinde eſt ad circuitum, quacunque utaris. Tota uerò cura in membris ponitur.Nam ſi cætera habeat, hoc uno deſtituta nō poteſt eſſe peribole. producentur ergo quàm maximè: non quidem continua, quæ dicebamus σχοινοτενῆ, quibus

gaudet

gaudet ſplendor:ſed per articulos & cõmata,aliaq́ membra. Alias enim non uideretur multa complecti noſtra oratio, ſed eſſet aphoriſtica planè, & ſeiuncta. Numeri uerò & concinnitatis ſecuri erimus:niſi progreſsionis fortaſſe illius, quam per incrementa continuamus,rationem aliquam habere placuerit. continet enim ſuſpenſum neſcio quid,donec reflectatur ad priora. Habemus itaq; proxima quædam,unde fiunt ideæ differẽtes:nimirũ ductus ijdem membris producti faciunt peribolen, ijdem contracti celeritatem. membra recta ſplendorem,ſi ſeparatim incedant:ſed coniuncta alijs, peribolen. Senſuum denique diſtinctio multiplicata,nõ puram circuitionem,ſed etiam plenitudinem facit. Atq; hactenus quidem de peribole,acme,uehementia,ſplendore,aſperitate,et dignitate:de quibus dicere propoſueramus,ut orationi amplitudinẽ et pondus addere,& omnino magnitudinẽ addiſceremus,quam Cicero copiam nominauit:alij,ut Longinus,ſublimitatem. neq; enim alijs rationibus conſtat ſublimitas,quàm quibus partes magnitudinis fieri demonſtratum eſt.Cumq́ in oratione ex duobus illis quibus conſtat (quæſtione & moribus) nihil maius uideatur, quàm ſunt affectus ipſi,& perturbationes animorum: quibus tanquam furore concitus orator,& ſpiritu diuino afflatus,uerba effundit,& (ut græcè dicam) φοιβάζει τοὺς λόγους, quanto plures in oratione affectus proferentur,tanto magnitudinis figura magis effloreſcet, & ad motũ atque admirationem auditor magis excitabitur: neq; immemor ſui, aliud quicquam cogitare poterit, quàm dicentis rationes. nõ enim perſuaſionẽ tam uenaẽ magnificus hic ſermo,quàm admirationem, & extaſin quandam in auditore. Quod ſi tenuem fortè humilemq́; ſtylũ ignorabas, ex huius formis atq; methodo cognoſces per comparationẽ. Græci *ἰσχνὸν* appellant,genus humile. Et uitioſum quidem efficitur, cum ex ocioſo aliquo ſenſu & magna diligentia deſinit in frigiditatem,et frigida apparet diligentia. Affectatio enim parens eſt frigiditatis:quando magnitudinis atque magnificentiæ ſtudio ampla, iucunda, numeroſa, poetica, exquiſita denique omnia affectantes,in puerilem aliquam uel ſententiam uel dictionem incidimus. Hoc ut euitare poſsis,et affectationẽ earum rerum diſsimulare,unicum uideo ſubſidium, moratam orationem, & affectu plenam. hæc enim non iudicio, ſed impetu, neq; ſtudio orationis,ſed perſuaſionis & ueritatis fluere exiſtimatur. Iam de pulchritudine & diligentia agamus.

De

De pulchritudine, ſeu diligentia. *Cap.10.*

ERGO ueriſimili, magnæ, & mobili, quæ uirtutes uidentur eſſe naturales dictionis, addi debet aliquis cultus atque ornatus, qui extrinſecus tantũ cernatur: ne id (qualecunqꝫ eſt) omnino ſi non reperitur, imperitiæ: ſi contemnitur, nimiæ ſeueritatis arguat ſcriptorẽ. Nam & intincta rarò ea uoluptate noſtra ſententia, uehementer capit multitudinẽ. Gorgias olim totus in hoc fuit, ut ſimilia ſimilibus ſemper redderet. Iſocrates quoqꝫ, quanquam eo minus: ſed tamẽ concinnitate plurimũ delectatus eſt. Demoſthenes autem ſublimis quoniam robori uiribusqꝫ ſtudebat, & uehementia magis quàm lęuore dictionis capere auditorem nitebatur: uix quicquam niſi fortè ſemel aut iterum, per gradus duxit: ſimiliter deſinẽtia, omnia uel mutatione loci diſsimulans, uel iniectione facta, membriqꝫ productione, uideri uolens diſſimulaſſe. Cicero medius incedens, nec elumbi utitur pulchritudine: nec uiribus abſqꝫ omni concinnitate decertat. Quanquam certè hunc Brutus & Caluus, ut fractum & elumbem exagitarunt: comparatione Demoſthenis fortè non ineptè. Cicero adeò prudenter iſta commiſcuit, ut eius ingenij morumqꝫ elegantiam in dicẽdo, omnis poſteritas admirari magis quàm imitari (quantumuis conata) potuerit. Corrupto dehinc ſermone, politioribusqꝫ literis per Hunnos, Gothos, Vandalos, & ſimiles meliorum diſciplinarum peſtes oppreſſis, tanto cũ applauſu recepta ſunt uerba ſimilia, ut quod in ſoluta oratione uulgus ſuſpiceret, addito ſyllabarum neſcio quo numero, ad carminũ etiam neceſsitatem ſimilibus dictionibus abuteretur, genus quoddam poetarum, quod poſtea ſequutum eſt, barbarum planè atqꝫ ruſticum: nec uernaculo tantum ſermone, ſed latino etiam utcunqꝫ Leonine ſeu Gorgiana quædã omnia perſtrepuerunt. Et quoniam necdum exploſa theatro eſt hæc imperitia, & à multis leguntur Furioſi, & Petrarchæ, & Menæ, & Maroti: nihil aliud nos poſſumus, quàm expectare ſeculum aliud peritius: et certò prędicere, fore aliquando, ut illiberali hac uoluptate reiecta, pedib. potius concludatur ſententia, quàm ὁμοιοτελεύτοις. Non committemus tamen interea nos, ut non pateat uniuerſa hæc ratio pulchritudinis & diligentia: niſi malis fucum appellare & calamiſtros orationis. Neqꝫ enim uera illa pulchritudo in his inuenitῦ, quæ ex membrorum & partium quadam ſymmetria atque proportione exiſtit, cum decenti ſenſus ueluti colore: ſed ſolũ fucus, & curioſus quidã, ac ſuperuacuus ornatus dictionis, quo capiuntur tantum imperiti: doctiores, etſi curã notant, nullo tamen pacto cõmouentur. Quare poſſet genus hoc γλαφυρὸν dici, potius quàm κάλλος: quòd potius curam & diligentiã in poliendo & exculpendo, quàm decorem aliquem

quem declaret. Sed quia nomina idearum, & finitiones ab Hermogene & Platone mutuamur, ſit modò, ſi lubet, pulchritudo. Quoniam ergo naturalis non eſt, ſed aduentitia, & aurem ſolam demulcet: ideo neq; rem ullam habere poteſt, ex qua ſententiã quæramus: niſi deſcriptiones & alluſiones rerum mirabiliũ ut circulatoris Apuleij, & cuius generis multa ſomniauit Polyphilus lingua Italica. ſed hæc iucunda eſſe poſſunt, nõ γλαφυρὰ: nec figuram ſententiæ in qua ductũ obſerues, niſi cõmorationem in ocioſis epithetis: ut uel res magnæ humiliter tractẽtur, uel humiles magnificè. ut, Me equo indigena peralbo uehens. ſed figuris fieri hanc putabo maximè concinnitatis: nempe ſimilib. membris, æqualibus numeris, relatis ſententijs. De quib. quoniã ſuo loco exempla dedimus, iubeo ut inde exempla petas. quanquam parode & inuentiones poeticæ, non minus pulchræ haberi poſſunt, quàm iucundæ. Dictionẽ ueteres pulchram cenſuerunt, quæ pura, non tranſlata, nec aſpera eſſet. *Dictio pulchra.* Siquidem aſpera primùm offendit: deinde tranſlata, ſi quid habet uoluptatis, hoc in animo efficit intelligentię motus, non auditus. atq; auditui ſolum inſeruit pulchritudo. Nouata autem cum auditorẽ ad ſe conuertat attentius, nõ uidetur ab hoc genere ſeparãda. ut, Apuleij ferè omnia: Hic pollentæ caſeatæ modico ſecurius offulam grandiorem in conuiuas æmulos contruncare geſtio. Breuis quoque longioribus permixta, quod uarietas numeri ſyllabarum propter accentum iuuat, pulchra eſt. Antiphraſis autem nõ huic, ſed magis enargiæ congruet, niſi fallor. Ergo figuras interpretationis inueſtigabimus, *Interpretationis figuræ.* quæcunq; partibus uidentur paribus exæquare ſententiam: ut ſunt antitheſis, & diſtributio, præcipuè cum frequentatione poſtquam ardua montium, & lubrica uallium, & roſcida ceſpitum, & gleboſa camporum emerſi. Quanquam breuiores celeritatem pariunt, ſed non amittunt propterea uenuſtatem: cedunt tamẽ in pulchritudine longioribus, & quidem meritò: quia ſpõte ſua uidentur nobis offerri, longioribus curam oſtentantibus. Illa quoq; hypertheſis uenuſta eſt & parum habet inſidiarũ, quæ uel caſus diuerſos iungit: ut, Fallacia alia aliam trudit: Me mea uirtus iuuat, uel relata & contraria: Homo homini quid præſtat: Stulto intelligens « quid intereſt? Suum cuiq; pulchrum. Quemq; ſui pœnitet. « Omnis quoq; ſyzygia diligentiam declarat: & omnium pulcherrima metatheſis, id eſt cõmutatio. Non ut edam uiuo, ſed ut uiuam edo. Iam ex eiuſdem uerbi repetitionibus in longioribus ſpacijs anadiploſis uenuſta eſt: in breuibus celer. In eodẽ membro iucunda epizeuxis, ut in duobus epanalepſis, circulus quoq;:

Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo.

& epiſtrophe, & gradatio, & traductio, & antiſtaſis, & polyptotõ,

&

& omnis (ut uno uerbo dicam ſemel) παῦξις. his enim omnib. memoria ſonitus elapſi refricatur: & quædam ueluti cōſonantia ex frequenti caſu efficitur. Siquidem conſonantia aliud non eſt, quàm eiuſdem aut ſimilis chordæ ſonus. Innouatio autem inter huius effectrices ut ponatur, dubitari certè poſſet: propterea quòd probari ab aure uix poteſt dictionis inſolentia. Inſignis tamen conſuetudinis immutatio admirationi eſſe ſolet. ut, *Flaua caput nectuntur oliua: Italiam contrà*: et græciſmus ille, Ardua montium, lubrica uallium. Idem iudicium ſit de metaplaſmo. Eadem quam ſuperius dixi ratione et polyſyndeton pulchrum erit, Athamasq́ Thoasq́. Atq; hactenus

Cōpoſitio. de interpretatione: ſequitur compoſitio, cuius primùm ordo innouatus, ut καινοπρεπὴς certè arridet. qualis maximè ſeparatio adiuncti: *Tenero pugnabis amori: Priame dum regna manebant: Me equo indigena per albo uehens.* & ſi longius ſemoueantur, eo etiam pulchrius. Iunctura erit lenis, nec aſpera, nec hiulca. Membrum mediocre, ſed diſtinctum breuib. articulis. & quamuis cum poſt aliquot epiplocas, longa tanquam crepidine, cōprehenſione omnia complectimur, nihil detrahatur pulchritudini, tamen ſplendori ſeruiet magis: huic continuatio. Numerus ad metrum proximè accedat. conſtabitq́ ex pedibus æqualium temporū, non tamen æqualium dictionum. Aut ſi æquales ſint numero ſyllabarum dictiones: non tamen quantitate temporum, aut poſitione tonorū. ut, —*Non uultus, non color unus, Non compta manſere comæ.* &, *Hinc atq; hinc glomerātur Oreades.* tam ſibi reſpondent aduerbia hinc atq; hinc, quàm pæanes duo contra ſe poſiti. Erunt autem pedes ideæ propoſitæ peculiares. nam aſpera iambo inſultat, dignitas ſpondæo utitur, ſplēdor dactylo & anapæſto, & ſic aliæ alijs. Vt uerò non firma, ſed pendula ſemper clauſula conquiratur, dictioq́ breuis in fine, ego ſanè nō poteram ſentire. Quid enim pulchrius hac, Antonij Lulli Balearis? &, Ante iniuſta pœna luenda ſit, quàm iuſta repetenda? Verùm ſi rectè hæc expendas, & motum ſuperciliorum ac uultus tui in pronunciando: non tam pulchra uidebitur quàm ſplendida concluſio, & amplioris eſſe cuiuſdā ſpiritus, quàm præſeferant cincinni illi calamiſtrati, & mundus muliebris. Illa altera uarietate quidē pulchra eſt in initio, ſed in fine eodem pacto ſplendebit. Sed de pulchritudine hactenus, ſeu mauis de cōpta dicere oratione, & calamiſtrata: qua uti iuuenes decet, non uiros: & in rebus amatorijs commēdatur. Qualis finis ille Agathonis apud Platonem in Sympoſio, quem Socrates huic ideæ tribuit: & nos referemus, ut exemplo certiſsimo præceptio noſtra demonſtretur. ἐπέρχεται δέ μοι τι καὶ ἔμμετρον εἰπεῖν, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ ποιῶν.

Εἰρήνην μὲν ἐν ἀνθρώποις, πελάγει δὲ γαλήνην,
Νηνεμίαν ἀνέμων, κοίτην ὕπνον τ᾽ ἐνὶ κήδει.

ἔτο

οὗτος δὲ ἡμᾶς ἀλλοτριότητος μὲν κενοῖ, οἰκειότητος δὲ πληροῖ. τὰς τοιάσδε ξυνόδους μετ᾽ ἀλλήλων πάσας τιθεὶς, συνιέναι ἐν ἑορταῖς, ἐν χοροῖς, ἐν θυσίαις γιγνόμενος ἡγεμὼν, πραότητα μὲν πορίζων, ἀγριότητα δ᾽ ἐξορίζων· φιλόδωρος εὐμενείας, ἄδωρος δυσμενείας ἵλεως, ἀγαθὸς, θεατὸς σοφοῖς, ἀγαστὸς θεοῖς, ζηλωτὸς ἀμοίροις, κτητὸς εὐμοίροις. τρυφῆς, ἁβρότητος, χλιδῆς, χαρίτων, ἱμέρου, πόθου πατήρ· ἐπιμελὴς ἀγαθῶν, ἀμελὴς κακῶν. ἐν πόνῳ, ἐν φόβῳ, ἐν πόθῳ, ἐν λόγῳ κυβερνήτης· ἐπιβάτης παραστάτης τε καὶ σωτὴρ ἄριστος· ξυμπάντων τε θεῶν καὶ ἀνθρώπων κόσμος. ἡγεμὼν κάλλιστος καὶ ἄριστος. ᾧ δεῖ ἕπεσθαι πάντα ἄνδρα ἐφυμνοῦντα καλῶς, καλῆς ᾠδῆς μετέχοντα, ἣν ᾄδει θέλγων πάντων θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων νόημα.

περὶ γοργότητος, id eſt Toruitate. Cap. 11.

ΓΟργότης propriè truculentia interpretatur. Eſtq́ in aſpectu toruus atq; horribilis quidam habitus, qualem habuiſſe fabulantur tres illas Gorgonas, quæ ſolo aſpectu necabant. Dicit̃ ab ὀργὴ, id eſt, ira. Hinc γοργῶπις ἀθλώη, & γοργολόφασα frequenter apud Ariſtophanem. Verùm non erit nobis adeò terribile in hac arte dicendi nomen: poſtquam uſu receptum eſt profeſſoribus. Sed appellabimus latinè toruitatem. À pleriſque dicitur celeritas & contentio: ab alijs denſitas. Sunt qui elaboration̄e & diligentiam uocant: & qui robur, ac uíres. mihi Laconiſmus eſt. Cui ueteres Iureconſulti cum ſtuderent plus ſatis, & omnia diligenter componerent, in obſcuritatem crebrò incidérunt: quaſi in ſeruitutem elocutionis & carcerem redig̃etes ſententias & præcepta. quia multa paucis, propriè, et ſine tropo, cum ſtructuræ laudibus omnibus conſequi nitebantur: quod commodè fieri non poteſt. Nam membrorum orationis illa compoſitio atq; inuolutio tam diligens, etſi uerba habeat ex medio ſumpta, tamen dictionem totam ſic afficit, ut qui legũt, ſtatim prima fronte uerba eſſe quidem exiſtim̃et ritè compoſita, & orationẽ, ſed ſine ſenſu: non diſsimilem quidem aſpectu ab ijs, quos uidemus attonitos apertis diductisq́; oculis in ueſtigio hærere. & tales quidem reddebat Gorgus caput ſolo aſpectu attonitos, & lapideos. Orationis autem illud idolum (in quo conflando iam diu laboramus) ut dilucidum ſit, & quaſi diaphanum, & præterea magnum pro uſu, & ornatum cultumq́; diligenter (niſi motum & geſtum aliquẽ præ ſe ferat) rigebit profectò aut diffluet, et humi ſupinũ iacebit: rectum quidem, ſed ſine aſpectu. Quid ergo? Erigatur in pedes: extendat manum: conuertat faciem: pedem alterum reducat: aut ſi humi iacet, nitatur brachio, & poplitem ſuſpendat: deniq; membra omnia ita flectat et curuet aliquo modo: ne moles tantum rigida, ſed multarũ partium & diſsimilium ſtructura uideatur. Hoc erit quod uocamus γοργὸν: articulorum expreſsio & motus. Nuper rei huius argumentũ, non

Gorgotes.

Toruitas.

ſine magna uoluptate inueni, apud uirum eruditiſsimum, omniſq;
humanitatis amantiſsimũ, ORIBALDVM EBERLINGVM,
Iuris Doctorẽ, & Proprætorẽ Dolanum. Erat hominis lignea effi-
gies, articulis omnibus ita cõiunctis & connexis, ut motus omnes,
quos in uiuo homine cernimus, illa exprimeret. Mirabar quid res
illa non tam pulchra, quàm artificioſe fabricata, ſibi uellet. neque e-
nim uſui magno uidebatur fore his diſſectionibus, quas docent me
dici. tandem perſuadebam mihi, puerile aliquod oblectamentũ eſ-
ſe, aut ocioſi opus artificis. Non, inquit ille, parui uſus eſt quod con
templaris Antoni. Multos tenuit idem iſte tuus error: quibus, ut
parum ſtudioſis talium rerũ, haud unquam dignatus profectò ſum
quod deſiderabant exponere: ſed ridiculo aliquo eludens hoc ge-
nus hominum, ſæpe dimiſi. Hac pictores, inquit, utuntur, & ſtatua-
rij, quoties geſtum aliquem imitari uolunt. Nam ſi placet ſedentis
figura, ſtatuam hanc ſedere faciunt: ſi currentis, ad curſum erigunt:
ſi pugnantis, eodem modo corpus & brachia eius ad pugnam con-
tendunt: ſi laborãtis ſub onere, incuruãt dorſum & genua, manuſq;
uel ad crura uel ad ceruicem inflectunt. Atq; hæc dicendo Oribal-
dus, ad ſingulas figuras illas, & ſitus corporis, ſuũ idolum cõpone-
bat: ita ut facilè diceres etiam iaculari, pilam capere, tollere põdus:
quicquid demum conari uelles, articulata ſtatua referebat. Quod
cum ego cõtemplarer attentius: nec ſolum commentum ipſum, ſed
& Oribaldi ingenium mecum ipſe tacitus laudarem: in cogitatio-
nem incidi huius loci de Gorga dictione. Neq; enim puto aliter in-
telligi: & ſtatua illa ſi proprium nomẽ uſquam meruit, non puto a-
liud accepiſſe, quàm Gorgon. Nam quæ ueteres huic uoci tribue-
runt, & Hermogenes huic ideæ, omnia cum idolo Oribaldi planè
conſentiunt. Quapropter in oratione fieri τὴν γοργότητα dicemus
non aliter, atq; in illa motus & contentio articulis diſtincta: etiamſi
nec ſpiritus, nec anima, motus effectrix, corpori ſit infuſa. Sufficit
enim in præſentia, ut appareant ἀρθρώσεις, et inſtrumenta motus: ut
cum opus fuerit, motum & aſpectũ pro arbitrio effingamus. Quæ
quanto frequentius occurrẽt in oratione, tanto celeritas magis ap-
Laconiſmus. parebit, & dẽſitas quædam, quam Laconiſmum dixere olim. Neq;
uerò celeritate tantum continetur hæc forma. Siquidem properat
ille numerus, *Atq; leuem ſtipulam crepitantibus urere flammis*: qui nõ tam
truculentus eſt, quàm pulcher. Et meritò quidem uires ac robur
quoddam ineſſe dixeris in Gorgotete: quod ſit tanquam omnibus
membris & neruis lacertiſq; expreſſa. Et in probationibus potiſsi-
mum cernitur, quas enthymemate, uel antitheto, uel uiolatione &
ſimilibus circunſcribit: Laconum propria oratio. nimirum breuis,
& celer, & contrapoſitis denſata. Neq; enim dilatat magnopere ar-
gumentum

gumentum (quia flumen, quod latè expanditur, lentius decurrit) ſed ſeparat,atq; aliquò rectè intendit,ſine magno circuitu. Quid ergo? reijcietur hinc commoratio? At uerò quid robuſtius illa interrogatione? Quid enim Tubero tuus ille in acie Pharſalica gladius ,, agebat? cuius latus ille mucro petebat? quis ſenſus erat armorum ,, tuorum? Sed neutiquam cõmorationis eſt hic motus, uerùm disiunctæ interpretationis & ſchediaſmi. Quid enim lẽtius laxiusq; illa alia eiuſdem planè generis?

Quid puer Aſcanius,ſuperát ne,& ueſcitur aura
Aetheria,nec dum crudelibus occubat umbris?

Nam ſi tractum hunc ita ſepares: Quid puer Aſcanius? ſuperat'ne? ueſcitur aura ætheria? nondum crudelibus occubat umbris? non minus profectò properabit,quàm alia. Quapropter illud maneat conſtitutũ: ex interpretatione & membris potiſsimum agnoſci toruitatem,& figuris ſententię erectis. Et uires quidem hic ponemus, non quales in ſublimitate: illic enim perfectum quid erat,& non ſolum corpore,ſed uiribus & uirtute integrum: hic robur & neruos obſeruamus, ueluti in baiulo quodam, cuius corpus licet turpe ſit & exangue,atq; etiam tenue, muſculos tamen & neruos ita contendit,ut uires non tam à natura perfecta proferat, quàm ab unius mẽbri conſtitutione,& temperie. Luctatorum enim et curſorum non idem eſt robur,nec ſimilis membrorũ modus. illis pectora atq; humeri & brachia maiora fiunt,his crura et tibiæ: pro uſu utrorumq;. At in ſublimitate uigor eſt ex plena atque perfecta conſtitutione et ſucco. Sed neq; uires tantum & celeritatem hic inuenio: ſed, quemadmodum effigies illa Oribaldi,ſi neruos habet, & muſculos ualde expreſſos,uires indicabit, & robur: ſi articulos diſtinctos,diligentiam: ſi contractiora brachia uel tibias,uel anguſtum pectus, breuitatem: ſi conſtitutione ſit tanquam ad curſum atq; motum præparata,celeritatem. Sic erunt Gorgotetis quatuor formę: elaboratio, ro *Gorgotetis quatuor formæ.* bur,celeritas,& breuitas. Diligentiam produnt obliquæ & ſubtiles methodi, onomatopœia: ſed maximè diuiſa interpretatio,uelut zeugma,ſyzygia,anaphoræ,antitheta,diaſtolę,& ſimiles excogitatæ figuræ,quo magis implicantur: argumentationes,ſententiæ erectæ,graues metaphoræ,omnesq; figuræ aſperitatis uires quodam modo exerunt. Medẽtur prolixitati emphaſis,occupatio (maximè per præteritionem) metalepſis,nomina ex uerbis contracta,participiorum abſoluti caſus (in hiſtoria paratiſsimum ſubſidium) ſchediaſmus, iambica modulatio. Nec aliter quidem properatur: præterquàm quòd celeritas ex numero penſatur,iuxta rationem quam ſuprà tradidi de numero. His itaq; prælibatis, ad rationẽ noſtram reuertamur,uocem Græcam uſurpãtes, quòd Latina ſit inſolẽtior

toruitatis,truculentiæ uerò iniquior:cuius cum res nullæ inueniantur peculiares (extat enim iam formata membris utcunq; oratio) ſupereſt ut elaboretur: hoc eſt, ut articulationibus & iuncturis diſtinguantur membra & artus:& erigatur iam,ut moueri queat. Diſtinctio autem iuncturæ in hoc ſita eſt, quod membrũ nunc in hãc, *Methodus.* nunc in illam partem flectatur. Idcirco figurarum robuſtiſsima ductus Gorgi erit apoſtrophe: qua nunc in hunc, nunc in alium quomodocunq; conuertaris: & ad res diuerſas atq; ſentẽtias contrapoſitionibus,aut frequentatione,aut aliter. Ob hanc cauſam uocatur Gorga:quia ſenſum diſtrahit,et quaſi præſtringit:ut tanquã ſi Gorgus caput aſpexiſſes, neſcias quid tibi acciderit. & hoc quidem ab *Dictio.* obſcuritate non procul abeſt. Dictio breuis tam numero ſyllabarũ quàm quantitate. ut deus, uidet:nulla epitheta,niſi plura frequentata. *Procumbit humi bos.* &, Vbi nunc Senatus eſt quem ſecuti ſumus? ubi equites Romani illi,illi (inquam) tui? ubi ſtudia municipiorũ? ubi Italiæ uoces? ubi deniq; tua M. Tulli,quę plurimis fuit auxilio, *Interpretatio.* uox, & defenſio? Eclipſi propterea primus in interpretatione locus erit, quæ attentionem exigit,& non ſolum ſecat, ſed imminuit, parte ſenſus detracta. Alter uerò interrogationi, propter apoſtrophen:tum quia ſpiritus cõtentio in interrogando nõ quieſcit. Quę ſi ſubiectione etiam diſtinguatur,multo fiet concitatior. Domus tibi deerat? at habebas. pecunia ſuperabat? at egebas. Sine interrogatione celer eſt & robuſta quoq; illa occurſatio: Vocat,ueniendũ eſt:poſcit,dandum:eijcit,abeundum:minatur,extimeſcendũ. Item: Hoc? imò illud. Omnis diuiſio breuis negotij & perſonę gorgum facit, maximè uerò antitheſis & frequentatio: breuis inquam, hoc eſt,quæ breui comprehenſione abſq; epithetis & relationibus conficitur. Hanc elaborationẽ Saluſtius & Quintilianus amplexi ſunt: ſed hic quidem ſubtilior, ille magnificentior: apud quos crebrò dictiones oppoſitæ (iuſtum, iniuſtum) breues meriſmi, & antitheta commatica. Quanquam conuerſio,re magis gorga eſt,quàm articulis. tegit nanq; hæc iuncturam atq; articulationem nõnihil: quocirca magis circumducere uiſa eſt. Sed (ut dixi) propter breuitatem fieri celer poteſt.

Odero,ſi potero:ſi non,inuitus amabo.

Omnis ſiquidem diuiſio ex ſe ſubtilis eſt:quæ ſi in partes fiat eiuſdẽ generis contrarias,elegans magis:ſi pluribus membris contineatur ſub eodem genere, Gorga omnino. ut, Plantarum differentias, reliquamq; naturã, ex partibus, affectionibus, generibus, uitaq; petere oportet. Talis eſt tota illa hiſtoria Theophraſti. Contrà uerò Galenus,elegantiæ ſtudens & copiæ, uocatus eſt à quibuſdam turbulentus. Sed genus dicendi per contrapoſita, uelut robuſtiſsimum,

&

& in ſe coactum ac denſum, inter alia elegerunt Lacones, Gorgæ di-
ctionis amantiſsimi. Duplex negatio, quod ad obſcuritatem acce-
dit, etiam huius loci eſt. ut, Non ſi non potero. Et quamuis rectitu-
do magis apta ſit articulis, quàm circuitibus: tamen proſunt etiam
epitrechonta: ut, Quoniam, cum, quamuis, & ſimilia, iuncta breui-
tati. Diſtributio omnis tum articulis, tum etiam conuerſionibus
properat: ſed maximè omnium cõtinuatio frequentiũ. Quod adeò
uerum eſt, ut cum in ſenſu commoreris, hac tamen figura celeriter
ferri concitariꝗ uideare. ut, Præſertim omnia audenti, magna me-
tuenti, multa ſuſpicanti, nonnulla credenti. Si uerò non ſiſtat in ſin-
gulis, ſed ad articulum alium referatur: mixtum quid erit ex breui
& circumducto. ut ibidem: Eius poteſtati, cui Senatus totã Remp. „
omnem Italiæ pubem, cuncta populi Ro. arma cõmiſerat. Porrò „
autem ἀφήγησις, ſi per hypoſtrophen diuidatur, ſupinitatem illam,
qua languiſſet alioqui, planè excitabit. Omnisꝗ diuiſio hoc poteſt:
tollere inquam ſupinitatem. ut, Atqui ſi tempus eſt ullum iure ho- „
minis necandi (quæ multa ſunt) &c. Concitatiſsimæ præterea „
cum ſint epanaphoræ, & epiphoræ, maxime uerò in cæſis: ut, Eum
cuius ſupplicio Senatus, &c. Eum quem cum ſorore germana, &c.
eum qui ciuẽ, &c. eum qui regna, &c. Poſſunt & una periodo mul-
ta commata circumferri, quod non eſt abſque celeritate. Sed de in
nouatione uſui eſſe poteſt τμῆσις, qua dictionis partes ſeparantur:
Septem ſubiecta trioni. Cogitur enim mens & cogitatio celeriter in his
huc illuc ferri, ut quę ſeiuncta ſunt, componat. De coniunctione au
tem tam aſyndeton quàm polyſyndeton breuium partium (præſer
tim in frequentationibus & cõmatica cõpoſitione) hoc idem oſten
dit: ſiue ſingulorum uerborum fiat, ſiue ſententiarum, ſed maximè
aſyntheton: nam cõiunctio tanquam uinculo ſiſtit orationẽ. Exem
pla paſsim inuenias. Reliqua eſt itaꝗ cõpoſitio. In qua ordo qui- *Cõpoſitio.*
dem obliquus ſenſum diuidit, non tamen ſemper concitat: latente
ſæpenumero diuiſione. Sed ubicunꝗ hæc apparet, ibi celeritas eſt:
niſi in peribolen membri productio recedat. Verbũ in fine clauſu-
lę, & ſeparatio partium ſeſe natura conſequentium, & demum ubi-
cunꝗ mens & pronunciatio ad finem citò contendunt, omnia hæc
gorgo deſeruiunt. Iunctura quoꝗ, quæ uocalium & cõſonantium
colliſione perpetuitatẽ orationis ſecent ac dirimant. hæc enim qua-
ſi membratim ſecta, atrox neſcio quid & truculẽtum gerit. pedum
æqualitas, & dictionum: quia comminuta eſt. ut, arma, tela, equi, ui
ri, hoſtes atꝗ ciues permixti. Quare non uidetur hæc idea multum
ab aſperitate recedere: niſi fortaſſe quòd hæc non tam iuncturam
quàm membra obſeruat: illa literarũ maiorem quàm membrorum
rationem habet. Sed eiuſdem ſyllabæ concurſus, licet fugiendus de

induſtria,habet tamen concitationis quippiam nõ obſcurum. Fortaſſe quòd primò audita ſyllaba eadẽ,nec animaduerſa,poſtea procedente ulterius dictione,animum cogimur motu celeri cogitationis ad multa cõuertere,& multa ſimul meditari. ut illud: *O' fortunatam natam me conſule Romam:* Sterneret æquor aquis: uellere uallũ. Ergo ut finem imponamus huic figurę,membrũ obſeruandum atque comminuendum in primis eſt, ut fiat non ſolum breue, ſed & denſum. ut, Primum hoc, deinde illud, ſtatim, ac rurſum. Deinde cõiunctum cum alijs, ut articulatio nõ lateat. Idcirco probamus cum cõmatica frequentatione, conuolutam periodum. Exempla ſuo loco dedimus. Cum ſit enim potiſsima huius figuræ γοργότητος breuis & accurata ſiue collectio, ſiue complicatio, complurium rerum ſeu uerborum, quorum quæꝙ uim tantam habeat, ut per ſe conſiderari mereatur: non magis commata quàm cõuerſiones id præſtabũt: In utriſꝙ enim cum properet oratio, ſenſus tamen ſiſtere deſiderat, & retrò quaſi reſpicere. Vt in ſimili argumẽto Liuius & Saluſtius: ille Annibalis ingenium deſcribens, hic Iugurthæ. Finit quidem Liuius in hunc modum commaticè: Has tantas uirtutes ingẽtia uitia æquabant: inhumana crudelitas, perfidia plus quàm Punica, nihil ueri, nihil ſancti, nullus deûm timor, nullum iuſiurandum, nulla religio. Saluſtius autem complicatè ſuo modo: Ac ſanè quod difficillimum in primis eſt, & prælio ſtrenuus erat, & bonus conſilio: quorum alterum ex prouidentia timorem, alterum ex audacia temeritatem afferre plerunque ſolet. Numerus autem, &c. Numerus autem pyrrichius mobilis eſt, iambus uerò ardet. ideo pyrrichijs & trocheis abundamus: &, ſi fieri poteſt, in clauſula etiam retinemus, ut fiat pendula, præſertim in frequentando. breues nanque ſyllabæ (ut ſuo loco dictum eſt) celeritatẽ pariunt: maximè ſi à longis procedant. ut, *Curru iungit Aleſus equos.* Ergo nec melus nec cõcinnitatis ratio ulla ſeruabitur. carent enim hæc cõtentione, qua ſine non poteſt eſſe γοργότης. acuti tamen accentus frequentatio celer eſt. ut, *Regia portabat Tyrijs duce lætus Achates.* Et cauendũ ſanè ab æqualitate exquiſita, nõ minus quàm ab extenſione. Nam ut deſidet extenſio, ſic æqualium nullus finis datur. Cuius ſpe amiſſa (ut in itinerantibus fit) languet animus: ſegniusꝙ pergit uiator, quod ſupereſt itineris neſcius.

De morata oratione generaliter. *Cap. 12.*

HACTENVS quidem de figuris orationis egimus: quibus ipſum ueluti corpus aptatum atꝙ conformatũ (etiamſi de uoluntate oratoris nihil coniectari poſsit) tamen ſpeciem propriam præ ſe fert, & artificium dicendi quoddam æmulatur. Sed quę poſtea iam de morata dictione dicen

tur,

tur, ea ſic ſunt, ut arte diſcamus ita loqui, tanquam ſponte magis quàm induſtria aliqua compoſitus aut meditatus ſermo uideatur. Adeò ut quæcunque præcipientur, non alia ratione præcipientur, quàm ut fingere & ſimulare ea poſſumus, quæ alioqui ab imperitis & ſine arte hominibus, animi & paſsionis impetu, magis quàm ratione, non tam dicuntur quàm erumpunt, & quaſi temerè effutiuntur. nam ſubita exclamatio, iuſiurandum, tractatio rerum humilium, & omnino ſic loqui quemadmodum pueros, mulierculas, ruſticos, & morbo aliquo animi perturbatos homines uidemus: certè cum imitatione ipſi queamus, tamē quos imitamur, nulla arte aut obſeruatione, ſed ſolo animi impetu ſic agere compertum eſt. Quare nō immeritò mores in orationem inducemus, atque hos quidem quaſi pro anima: nempe, ut his animata iam oratio ridere, conqueri, iraſci, timere, optare, atque omnino uiuere deprehēdatur. Nam cum in aſpectu cætera dictionis appareant; mores tamen quaſi cernimus in animo dicentis. Orationes Iſocratis ſine anima dicebat eſſe Philonicus dialecticus, quòd in ijs nihil eſſet patheticon. cura enim illa concinnandæ dictionis nō ſolum uiribus detrahit, ſed ut ne uiuere quidem uideatur oratio facit: quia ſine moribus non eſt uita, nec ſine uita mores. Idem cenſeto de Gorgotete, peribole, atque alijs, ſi tantùm ad uocabulorum formam compoſitionemque reſpicias. Non agimus hic de morata illa oratione, quæ cuique propoſitæ perſonę adaptatur. ut quæ dicantur à milite, quæ ab agricola: aut rurſum perſonis ſic affectis, auaro, adultero, crudeli. Hæc nanque loci proſopopœiæ ſunt, ac morum, ad afficiendum aliquid quod non diſſentiat cum argumento. Sicque miles glorioſus facinora iactabit, nauta peregrinationes: agricola cœli tempeſtates metuet, pauper exactorem: adoleſcens amabit: ſenex parcet quæſitis, ut docet Horatius,

Dilator ſpe longus, iners, auidusq́ futuri,
Difficilis, querulus laudator temporis acti
Se puero, cenſor caſtigatorq́ minorum:

Hæc inquam proſopopœiæ ſunt, & ſui cuiuſque mores. Sed non talis eſt hæc, de qua loquimur, idea: niſi fortè quæ puerorum ſimplex & inconſiderata, & quæ irati cōmota, tales iudicentur. Sed nos moris generalem ideam quærimus, quæ poſſit cum alijs miſceri, & per quam oratio ueriſimilis, non ficta uideatur. Atque hanc quidem faciunt quatuor inferiores formæ: quas Græci dicunt ἀφέλειαν, ἐπιείκειαν, δριμύτητα καὶ παθητικὸν λόγον, uel ut quidam etiam ἐνδιάθετον. latinè erunt, ſimplicitas, candor, acumē, & affecta oratio. Cuius numeri demonſtratio inde petetur, unde & morum diuiſio fieri ſolita eſt. Mores nanque dupliciter definimus, ab habitu animi, & diſpoſitione ſeu affectione. Ariſtoteles ἕξιν καὶ διάθεσιν nominat. In habitu

generales quædam qualitates ſunt, ſimplicitas morum, & huic con-
ἐπιείκεια. traria calliditas. Inter quas mediam reperiemus τὴν ἐπιείκειαν (mo-
deſtiam appellaui) poſſumus & ingenuitatem dicere, & candorem
animi, cum ſcilicet nec ad præcauendum abeſt intelligētia, nec aſtu-
tia ad fraudem iniuriam'ue abutimur: ſed cum id quod æquum bo-
num'que eſt cognoſcamus, adeò ut niſi ſponte noſtra decipi aut iniu-
ria affici non poſsimus: tamen decipi nos nihilo minus, atque iniuria
affici ſuſtinemus, quàm ij qui ob morum ſimplicitatem & inſcitiam
rerum, uirium'que imbecillitatē, iniuriæ ſolent fieri obnoxij. In hunc
modum tres moratæ dictionis figuræ inueſtigabūtur: ſimplicitas,
modeſtia, & calliditas ſeu acumen, quam paulo pòſt δριμύτητα uo-
cabimus. Ab affectione autem, ex qua ſermonē fieri dixi παθητικὸν,
duas eliciemus: unam, quæ ex dolore erumpit, βαρύτητα: alteram,
ex uoluptate, γλυκύτητα, id eſt ſuauitatem & delicias. βαρύτης nan-
que moroſus quidam ac grauis ſermo eſt. Neque enim alio modo po-
teſt animus noſter affici, quin affectio uel cum moleſtia, uel cum uo-
luptate coniuncta ſit. Quocirca numero omnes morati ſermonis i-
deas complectemur ſenario. De quibus ſigillatim antè quàm dico,
obiter illud tenebimus, cum per moratam dictionē fiat, ut is qui lo-
quitur, ex animo, & nō fictè loqui uideatur, neque compoſitè: quoties
ſic deformata fuerit oratio, fiet & uériſimilis, & idea exiſtet, quam
uocant ἀλήθειαν, id eſt ueritatem. Sed cum alijs plurimum fidei: non
item iucundæ, minimum uerò callidæ adhibetur.

De ſimplicitate. Cap. 13.

ERGO ut ueritatem aſſequamur, præter claritatem mo-
res immiſcebimus. Ex moribus autem facillima eſt ἀφέ-
λεια. Quam ideo ſic uocarunt, quòd orationem facit pla-
nè ſimplicem, & ingenuam, minimè fallacem: ſine fuco,
Simplicitas. aut arte aliqua. Talis eſt puerorum ſermo, & ruſticorum, & homi-
num minimè malorum. Exemplis exhibuit Vergilius in Bucolicis:
modicè tamē ſublimius, quàm quem ipſe imitatus eſt, Theocritus.
Res. Simpliciſsimas ergo ſententias ex rebus conficies humilibus, & cō-
temptis, quibus tamen is qui loquitur ſtudet: ut ſi paſtor de capris
loquitur & bobus, agricola de arboribus, puer de nucibus, mulier
de ſupellectile. ſunt enim non ſolum humiles tales ſententiæ, ſed e-
tiam moratæ: quia ex habitu fiunt, magna'que conſuetudine tractandi
eadem. huius propterea erunt preces, uota, gaudiū, admiratio, etc.
quæ animi affectum non uehementer declarant. Calceos & ueſti-
menta mutauit. Sed ſimpliciſsimas, ueluti ſupinas ac planè inconſi-
deratas, in oratione publica non adhibebis. Quis enim fuerit adeò
demēs, ut uel corā iudice, uel ad populū ita uelit ineptire? recitatio-
ne tamen poteſt ſuauiter aliquid tale induci, ideo perſonæ humiles
maximè

maximè hoc genus efficiunt. Methodus ſimplex, quæ & ingenua: *Methodus.*

Incipe ſi quid habes, & me fecere poetam
Pierides: ſunt & mihi carmina, me quoq; dicunt
Vatem paſtores: ſed non ego credulus illis.

Quid poterat dici tenuius?

Huc mihi, dum teneras defendo à frigore myrtos,
Vir gregis ipſe caper deerrauerat. aſt ego Daphnim
Aſpicio. ille ubi me uidet, Ocyus, inquit,
Huc ades ô Melibœe, caper tibi ſaluus, & hædi.

Hac de cauſa commoratio, quæ fit in rebus tenuiſsimis, ſimplex eſt, & maximè poetica. hoc ad unguem expreſsit poeta ſępiſsimè in Georgicis et in deſcriptionibus ſemper. In comparationibus autem cum plenitudine ſimplicitatem affectauit:

—Thymo mihi dulcior Hyblæ,
Candidior cygnis, hedera formoſior alba.

Simplex quoque ductus eſt, cum quis ea narrat, uerbiſq; proſequitur, quæ nec quiſquam rogat, nec omnino neceſſaria uidentur. Tales ſunt ingreſſus dialogorũ Platonis & Tullij. Quod ætate noſtra imitati quidam perſonas humillimas in ſuis dialogis, alijſq; libellis introducentes, ut ſermonis ridicula ſimplicitate, nefandas opiniones inſtillent in animos adoleſcentũ: cumq; ab omnibus damnetur ἀσεβισμὸς, nemo tamẽ eam peſtem exterminare curat. Interea uerò, quorum à religione iam labaſcit animus, minimo impulſu fidẽ deſerunt. ô nefas, ô ſcelus cœleſti dignũ fulmine. Sed excuſant lepidum ſcurræ ingenium, dictionis proprietatẽ. Quid, ut melle intinctum haurias uenenum? Sed erunt aliquando homines emunctioris naris: & culinariam iſtorum librorum dictionem, methodumq; agnoſcent. nam neq; uirtutem in ſententijs probare poterunt, neq; decorum aliquod in elocutione. Sed nos ad inſtitutũ reuertamur. Confirmationes ad fidem faciendam ſimplices erunt, quæ à brutis animantibus, ut per ſimilitudinem aut comparationem aſſumẽtur.

Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hædos Noram.— item,

Dum iuga montis aper, fluuios dum piſcis amabit,
Dumq; thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ,
Semper honos nomenq; tuum, laudeſq; manebunt.

Habet autem ſimplicitas tanto plus de ſuauitatis idea, quãto magis ad inanimata refertur. Vt in dato hic exemplo: & hic,

Quantum lenta ſolent inter uiburna cupreſſi. &,

Lenta ſalix quantum pallenti cedit oliuæ,
Puniceis humilis quantum ſaligna roſetis,
Iudicio noſtro tantum tibi cedit Amyntas.

Itaq; ut obiter iſtud præcipiamus, quoties methodo aut alia tracta-

tione ſimplicitatis formam augemus, & res quæ tractãtur humiles
fuerint: quanto magis ſimplicitas augetur, tanto magis in ſuauitatẽ
idea concedit. Affirmatio per iuſiurandum quoq; ſimplex eſt.
Teſtor utrunq; caput. Sanè pol temulenta eſt mulier, & temeraria, cui
primo partu committas mulierem. Et omnis obteſtatio per deos,
» ſiue ad iudices, ſiue ad aduerſariũ fiat. —*Per ego has lachrymas, dextramq́;*
» *tuam—, Per cõnubia noſtra, per inceptos hymenæos Miſerere domus labentis.*—
Verum ſi iuſiurandum aut inuocatio in finẽ argumenti incidat, &
probationis: non ſimplex, nec morale exiſtimat genus eſſe Hermo-
» genes. ut, Vos enim Albani tumuli atq; luci, uos inquam imploro
» atq; obteſtor, uosq́; Albanorum obrutæ aræ, ſacrorum populi Ro.
» ſociæ & æquales, quos ille præceps amentia, &c. Coniunctio nanq;
illa, Enim, ſatis docet, non temerè aut ſine arte ulla erupiſſe inuoca-
tionem. ſiquidem fides argumẽti inde facta eſt, quod iniuriam meri
tò ulciſci uoluerit contempta religio: & ſplendorem habet memo-
ria ueteris exempli. Quapropter nullo modo ſimplex dici poteſt,
aut moratũ hoc, ſed magis amplũ & uigens, & (ut loquitur Quin-
tilianus) plenum ſanguinis. E contrario autem, quæcunq; ſentẽtia,
etiam exquiſita, quæ planè & in ſuperficie tantum exponitur, ſic ex-
poſita, ſimplicitatem imitari poterit. ut,

—*Nonne uides croceos ut Tmolus odores,*
India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi: & quæ ſequuntur. ſiquidem ma
xima in his latêre poteſt agriculturæ diſputatio, quæ tamen pueri-
liter quaſi ꝓpoſita, ſimplicitatẽ docent. Ergo ex proſopopœię par
tib. in primis eam ſcligemus, quæ dicta eſt ἠθοποιΐα: in qua ſunt addu
bitationes, & epitheta quæ ſenſum animi declarant, iuſiurandũ, ue-
hementior affirmatio: omnis uocatiuus caſus, & inductio frequens
pronominis, non ſolum primi, ſed etiam ſecundi, cuiuſcunq; caſus
fuerint, aut numeri: uerbiq́; primæ & ſecundæ perſonæ.

—*Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet*
Ante fugam ſoboles, ſi quis mihi paruulus aula
Luderet Aeneas, qui te tantum ore referret:
Non equidem omnino capta,—&c. declarant enim nimium affectũ ani-
mum hæc, ideo multum morata & ſine cõſilio dicta ſunt. Itaq; dia-
logiſmi illi ſimplices erunt, quibus Plato præter cæteros ſtuduit.
Quidam ex familiaribus à tergo me conſpicatus procul, uocauit: &
ſimul ut uocabat ludens, Phalerenſis (inquit) Apollodore nõ ex-
pectabis? Et ego firmato gradu expectaui. tũ ille: Apollodore, in-
quit, te modò quærebam, cupidus percontari ex te de cõgreſſu A-
gathonis & Socratis, & reliqua eius loci. Ethologia uerò etſi ſim-
plex eſt, non tamen ſemper inducitur ſimpliciter. Breuis tamen ſen
tentia per eadem uerba recitata abſq; irriſione ſimplex eſt: *Ocyus, in-*
quit,

quis,huc ades ô Melibœe. Pathopœia autem, cum nulla præmonitione primo quoq; uerbo erūpit, exclamatio ſine arte fieri uidetur. ut, *O terq; quaterq; beati.* Verùm ſi aliquid præcedat,iam uidetur antè cogitata: quemadmodum ſuprà docui. Ergo potiſsima erit quatuor figurarū,quam diximus, mitis proſopopœia. Ironia autem,quantū fictio manifeſta et ſimulatio ab ſimplicitate abhorrēt,tantum etiam ab hoc genere remouebiť. Commorationis certè tautologian, niſi uitium cōmittas,nihil prohibet laudari.ut Teren. Negat Phanium eſſe hanc ſibi cognatā Demipho, hanc Demipho negat eſſe cognatam? Sed,uti diximus,commoratio quæ in rebus fit minimis (quoniam uno uerbo neſciunt imperiti homines omnia complecti) ſupina eſt. Hac de cauſa genus in ſpecies deduxeris:quod etiam poeticum uidetur. nam poetæ nullum magis characterē dicendi amplectunť, quàm cum ſimplicitate plenitudinem. Itaq; cum uno uerbo dixiſſe ſufficeret,—*Non omnis fert omnia tellus,* ad particularia prius deſcendit.

Hic ſegetes,illic ueniunt felicius uuæ:
Arborei fœtus alibi,atq; iniuſſa uireſcunt
Gramina:nonne uides croceos ut Tmolus odores,
India mittit ebur,— & quæ ſequunť. Huic figuræ tantopere ſtuduit Ouidius,ut omnia ſimpliciſsima & propè puerilia effecerit.Immoratur enim ubicunq; locum inuenit diductioni idoneum. at multo aliter Vergilius,niſi cum ſimplex uideri uult. Atq; hæc quidē methodus. Dictio autem eadem quæ & pura, minimeq; affectatæ ſonoritatis. Poteſt tamen uſui eſſe,quando propriū uocabulum non ſemper ſuppetit infantibus,catachreſis.ut, *Dictio.*

Sæpe ſiniſtra caua prædixit ab ilice cornix. Non enim dicit aut loquiť cornix. & illud, —*Nunc omnis parturit arbor.* Item & factæ ab imitatione uocis:ut,Zith ἀπὸ τᾶς πίξας. & ruſticorum,cum ſint ruſticæ (quibus idem Theocritus abundat) ſic erunt,cuiuſq; uoces peculiares, & eædem ſimplices. ut Homeri ἀπαμειβόμενος, προσηύδα:& Iſocratis ἀδελφίζειν:Ciceronis illud, quanq; alioqui numeroſum,Eſſe uideatur.Et redemptoris noſtri:Amen amē dico uobis. neq; ēm alio dicēdi genere cōſtat ſermo CHRISTI,q; hoc ingenuo et ſimplici,ut omnib.hominibus, & maximè pauperib. & paruulis ſpiritu euangelizaret,quorū eſt regnum cœlorum. Ea ergo eſt,ut finiamus,dictio, quæ à pueris diciť particulariū rerū & uiſibiliū index, & propria:uel imperitorū imitatione tranſlata. ut quæ per metalepſin aliquando fiunt. Porrò autem enunciatio omnis ſit indicatiua,& imperatiua,& interdum optatiua, ſine aduerbiorū adiunctione:quoniam iſtud plenitudinē facit. Percontatio non omnino ſimplex uidetur,niſi ad ſuperiorem aliquo modo dirigatur:ut ſciſcitari,nō autem *Interpretatio.*

tem coarguere uideare Allœoſis autem arte non caret:ideo nullius hic uſus.multo minus etiam uniuerſalium atque infinitorum uocabulorum:quoniam nihildum poteſt infans generales notiones formare,qui obuium quencp hominem appellat patrem.atcp hoc quidem iam ſuprà declaratum in methodo quadam tenus. Verùm ſicut uniuerſalitas propria eſt dignitatis,ſic huius demonſtratio.
Hic tamen hac mecum poteris requieſcere nocte.
Proxima ergo ſequitur comprehenſio. Sed ab hac nihil planè accipimus,quod nexum ſit atcp compoſitum genus. hic ſimplex eſſe debet,& pura, prorſuſcp idiotica oratio. adiunctum uerò, & omnis exæquatio dicendi exercitationem prodit. Ergo præterquàm frequentatione, nunquam duo ſenſus ſeſe mutuò reſpicient. An non erat exæquata illa ſententia,licet me uatem dicant paſtores,non tamen ego ſum credulus illis? Sed uide quàm diſſoluit:
—Me quoq; dicunt
Vatem paſtores,ſed non ego credulus illis.
Geminatio tamen quoniam morata eſt,& ſine magna conſideratione,non obeſt ſimplicitati.ut, *Ah Corydon,Corydon,quæ te dementia cepit.* item,Memor eſſem? O Myſis Myſis. etiã nunc mihi ſcripta ſunt in animo, etc. Repetitur idem uerbum uariandæ dictionis inſcitia:
Sæpe malum hoc nobis,ſi mens non læua fuiſſet,
De cœlo tactas memini prædicere quercus:
Sæpe ſiniſtra caua prædixit ab ilice cornix.
Et fortè hoc mouit quoſdam Grammaticos, ut uerſum alterum ueru configerent, tanquam nothum. Sed ego germanum puto, & eadem ratione additum à poeta, qua ab illis reijcitur. Conſequutionis uitia,niſi uitia ſint,aut affectata imitatio urbanæ eloquentiæ, cum inconſideratè committuntur,poſſunt eſſe ſimplicia. Talia ſunt apud Comicos pauca. Sed metaplaſmus propè ſolus apud Theocritum dominatur:cui & nunc mimi omnes paſsim ſtudent,præſertim uernaculi. Sumunt enim ex uicinis populis deprauatas nonnihil uoces,quo riſum mouere queant. Coniunctio nulla, quę ſenſum exæquet,aut ſuſpendat, aut ab alio pendère ſenſu faciat:ſed apoſtaticè continuabit ſermonem. Hac de cauſa nec rationalibus locus erit:ſed in hunc modum dices: Audieram,& fama fuit. Copulatiuis tamen abundat potius,quàm alijs:& polyſyndeto,quàm aſyndeto.
Cõpoſitio. Ergo eadem,qua puritas, compoſitione utère, niſi quòd clauſulam cupit Hermogenes firmam & conſtantẽ, quia pendula trochaicacp magis dicet pulchritudinem.ſed parum laboro. Nam quæcuncp ceciderit non quæſita, illa conueniet. etenim & dignitas & circuitio, & diligentia,omnes ut pulchritudo ſimplicitatem tollunt.

De

De Calliditate, acumine, & ſubtilitate, *Cap.14.*

ETSI calliditatis nomen non adeò laudabile eſt, quàm δεινότης: quòd in malam partem à Latinis ſemper accipiatur: tamē deſtituti alio (qua penuria ſæpe laboramus) eo nunc abutemur ad huius formæ demonſtrationem, quæ & ingenij præſefert quandam acrimoniā, quam meritò timere poſſis: & animi præſentiam, atq; uſum circa ea omnia, in quæ uita hominum incurrit: ut facile ei ſit, qui hanc obtinet, te aliosq́; tui ſimiles deſpicere. Hanc comici in ſubdolis & ueteratoribus, ut ſeruis, lenonibus, meretricibus, paraſitis, cum dolo ſolent coniungere: ſicut & ſimplicitatem in adoleſcentibus & ancillis, cum innocentia. Contrà uerò cum uirtute priorem in Ithacēſi Vlyſſe, & cum ſtultitia ſimplicitatem in Therſite coniugauit Homerus, magno artificio. Itaq; ut toto cœlo mores illorum differebāt, ita & orationes: huius quidem ſimplex & uana, illius prudens & acuta. Non loquor enim de calliditate hominis, cum calliditatem hic nomino, ſed orationis. Nam ſi Homerus δεινὸν, ideſt grauem, ſeu (ut interpretati ſumus) callidū & aſtutum fecit Vlyſſem, non tamen ubiq; introduxit callida utentem dictione: ut neq; Cicero, aut Demoſthenes, ambo quidem δεινότατοι λέγειν, & uehementiſsimi oratores. Sed contra Verrem Cicero, contra Marcum Antonium, contra Piſonem, & alijs multis in locis, cum ſit callidiſsimus: in Philoſophicis tamen dialogis plerunque acutus tantum eſt, interdum ſubtilis: non rarò etiam ſimplex, ut in Epiſtolis. Et quidem Hermogenes negare non poteſt, quin ueteres Græci in ea ſignificatione uocem hanc δεινὸν acceperint, atque interpretati ſint per φοβερὸν, καὶ μέγαν, καὶ ἰσχυρὸν: ideſt, terribilem, magnum & robuſtum: qualia habentur, mors, exilium, calamitas, tam mala quàm bona. Et ſæpe ponitur cum reſtrictione: ut τὴν ἰσχὺν δεινὸς, δεινὸς τὰ ἐρωτικὰ, δεινὸς λέγειν. Eſt & Epithetum Imperatorum ducumq́; ſtrenuorum, quicunq; excellunt unde ad oratores deriuatum eſt, qui altis excogitatisq́; ſententijs, cum ductu, et dictione magnifica populo eſſent admirationi. & Plato in Ione interpretibus idem tribuit: τί δῆ ποτ' (inquit) περὶ ὁμήρου δεινὸς εἶ, περὶ δὲ ἡσιόδου, οὐδὲ τῶν ἄλλων ποιητῶν; Demetrius, quē imitatus eſt Hermogenes, fecit hunc characterem omnino uehementiæ & grauitatis, non ut Hermogenes decori. Et neſcio ſanè, cum Hermogenes in oratione Socratis omnes prorſus dicēdi formas inueniſſet (quem alioqui δεινὸν appellatum fuiſſe certum eſt) ideo in denotete omniū figurarum cumulum poſuerit: nō tam ad decorum orationis reſpiciens, quàm ad calliditatem & peritiam eius qui ſic in unum potuit tam multas dicendi ſpecies coegiſſe, & in unum corpus tantam uarietatem cōpegiſſe. Quod ſi ita eſt, amplector equidem inuentum:

ſed deſidero aliud genus,in quo mores conſtituamus callidi & acuti hominis,atq; ſubtilis. Nam & hoc in rerũ natura eſſe certum eſt, ut ex dictis patet. Quare mutuantes ab Hermogene uocem hanc Denotetis, nos cum calliditate duas alias coniungemus,ſubtilitatẽ & acumen,Græci uocãt δριμύτητα καὶ ὀξύτητα. & quemadmodum cæteræ formæ, figuræq; dicendi,ſententia primùm, deinde tractatione fiunt: ſic & hæc primùm ſententias componit ex rebus difficilibus & paradoxis, hoc eſt quas homines cum fateantur non eſſe uulgares,nec uulgò receptas,tamen fiducia ingenij uel doctrinę nõ deſperat orator ſe poſſe cõſequi. & ſubtiles quidem ſunt definitiones diuiſionesq; philoſophicæ,& ſyllogiſticæ demonſtrationes: ut Epicteti documenta, τῶν ὄντων τὰ μὲν ἐστὶν ἐφ' ἡμῖν, τὰ δ' οὐκ ἐφ' ἡμῖν.
» Callidę aũt omnes cõiecturę,difficiliores. ut, Enimuero Daue nihil
» loci eſt ſegnitiæ,neq; ſocordiæ,quantũ intellexi modò ſenis ſenten-
» tiã de nuptijs. Quæ ſi nõ aſtu prouidentñ,me aut herũ peſſundabũt.
» Fiunt quoq; ſentẽtiæ ex irriſione alterius, & cõtemptu. ut, Hic nũc
» me credit aliquã portare fallaciã. Et rurſum: Commoui. Ac talia quidẽ ſunt omnia Diogenis ferè. Quòd ſi res nõ tam uerè difficilis ſiet, quàm uerbis oſtenditur: tum calliditas dicetur ſuperficialis,nõ uerũ acumen: cum ſcilicet res nõ admodũ profundæ cogitationis, aut planè ſtultas,ita enarramus,perinde ac ſi eſſent difficillimæ: aut licet quidem tales ſint,nõ tamen ita ſentimus. Vt cum Dauus quaſi ſeriũ quid adferens,longè tamen loquitur ab animi ſententia: & ſen
» tentias affert,quibus ipſe non credit. Dum licitũ eſt illi,dumq; ætas
» tulit,amauit: tum id clàm: cauit ne infamiæ ea res ſibi eſſet,ut uirum
» fortem decet. Contrà ſuperficiale,nec uerum acumen eſt, cum ingenio perquàm ſtupido ſe putant quidã magni aliquid excogitaſſe.
» ut, Thraſo loquitur apud eundem poetã: Fundam nunc nimis tibi
» uellem dari,ut tu illos procul hinc ex occulto cederes: Facerent fugam. Itaq; & Dauus etiamſi alibi omnino callidus,ubi tamen ſubſidia dicit,nõ ex animo,ſed fictè, ſupina quadam utitur,nec uera calliditate. Et Thraſo quia ſibi uidetur ſubtilis, cum nihil minus ſit, ſubtilitate nõ uera ſibi placet. Quanquã certè non minus acuti eſſe poſſumus in re facili, cum diligentia ponitur in tractatione: ut habetur Perſius ob metaphoras & metalepſes atq; allegorias, quibus in rebus facillimis & uulgaribus uſus eſt. Ideoq; circa ductũ & tra-

Methodus. ctationem non minus ponendam hanc putarim. Methodus ergo ſeligetur figuratus: maximè uerò per emphaſin. ut, *Et campos, ubi Troia fuit.* Eo pacto fit,ut in re difficili ſimplex puraq; appareat: in facili, figurata. Cum ſibi cauet aduerſarius, obliquè ingrediemur. ita Socrates callidiſsimè ſuam philoſophiam probare uiſus eſt: & Diogenes,uocabulorum ambiguitate ſæpe luſit. Sed quia narra-

tionis

tionis præcipua eſt diluciditas: ideo exiſtimarunt nonnulli, nunq̃
callidè narrandum. Sed falſo. Quid enim prohibet? an nõ potes ſu
ſpiciones ſpargere? an non argutè diſtinguere tempora, loca, cau-
ſas & alia? Imo uerò Dauus in re prorſus deliberatiua, narrãtis for
mam ſubiens, quod alioqui obſcurũ erat, & à iuuene uix percipien-
dum, tanquam narrando explicuit. Hic nunc non dubitat, quin te «
ducturum neges: uenit meditatus alicunde ex ſolo loco: orationem «
ſperat inueniſſe ſe, qua differat te. proinde tu face, apud te ut ſies. «
Haud dubium tamẽ, quin hæc calliditas maximam uim in proban-
do habeat. Qua de re, figurarum acutiſsima eſt occupatio, & ſæpe
callida. Nam ſiue ut doceas te negligere dicta aduerſarij, & ipſum
aduerſarium: ſiue ut rei difficultatem oſtendas: omne genus occu-
pationis uſurpari poteſt. Rem & perſonam contemnit Cicero. In
qua tandem ciuitate hoc homines ſtultiſsimi diſputant? Difficulta «
tem declarat in ſuperiori exemplo Dauus: Nec quid agam certum «
eſt, Pamphilum'ne adiutem, an auſcultem ſeni. Si illum relinquo, e- «
ius uitę timeo: ſin opitulor, huius minas: cui uerba dare difficile eſt. «
Animi porrò uerſutiam illæ in primis occupationes arguunt, quæ
alterius conſilia & uoluntates uidẽtur prænoſſe, et mores aliorum
notare. ut, Audireq́; eorum eſt operæprecium audaciam. Item, «
Et fingunt quandam inter ſe nunc fallaciã. Item, Certè hercle nunc «
hic ſe ipſus fallit. Et Cicero: Video ubi ſe iactaturus ſit Hortenſius. «
Deinde probationum requiſitio & redargutio. ut idem: Renũcia-
tum eſt: nam quî tibi iſtæc incidit ſuſpicio? Licetq́;, ut in alijs, etiam «
hic, non uerum acumen fieri: nempe ſi malè arguas. Tertiò igitur
reſponſiones breues acutæ ſunt, eædem & callidæ eſſe poſſunt. ut
cum dixiſſet Simo, Atq; expectabam quidem: acutè ſimul & callidè «
ſubijcit Dauus, Præter ſpem euenit. Palàm uerò callidæ, quibus
interrogantem contingit perturbari. Vt eodem loci aliæ, et Dioge
niana ſcommata. Quartò, paróde omnis ſubtilis uidetur, etſi non
item callida. Præbet enim liberalioris inſtitutionis argumentum.
Quapropter ut ſententiæ frequentes ſemnæ ſunt, ſic prouerbia σεμ-
νὰ, & à dignitate longè abeũt. quia nullum exiſtit abſq; ironia pro-
uerbium. Eſt autem frequẽtiſsima in calliditate diſsimulatio: quod
uel unius Socratis ingenium declarat. Quæ uerò per irriſionem &
ironiam, morata ſimul eſt, & callida. Idem eſto iudicium de conuer
ſione ad ſermonẽ generalem, quod de parode. Præteritionis & re-
ticentiæ omnes breues ſunt, & acutæ. Communicationem autem,
quòd ferè ad errorẽ inducat aduerſariũ, magis exiſtimo callidam,
quàm acutã. ut, Te uti in hac re magiſtro uolo. Quæro ſit'ne aliqua «
huius actio, an nulla? nam & contemptus in ea manifeſtus eſt. Po- «
teſt tamen fieri ſimplex, ubi nullus error petitur. Sic & fictę reticen

R 2 tiæ,

tiæ,& correctiones ironicæ. Nam ut ſemel dicam, figurarũ callidæ
ſunt natura ironiæ: occupationes acutæ. Commoratio poteſt ſubti
lis uideri aliquando: quoniã ſubtilis & docta oratio diſciplinarum
uariarum quaſi colore tingitur,& memoriæ ueteris cognitione. E-
thologia autem prorſus callida. Niſi enim qui et ipſe calleat animo,
nemo aliorum poteſt imitari mores. Sed exempla ironiæ & etho-
Dictio. logiæ ex ſuis cuiuſq; locis petes. De dictione igitur, atque onoma-
ſia, ita ſentiendũ, ut parua & translata acuta ſit: aliæ tropæ callidæ,
quę uolũt aliquid efficere. Sed onomatopœia,& inæquales dictio-
nes, & metalepſis omnis, ſubtiles ſunto. Nam ſicut in metaphora
uis ingenij maior, præſentiaq; apparet: ſic in alijs cura maior, ac dili
gentia, quam ſine arte doctrinaq; fruſtra adhibeas. Ex his factæ al-
legoriæ, hoc eſt cõtinuus tropus, quoniam cum uſu rerum, ingenij
uim declarant, callidæ ſine dubio haberi poſſunt. Nec diſsimile eſt
ænigma. Horum exempla multa apud Perſium: quem longè petitę
metaphorę obſcurum fecerunt. Vbi illud monere non piget: ſi abſ-
que periculo argutiæ ex metalepſi cupis tollere obſcuritatẽ, fac ut
durior futura translatio, ex conſequutione priorem imitetur ac re-
ferat. ut illa:

—Cum carmina lumbum
Intrant, & tremulo ſcalpuntur ubi intima uerſu.

Interpre- Sequitur ergo interpretatio, de qua ita præcipio. Si per ſciſcitatio-
tatio. nem fiat, acuta eſt: proxima huic, quæ per iuſsionem. Verùm ſi in-
terrogatio aut iuſsio occupandi cauſa adhibeantur, tum certè calli-
ditas extabit ex conſilio: quales apud Platonẽ multæ interrogatio-
nes,& apud tragicos comicosq; iuſſa. Duplex negatio ſubtilis eſt,
& acuta interdum. In ſubtili nulla ſynonymia eſt: quòd imperitiam
arguat penuria proprij uocabuli. Argutiæ porrò in omni fiunt al-
lœoſi, ſed obſcuræ. Verbi autem in nomen, & adiectiui in abſtra-
ctum,& ſimiles mutationes, ſuſpectæ eſſe ſolent imperitis. Siquidẽ
obſcuritas harum mutationum cùm dicendi uſum, tum rerum ma-
gnam peritiam præſefert oratoris. Quis enim unquam ex agro in
urbem ueniens, hoc aut loquatur, aut intelligat, Magnitudo digni-
tatis? Idem cernimus in quantitate, ſi generaliter loquare: & hac
magis in reſolutione. Exempla non inculco: Quoniam ſiue talia ue-
rè ſint, ſiue tantum eſſe uideantur, omnia quæcunq; ſuo loco dedi-
mus, huc puta pertinere. In omni ſeiunctione acumen eſt: & eo qui-
dem maius, quo breuior celeriorq; redditio. Atq; hæc quidem, ſi di
ligentior uideatur, hoc etiam ſubtilior. Vt συζυγίæ: præter contra-
ria, & aduerſatiua,& enumerationem atq; relationem. Callida eſt
omnis ſyſtrophe: unius membri ad plura: ſubtilis. patet enim, quia
excogitatam atq; exquiſitam ſententiam continet. Eſſe poteſt calli-
da

da cpembole,non ex ſe,ſed ratione ductus. In omni porrò iteratio
ne ſubtilitatis argumentum cernitur: maximè uerò in gradatione,
& luſu. Inceptio eſt amentium, non amantium. Callida item ſimul «
epibole,& arguta:quia motum animi & impetū quendam unà cum
arte confingit.eodem modo & ploce.Quis eos produxit? Appius. «
Ex innouatione nihil huc ſeruiet,niſi manifeſtè appareat figuræ ſtu
dium.Nam ſi figura lateat,quorſum affectatio? Ideo tantum ſubti-
les exiſtimentur,quæ imitationem redolent, & doctrinæ aliquem
ſaporem. Idem'q; ſentio de coniunctione. In compoſitione autem Cōpoſitio.
primū ordo obliquus,nō ſubtilis,ſed callidus putetur.Recti nanq;
una ratio eſt,obliqui nulla,uel certè multiplex:& uerſuti,obliquare
non ſolum ductum,ſed & conſtructionem ſolent. ut, Prorſus à me «
opinionem hanc tuam ego eſſe amotam uolo. Quanquam pleraq; «
tamen dicunt rectè: ne quod faciunt, facere uideantur,uelle impo-
nere.Nihil enim (ut opinor) magis ſuſpectum,quàm perturbatio,
obſcuritas'q; ſermonis. Iuncturæ nullam habeo rationem:quia ca
ret moribus.Membra autem, quanquam nec ipſa mores habēt:ta-
men ſicut in humano corpore, ex aliorum animalium comparatio-
ne ſæpe ingeniū & animi propenſiones declarant:ſic uerſuti uiden-
tur omnes ambitus,& ſubtiles articulationes,in quibus artis ac dili
gentiæ ſpecimen appareat. ut, Si quantum in agro locis'q; deſertis «
audacia poteſt. Commenſurati præterea numeri, cura concinnita «
tis,plena modulatio, omnia hæc tam ſubtilia exiſtunt,quàm uenu-
ſta;ſed minimè tamen opportuna in ſubtili argumento, ut ſæpe di-
ctum eſt. Ac de ſecunda quidem idea moratæ orationis dictum ſit
hactenus.Hanc triplicem uidiſti:ſiquidem ſubtilitatem arte defini-
uimus, acumē natura atq; ingenio, calliditatem aſtu uerſutia'q; con
ſilij. De quibus omnibus quid alij præceperint,non admodum la-
boro.Nam & errorem Iſocratis pleriq; ſequuti, quod huius figuræ
proprium fuerat, multa paucis, & pauca multis dicere, totius artis
rhetoricæ finem arbitrati ſunt:in quo non ſatis uiderunt acutè. Eſt
autem & huius loci, ſententias ſenſus'q; profundiores ſimplici ſer-
mone,& cōtrà e diuerſo exponere: ſiue id callidè fiat, ſiue argutè &
ſubtiliter: ſiue acutè, & cum celeri mentis præſenti'q; agitatione.
Exemplum argutæ atq; ſubtilis poſuit Plato in oratione Pauſaniæ,
quæ definitionibus & diuiſionibus philoſophicis referta eſt, ac di-
ſtinctionibus,tum refutationibus opinionum aliarum,interpreta-
tionibus legum, paradoxorum poſitionibus, nominibus à
materia remotis:longa etiam interdum inſeri-
tur comprehenſio.

tu,& quæ ſequuntur. Et illud Hyperidis, At ego Iudices ſummũ & legitimum ius meæ cauſæ quod expoſui, iam omitto: uobis quod æquiſsimum uidebitur, ut conſtituatis, permitto. Communicamus cum uulgo: ut, Quid enim nobis duobus laborioſius, iudices. Item cum noſtris: ut, Fortuna quæcunq; erit tua, ducã meam. Cum Iudicibus: ut,

Si mea cum ueſtris ualuiſſent uota Pelaſgi.

Cum aduerſario:

Tu maior, tibi me eſt æquum parere Menalca.

Ex proſopopœia, quæcunq; ſunt cum beneuolentia coniuncta, quemadmodum libro tertio, cum de exordio ageremus, traditum eſt: ut quòd cedimus impotentiæ aduerſarij: quòd coacti agimus: quòd de iudicum fide nõ dubitamus: quòd neminem affecimus iniuria. Cæterùm hæc nõ methodi, ſed ſententiæ humanitatis erunt. Verùm ex proſopopœia illas accipiet ἐνδοιάσεις, quę cum addubitatione proferuntur. ut, In iudicio uerò, & in eo concilio in quo ex cunctis ordinibus ampliſsimi uiri iudicarent, nunquam exiſtimaui ſpem ullam habituros Milonis inimicos, &c. Hæc eadem efficitur, cum illa uerba apponuntur, Mihi uidetur, quæ mea eſt ſententia, non putabam. Eódem quoque pertinent affirmationes cum aduerbijs iurandi, Equidem, profectò. Modeſtia enim hæc inter ſimplicem & callidum ſtylum cum poſita ſit media: magis tamen ad ſimplicitatem uergit atq; inclinat, quàm ad alterum. Et Platoni οἱ ἐπιεικεῖς omnes uidentur eſſe εὐήθεις, καὶ εὐεξαπάτητοι ὑπὸ τῶν ἀδίκων. Quare pura minimeq; affectata dictione utẽtur. Talis eſt apud Terentium tota oratio Mitionis. Nec interpretatio alia, quàm quieta, mitis erit. Adeò autem hoc uerum eſt, ut ſi quod uehementer enunciari poterat, hoc quietè proferas, modeſtus euadas. ut, Quorũ clamor, ſi quis fortè fuerit, admonere uos debebit, ut eum ciuem retineatis, qui ſemper genus hoc hominum clamoresq; pro ueſtra ſalute neglexit. Quanta cum indignatione poterat hoc erumpere? Ergo comprehenſio fiet uel maximè ea, quam declaraui ἀσεπτυλὺν. ut, Quos habere certè nõ liceret, ſi uti illis nullo pacto liceret. Item, Sed ſi illius inſidiæ clariores hac luce fuerint, &c. itẽ, Quæ quidem ſi potentia eſt appellanda, &c. Nec mirum, ſi exordijs idonea eſt: tum propter beneuolentiam, tum propter circuitionem hanc diſtaticam. Cætera puritatis ſunto. Quanquã enim Ciceroni ſæpe ſplendoris & plenitudinis compoſitio, & concinitas, ſelecta eſt in datis his exemplis: non tamen ut propria modeſtiæ: quia (quod ſæpe dixi) mixta ubiq; magno oratori quærenda uiſa eſt figura ſermonis. nec unam, in ſcriptis præſertim ciuilibus, apparere ſuſtinuit, quin protinus admota alia quaſi confunderet atq; perturbaret. Quae-

Interpretatio.

quidem arte præter natum ad eloquentiam ingenium, arbitror ademiſſe poſteris omnem ſpem imitandi ſui. Peculiaris ergo uirtus in ſententia & tractatione hæc erit, ut de propria humilitate apertè ſineq; hæſitatione ulla, ſed tamen modeſtè loquamur: de gloria uerò, cum dubitatione, uel extenuatione: contráq; de aliena gloria apertè & ſecurè: de uitio autem, dubitando, aut cum extenuatione. Atq; hæc quidem hactenus de miti charactere, deq; tribus alijs: quos nõ diſpoſitionem, ſed habitum & inſitam more aut natura opinionem referre atq; imitari certum eſt. Sequitur iam alter, quem Græcè ἐνδιάθετον λόγον uocant, ab Ariſtotele: nos affectã orationẽ dicamus.

De ſuauitate, & delicijs omnibus orationis. *Cap. 16.*

NATVRAE conſuetudinísq; propenſiones ſubita perturbatio cum arguat (quanquam uel præter uirtutem moresq; familiares ſæpe contingit, ut inexpectatis caſib. moueamur) tamen ſi naturam reſpicias, & quæ de qualitate tradiderunt philoſophi: uel eiuſdem generis iudicanda eſt διάθεσις, id eſt affectus, & παθητικὸς λόγος, uel certè proxima moratę dictioni. Etenim ut in illa mores animi, ingeniumq; dicentis apparent: ſic in affecta dolor, aut uoluptas, quæ eiuſdem animi ſic ſunt præſentaneæ diſpoſitiones, ut illi habitus perpetui. Ergo de affecta oratione continenter dicendum. Licet autem motũ animi uultu geſtúq; ſignificemus, magis etiam flexu uocis uariò: tamen ſoli homini data cum ſit à natura oratio, lecta ſolũ uel abſq; actione querimonia Didonis Aurelio lachrymas excuſsit. Idcirco igitur fingendi huius ars tradenda: geſtus & uox, quæ ubiq; locorum cernimus, à uulgo repetentur, uel ab illis, qui in his exponẽdis multi ſtylũ exercuere. Nobis certè nòn tantum uacat. Orationis autem affectæ duo genera inuenio: unum lætantis, alterum mœrẽtis. Et lætantis quidem (εὐθυμοῦντος uocant) tota iucũda eſt, mollis, lepida, formoſa, alacris, delicata: res deniq; demonſtrat auditu iucundas, & aſpectu ſuaues, uoluptate (inquam) aliqua delibutas, & cum bonis iunctas fortunæ aut corporis. O' faciem pulchram: deleo dehinc omnes ex animo mulieres. Alia eſt è contrario aſpera, dura, moleſta, odioſa, languens. Incidit autem iucunda in capita primùm ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους, deinde in quantitatẽ. Sunt enim narrationes quædam lepidæ, in quibus peripetię agnitionesq; continentur: tum mores, tam ſimplices quàm uerſuti. Talis eſt Apuleij, & Ariſtophanis in Sympoſio. In quantitatem aliquando ueniunt proſopopœiæ delicatæ & molles. Ac molles quidẽ blandæq; fiunt omnes adulatoriæ. Tu'ne hic eras mi Phædria? & illa Medeæ:

Affectæ orationis genera.

Triſtis abis: oculis abeuntem proſequor udis:
Et dixit tenui murmure lingua, Vale.

Rurſus

Ruſus molles, ac formæ ſimul ſententiæ genus illud efficiũt, quod Græci ὡραῖον uocant, nos feſtiuum, formoſum ac uernans (quales ſuo tempore ſunt flores fructuſq́ fugaces) quando ſcilicet in uolu ptatis alicuius aut rei iucundę ſenſibus contemplatione moramur. ut in Cornelij Galli elegia,

Ibam per mediam uernali corpore Romam,
Spectandus cunctis undiq́ uirginibus.
Quaq́ peti poterat, fuerat uel fortè petita,
Erubuit uultus uiſa puella meos.
Et nunc ſubridens latebras fugitiua petebat:
Non tamen effugiens tota latêre uolens.
Sed magis ex aliqua cupiebat parte uideri,
Lætior hoc multo, quod malè tecta foret.

Sicut cibi enim & potus gratia uoluptas dicitur, quando aliud non conſideramus quàm gratiam, non utilitatem, non neceſsitatem uel ad ualetudinem, uel ad robur: ſic in ſermone cum ſint multæ charites, tunc ſolùm uoluptas definitur, cum neq; ueritatis, neq; perſuaſionis ratione habita, id unum petimus, nos uel auditorem delectare. Delicatæ uerò genus ἁβρὸν dicitur, cum titillatus uoluptate animus quaſi geſtit. ut, *O Hymenæe hymen.* & illud eiuſdem,

Urebat teneros aſtringere fortiter artus,
Uiſa per amplexus oſſa ſonare meos.
Grandia, clamabat, nimium me brachia lædunt:
Non tolerant pondus ſubdita membra tuum.
Dirigui, quantuſq́ fui calor oſſa reliquit.

Ac propriæ quidem iſtæ ſunt res, atque in uniuerſum ſpectandæ, quæ generant τὴν γλυκύτητα, id eſt ſuauitatem. Diſtinctius alij enumerant ſeptem. In primis uerò ſententias fabuloſas, ut de Androgyno: & quales in ſuam Metamorphoſin plurimas accumulauit Naſo. Sed non conueniunt oratori: quoniã ſimplicitas primùm oratori uitio datur: deinde leuitas, & omnis mollities, flagitij inſtar habent, ſi nuda exponas, nec ullo modo corrigas. Et γοργότης quidem atq; aſperitas, quæ ſimplicitati & delicijs aduerſantur, idoneæ eſſe poſſent ad hoc uitandum incommodum. Secundo loco narrationes ponunt fabulis affines: ut Troiani belli, & apud nos Rollandi, Amadiſij, & ſimilium. Sunt nanq; hæ non tam molles, quàm formoſæ atq; horæ. Tertiò, quæ cum fabulis mixtæ ſunt: ut Herodoti hiſtoria. Quartò, deſcriptiones rerum, quæ tum uiſui iucundæ cenſentur (quo modo dialogos ferè auſpicati ſunt Plato & Tullius & alij) tum alijs ſenſibus feſtiuæ, & gratæ. Quibuſcunq; enim delectatur corpus, eadem audire iucundum eſt: concentus uocum, prata uirentia, ædificiorum elegantiam, ut illud,

Pictus

„ *Pictus acu tunicas & barbara tegmina crurum.* & illud,

—Fotum gremio Dea tollit in altos
Idaliæ lucos, ubi mollis amaracus illum
Floribus & dulci aſpirans amplectitur umbra.

Ea propter ſermones de amoribus ad hanc uel plurimũ conferunt:
molliores tamen, & delicatores, quàm formoſiores. Flectunt enim
& emolliunt (crede mihi) hæc natura animum. Quinto loco au
dire iuuat laudes ſuas, parẽtum, patriæ, liberorum. Adde fictiones
perſonarum, & dialogos. ut, —*Pontem indignatus Araxes.* Et quan
docunq; rei quæ ſenſu caret, aut ratione, ſenſus aut ratio tribuitur.
Quanquam ad tractationẽ potius hæc referemus, ſicut & poematũ
Ductus. ad mixtionem, & uerſuum effuſionem extemporaneam. Ductus
ergo eligetur ſimplex: qui quo magis ab arte procul abeſſe uidebi-
tur, eo magis arte quæſitus cenſeatur. Siquidẽ ſuauitas hæc (quam
dixi γλυκύτητα) omnino quædam exiſtimanda eſt τῆς ἀφελείας ἐπί-
τασις: exornata inquam, comptaq; ſimplicitas, & (ut ſic dicam) ma-
ior quàm pro natura ſimplicitas. Docet carmen Bucolicum, quod à
paſtoribus cantatur: fabulæ quoq; ſimplices ſunt, & communium
uulgariumq; ſententiarum: omniſq; ex uoluptate erumpẽs oratio,
præmeditatione caret. Ea re proſopopœias, & exclamationes ex
miti quodam ſenſu uoluptatis, titillationeq; uiſcerum delicatas nun
cupamus.

Quos humeros, quales tenui tetigiq; lacertos.

Fictiones autem rerum inſenſibilium, molles & feſtiuas:

Ipſi te fontes, ipſa hæc arbuſta uocabant.

Apoſtrophe ad eaſdem: ut apud Ouidium,

Amnis arundinibus limoſas obſite ripas
Ad dominam propero, ſiſte parumper aquas. Vt & apud Propertium,
Ianua uel domina penitus crudelior ipſa,
Quid mihi tam duris clauſa taces foribus?

Vno autẽ uerbo cætera ut dicam: ſi ſplendoris aliquid cum mol-
litudine iungãt, forma exiſtit illa feſtiua, quam ὡραίαν diximus. ut,

Huc ades ô Galatea, quis eſt nam ludus in undis?
Hic uer purpureum, uarios hic flumina circum
Fundit humus flores, hic candida populus antro
Eminet, & lentæ texunt umbracula uites.

Similitudines ex rebus iucundis cum ſimplicitate:

Tale tuum carmen nobis diuine poeta,
Quale ſopor feſſis in gramine: quale per æſtum
Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere riuo.

Et aliæ, cum ponuntur in fine. ut, Pariebant non in ſe mutuo, ſed
in terram, uelut cicadæ. nam ſi præcedat ſimilitudo, ſplendebit. ut,

Qualis

Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi. Nec aliæ comparationes. ut,
Nam neq; me tantum uenientis ſibilus auſtri.

Dixi enim duo capita ſeruire τῇ γλυκύτητι: expoſitionem & quantitatẽ. Quantitatis ſecundo libro factæ inter alias partes ſunt, comparatio & proſopopœia. Sumptæ igitur ex ijs rebus, quibus natura delectamur, ſimilitudines, comparationes, & proſopopœiæ, eædem uoluptate imbuent ſermonem, & pulchritudine quadam admirabili quaſi uernantem efficient. Sic hypotypoſis hæc,

Silenum pueri ſomno uidere iacentem,
Inflatum heſterno uenas ut ſemper Iaccho.
Serta procul tantum capiti delapſa iacebant,
Et grauis attrita pendebat cantharus anſa.

Mollis ergo oratio, ubi ſignificatio fit amoris & beneuolentiæ. Miſeram me: uereor ne illud grauius Phædria tulerit. Molles ſimul « & delicatæ translationes ex rebus chariſſimis: Ne crucia te anime « mi Phędria. Sic, meum corculum, meum ſuauium. Res quæ tantum « ſunt res, cum epithetis perſonarum, ſimiliter molles fiunt, ut delicatæ. ut,

Imbelles elegi, genialis Muſa ualete. item,
Nudaq; ſimplicitas, purpureusq; pudor.

Exclamatio cum ſenſu uoluptatis, delicata:

Quos humeros, quales uidi tetigiq; lacertos?
Forma papillarum, quàm fuit apta premi?

Voces ipſæ, tener, delicatus, mollis, ac ſimiles (niſi aliunde impediantur) talem faciunt orationem: ut contrà, durus, aſper, difficilis, rigidus. ut,

Unguibus & morſu teneri paſcuntur amores;
Uulnera non refugis, res magis apta plagæ.

Item illud molle eſt uno uerbo, cum ſint alia auſtera:

Peruigil ad noſtras aſtabat mane feneſtras,
Neſcio quid Græco murmure dulce canens. Et formoſum illud,
Docta loqui digitis, & carmina fingere docta,
Et reſponſuram ſollicitare lyram.

Ironia ergo, quòd à ſimplicitate aliena eſt, minus poteſt ſuauis eſſe: quanquam lepidè multa & urbana efficiat. Sed ſuauitas (uti dictum) ſimplicitatis additamentum eſt. Quare mollis blandaq; idea generatur, cum ſententiæ ineſt quædam erga alterum beneuolentia: Græcis εὔνοια dicitur. Exemplo declaremus, præter ſuperiora, Vergilij, & comparatione Thyrſidis cum Corydone:

Muſcoſi fontes (inquit Corydon) & ſomno mollior herba,
Solſtitium pecori defendite, iam uenit æſtas
Torrida, iam læto turgent in palmite gemmæ.

Hæc

Hæc quidem oratio mollis eſt planè, & blanda, præter unum aut alterum uerbũ quod cum aſperitate effertur, *Torrida, Solſtitium.* Pręſe nanque fert Corydõ neſcio quam humanitatem & beneuolentiam erga gregem ſuum: tum etiam uoluptatem ex cõmuni lætitia, quòd uenit æſtas. At uerò Thyrſis nihil horum cum habeat, ſimplex tantum eſt, & ſæpe moroſus.

Hic focus & tedæ pingues, hic plurimus ignis
Semper, & aſſidua poſtes fuligine nigri.
Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

Atque hæ quidem ſunt blanditiæ. Delicię autem, delicata inquam & tenera oratio ea eſt, quæ ex contemplatione (ut dixi) rei iucundæ, quaſique titillatione cordis erumpit:

Quos humeros, quales tenui tetigique lacertos.

Eadem ſine exclamatione formoſa ac feſtiua erit:

Ibam per mediam uernali corpore Romam,
Spectandus cunctis undique uirginibus. Item & illud,
Populus Alcidæ gratiſsima, uitis Iaccho,
Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo.
Phyllis amat corylos: illos dum Phyllis amabit,
Nec myrtus uincet corylos, nec laurea Phœbi.

Suauitas ergo ex una fit ſimplicitate, ut & omnis ſermo ὁ ἀδόλητος. Conſtat itaque, non poſſe ironiam ſuauem fieri. Occupatio autem, ſi præmeditata accedat, eodẽ modo obſiſtit ſimplicitati. Itaque parodæ illæ, quæ fiunt per paraplocam (ut, —*Audaxque iuuenta*
Tityre te patulæ cecini ſub tegmine fagi. &,
Verſus quos olim uates Faunique canebant.
Tum uerſuum extemporalis fabricatio, & ſpontanea, ut principiũ libri Ciceronis de Senectute) omnes feſtiuitate delectant. Sequitur, ut dictio eligatur nõ translata omnino. Etenim metaphora niſi in promptu ſit, quæſita longius non delectat. Sic uno uerbo ex delicata facta eſt hæc ſplendida:

Ambroſiæque comæ diuinum uertice odorem Spirauere.—

Sed poteſt non moleſta eſſe, ob ſignificationem rei lætæ, ſi parũ recedat à ſuo ſenſu. ut, *Omnia nunc rident.* quæ magis pulchra eſt, quàm ſuauis tamen. Facta uerò ad imitationem rei nomina multum iuuant. ut, *Ad ſuam dominam uſque pipilabat.* Et quæ per metaplaſmum deformantur. Cum enim ſit poetica dictio omnium ſuauiſsima, nulli magis hanc figurãt quàm poetæ. Vt illud ex Sappho, ἀμφὶ δὲ ὕδωρ ψυχρὸν, κελαδεῖ δι' ὕσδων μαλίνων. pro, ὄζων καὶ κλαδῶν μηλίνων.

Sed Græcis multum concedimus: quorum poemata dialectorum commixtione probantur: noſtri, ſi quando, *Da iungere dexteram, Indu*

perator,

perator, aut *dicier*, aut *relligio*, aut *tetulit*, ſcripſerunt, non tam laudari quàm excuſari uolunt, ob neceſsitatem. Diminutiua uerba eadem ſunt & ſuauia. Vt Catullus:

Veſtra nunc opera meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli.

Et deſideratiua: —*Nunc omnis parturit arbor.* Imò uerò omnia paragomena: *Quàm mellitus erat.* —Enunciatio in ſuauitate non una eſt: ſiquidem putamus teneram omnem optatiuã, alias non item. poteſt enim mollis eſſe indicatiua, & alterius modi. Aduerbia, ſicut & epitheta, magnam hic uim habere cenſeo:

Dic mihi quid feci, niſi non ſapienter amaui? Demonſtratio quoque ſimplex: ideo poteſt & ſuauis multis eſſe modis:

Hic uiridis tenera prætexit arundine ripas
Mincius. —Interrogatio cum aſpera ſit, multum obeſt mollitudini:

Hic nemora in domibus, ſacros imitantia lucos,
Aurataq́ue trabes, marmoreumq́ue ſolum?

Vna nimirum interrogatio magis obeſt, quàm colliſio uocaliũ, & ſigma duplicatum, & trium ſemiuocalium in una uoce commixtio. Atque hæc quidem ex enunciatione ſumes. Ex adiuncto autem & cõprehenſione, non niſi quæ nobis cõceduntur à ſimplicitate: præter antitheton, in quo hæreſis ſubſequat̃. ut, Pariebant non in ſe mutuò, ſed in terram. Nam noſtra uetus non hęc erat quæ nunc eſt, ſed ab hac diuerſa. itaq; non eſt diutius inhærendum interpretationi. Nã ſi omnis innouatio poetica eſt, ideo & ſuauis eſſe poteſt. Sequitur Compoſitio: cuius partes in primis exigũtur, ut in pulchritudine, iunctura & harmonia. Etenim ordo & membrum è ſimplicitate petes, præſertim ordinem: quia membrum ex modeſta dictione interdum longius poteſt in formoſo charactere fieri, modò appareãt ſeparationes. Inter uocales ergo molliſsima eſt E, magis etiam ſi iungatur cum i. Cõpoſitio.

Paſſer deliciæ meæ puellæ,
Qui cum ludere, quem in ſinu tenere,
Cui primum digitum dare appetenti.

Cum ſit enim omnis mollitudo tenuis (quanquam non ediuerſo) uocales omnes exiles uſui erunt, & Ouidius exemplo. hic enim pariter et mollis & tenuis ubiq; reperitur: et à uocalibus illis latioribus abſtinentiſsimus.

Nux ego iuncta uiæ, cum ſim ſine crimine uitæ,

Omnes ſunt exiles atque ſtridulæ. Nam o, & a, quæ ſemel poſitæ ſunt, etiam breues elegit. Atque hinc iudicato de reliquo poemate. Ex mutis molliores ſunt, quæ mediæ dicuntur inter tenues & aſpiratas. Cauendum autem, ne frenis retineatur prolatio. Quantum e-

nim de ſuauitate ſententiæ aſpera hic ſtructura detraxit:
Stant & iuniperi, & caſtaneæ hirſutæ,
Strata iacent paſſim ſua quæq; ſub arbore poma.
Contrà uerò in minimè ſuaui, quantum deliciarū eadem mollis iunctura fecit:
" *Aret ager, uitio moriens ſitit aeris herba,*
" *Liber pampineas inuidit collibus umbras.*
Mutarum porrò, quæ cognatæ ſunt uicinitas, inſuauis erit: ut B, & P, & F. Quocirca & i cōſonans, appoſita T aut C. ut, *Strata iacent.* Dictiones quoq; æqualium ſyllabarum fugiēdæ, & quæ per ſe extant atq; apparent. id enim aſperitatis eſt propriū. ut, *Strata, iacent, paſſim, ſua, quæq;.* De numero autem qui ſuauitatem pariat (quoniam in capite de dignitate, & pulchritudine, & in uniuerſum de numero tractantes orationis, multa dixi) etſi mollem nihil perinde dictionem facit, ac numerus, hoc ſolum repetemus, Dactylum, Anapæſtū, & Pæonem, formoſos eſſe: Epitritum tertium, delicatum: mollem uerò, Ionicum, & Choriambum, & Trocheū. Quoties deniq; ex longis in breues decumbit rhythmus (*Et qui cæruleū dirimebat Nerea Delphin*) mollis ſequitur compoſitio. Sed clauſulam non ſic mollem putabimus, quæ pendula ſit, ut pulchram. Omnino enim dignitatis, ſplendoriſq; firma ſolidaq; baſis periodi retinenda eſt,
Et ſuperiecto pauidæ natarunt Aequore damæ.
Quamobrem poteſt eadem ſuauis & ſplendida nuncupari, & florida: quia (ut ſemel dicam) iuncta ſplendori pulchritudo hanc procreat. Quam quicunq; etiam ſectati ſtudio fuerunt, id unum uidentur in animo habuiſſe, ut ſuaues iudicarentur. Ergo in uenuſta ac florida oratione quemadmodum uerba ſingula cōiungi debent, ita ſeparari periodi: ut ſicut illa continenter læuius currunt, ſic hæ ſeorſum ſingulæ cerni, & quaſi commenſurari queāt. Quod data ratione conſequimur: nimirum ſi ultimæ ſyllabæ periodi & καταλήξεις firmentur, & ſubſiſtant ſolidius: reliquarum uerò dictionum nulla cum manifeſto tempore aut tono ualde extante appareat. Nam ut aſperum eſt propter tempora ſyllabarum, *Inde thoro pater Aeneas:*— ſic, quia inſenſibiliter & liquidè fluit, *Temperet à lachrymis*, ſuaue eſt & formoſum. Melos deniq; delicatum eſt Mixolydium. ut, *Paſſer deliciæ meæ puellæ*: uſq; ad illud quod Lydium eſſe poteſt, *Veſtra nunc opera meæ puellæ.* Æolium magis uernat: quod in exemplis ſuperioribus obſeruare potes. & in pleriſq; genus illud Chromaticum, quod molle dicitur.

De

De Alacritate. Cap.17.

DELICATAE proxima eſt alacritas, atque exultãs gaudio character: uoca, ſi lubet, *φαιδρότητα*: cum ſcilicet tu- *Phedrotes.*
multuariè perturbatéq; ſenſus uoluptatis, cum geſtu ue «
hementi lætitiæ prorumpit. ut, Dij boni boni quid porto? Deliciæ quidem uoluptatem arguũt, ſed qualem pudor uel metus uix patitur proferri: alacritas etiam geſtu, & fronte propè perfricta deblaterat. Quamobrem (ut paucis hanc formam teneas) ſi gorgotetis tractationem, cum ſuauitatis rebus componas: hoc ge
nus fiet, quod dixi alacre. Nunquis hic eſt? nunquis hic me ſequit? «
nemo homo eſt. Iam ne erumpere hoc licet mihi gaudium? prò Iupi «
ter? nunc eſt profectò interfici, cum perpeti me poſsim: ne hoc gau- «
dium contaminet uitę ægritudo aliqua. Sed neminem curioſum in- «
teruenire nunc mihi, qui me ſequatur quoquo eam, cogitando ob- «
tundat, enecet, quid geſtiam, aut quid lætus ſim: quò pergam, unde «
emergam, ubi ſiem ueſtitum hunc nactus, quid mihi quæram: ſanus «
ſim, an'ne inſaniam? Et illud: Ædepol Syriſce te curaſti molliter, «
lautéq; munus adminiſtraſti tuum. Abi. Et illud Propertij: «

O me felicem, ò nox mihi candida? ò tu
Lectule delicijs facte beate meis?

Ergo habeat iunctura frequentes ſynalœphas: ordo rectitudinẽ: membra conciſionem: harmonia ſeueritatem.

Βαρύτης, ſeu grauitas. Cap.18.

NIHIL perinde ueriſimile, quàm ſermo ex ſubita atq; improuiſa paſsione erumpens. Sed inter paſsiones, quę cũ moleſtia atq; triſticia iunctæ ſunt, eædem ſunt & ad hoc efficaciores. Siquidem dolor magis ſentitur, quàm uoluptas, & minus admittit diſsimulationis. Hoc igitur fit oratio maximè ψολάβετος καὶ βαρὺς. Eſt eñ grauitas duplex. una, moroſa quædam, & cum tædio iuncta ſententia, quæ neq; benignum quid, neq; iucundum, neq; illuſtre habet: ſed odium, mœrorem, acerbitatem, morum deniq; quandam *αὐθάδειαν*, id eſt contumaciã, & ueluti pertinaciam ſententiæ, aptam ſenibus moroſis, militibus, peregrinis, perſoniſq; barbaris. Alia modeſtior. prioris naturæ eſt oratio Demeæ apud Terentiũ, Menedemi, & Simonis. Sunt enim ſenes querului, auari, morum uitæq; alienæ cenſores, putidi, ſuſpicioſi: Milites autem & homines barbari, contumaces in ſententia, paucorum uerborum, nihil non ſine magna de ſe perſuaſione & aliorum contemptu loquentes. Vt apud Platonẽ Ægyptius: Solon, Solon, uos Grę- ci ſemper pueri. Eſt nanq; horũ ſermo ſimplex: hoc eſt, nihil habens inſidiarũ, abſq; circuitu, nec tamẽ humilis. Itaq; Vegetius de re militari, militari more conſcripſit librũ, elegantiſsimè. nam ſententioſus *Grauitas duplex.*

eſt, & breuis, & planè αὐθάδης. Cum iactantia, nec ſine tædio illud
» dictum eſt ab Oratore: Omnibus in terris & iam uerſatur, & ſem-
» per habitabit nominis mei gloria. Graue & illud poetæ,

O præſtans animi iuuenis: quantum ipſe feroci
Virtute exuperas, tanto me impenſius æquum eſt
Conſulere.—Itaq; querelę, increpationes, exprobrationes, contume-
liæ, minæ, ac ſimiles parum benignæ ſententiæ, huc conquirentur.
» Ohe ſcelus. item, Tun' ſi meus eſſes, exemplũ omnibus curarem ut
» eſſes. item, Dĳ ueſtram fidem: Vtrum ſtudio'ne id ſibi habet, aut
» laudi putat fore, ſi perdiderit filiũ? Ve miſero mihi. Videre uideor
» iam diem illum, cum hinc egens profugiet aliquò militatum. Ap-
pellari poteſt hic ſermo græcè φορτικὸς, id eſt importunus & perti-
nax. idem auſterus eſt, & aſper: nam cum aſperitate tractationis mo
res habet difficiles: & ſententias uulgares & triſtes, expoſitas ali-
quando cum dignitate, aliquando cum importuna repetitione. A-
» poſtrophæ igitur frequentes hic fiunt ad perſonã. ut, Chreme, tan-
» tum'ne eſt ab re tua ocium tibi, Aliena ut cures, eaq; quæ nihil ad te
» attinent? item, Mihi ſic eſt uſus: tibi ut opus eſt facto, face. Et quo-
niã maximè tum morati, tum uehementes atq; aſperi ſunt σχετλια-
σμοί, id eſt abruptæ & impræmeditatæ exclamationes: ideo & hu-
ius generis figuræ eligent̃, quæ abſq; præmeditatione aut præſigni-
ficatione ſubitò tædium aliquod demonſtrant. ut, Prò Iupiter? dir-
rumpor. Hæccine flagitia? Dixi aũt, Abſq; præſignificatione: ne
tam cogitaſſe, quàm imprudenter uerbum effutiſſe uidearis, & in ea
incidiſſe imprudens, quæ ſimplicitatis erant. Sic non grauis erit
» hæc, ſed alterius generis: Carnifex ſi me ſenſerit illũ quæritare, nun-
» quam dicet. Sed in contumeliã quaſi incidens grauiter excanduit:
» Si me ſenſerit illum quæritare, nunquam dicet carnifex. Item, In i-
pſa turba, atque in ipſo peccato maximo, potaſti ſcelus? Omnia
hæc importunam & contumacem quandam grauitatem habent: u-
nius aſperi ſermonis tam ſententias quàm ductus. Quòd ſi ſine con
tumacia, ſed cum modeſtia iungantur ſchetliaſmi: tunc altera ſpe-
cies fiet grauitatis, quam nos uocabimus ταπεινότητα, Latine hu-
militatem. ut,

Heu quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt
Accipere? aut quid iam miſero mihi deniq; reſtat?
Cui neq; apud Danaos uſquam locus: inſuper ipſi
Dardanidæ infenſi, pœnas cum ſanguine poſcunt.

» Illud ex miſericordia etiam humile eſt: Ego propter me illam deci-
» pi miſeram ſinam? Et illud ex odio:

Vna in præcelſa conſedit rupe Celæno,
Infelix uates.— Ex quo ſequitur, ut omnis uera reticentia & abſci-
ſio

ſio grauis exiſtimetur. Quin & præteritiones: ubi quaſi tui immemor in longiorem ſermonem ueneris, ut reuocari te oporteat.

Sed quid ego hæc nequicquam ingrata reuoluo.

Et correctio, quæ argumentationis cauſa fiat. ut, Non iſtud, imò uerò illud. Item, Vide quid ais, uide inquam ne, &c. Et quæcunque ad principium reuocant orationem ſine cataſtaſi. ut, Iſtud fecerunt, & iſtud: ſed illud fieri oportuit. Sic preces et iuſiurandum, ſi in ipſa incurras, & omne epiphonema φορτικόν eſt. ut,

—Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames? Item,
—Ipſe arduus, altaque pulſat
Sidera. Dij talem terris auertite peſtem.

Epicriſes illæ dubiæ in rebus certis, & confeſsis, etiam φορτικαὶ putentur. ut, Ego autem puto uirum fortem non debere fugere. Eſt enim hic ironia, quæ nec riſum, nec beneuolentiam aut gratiam uenatur. Hinc fit, ut idem poſsint uerba in nos ipſos contumelioſa: ſiue id per ironiam, ſiue alio modo. ut, Videlicet me latronem ac ſicarium abiecti homines & perditi deſcribebant. Item, Nec tam ſum demẽs, tamque ueſtri ſenſus ignarus atque expers, ut neſciam quid de morte Clodij ſentiatis: de qua ſi iam nollem crimẽ diluere, ut dilui, tamen impunè palàm clamare atque mentiri liceret. Hoc etiam, Mentiri, planè ex impetu, nec ſatis præuiſum excidit. Omnis ergo ironia, qua noſtra extenuamus ſupra modũ, aut aliena extollimus contra mentẽ noſtram, grauis eſt, & importuna: uel humilis & demiſſa, pro ſenſu animi. Vt etiam illud, Cuius de morte tanquam de ceremonijs uiolatis quæritur.

Egregiam uerò laudem & ſpolia ampla refertis,
Tuque puerque tuus.— Talis eſt omnis hoſtilis atque acerba irriſio. & exprobratio cum cataſtaſi, atque epiphonematica illam refert, quam dixi, αὐθάδειαν. ut, Res loquitur Iudices, ipſa quæ ſemper ualet plurimum. Item, Vbi nunc Senatus eſt, quem ſequuti ſumus? ubi equites Ro? Et recriminatio illa, Et ſunt qui de uia Appia queruntur? taceant de curia. Interpretatio ſimplex eſto, atque aſpera: quales in- *Interpretatio.*
terrogationes ἐλεγκτικαὶ. ut, Age ſit ita factum. quæ cauſa cur Romam properauit? cur in noctẽ ſe contulit? Et demonſtrationes, & iuſſa: Vos iſtæc intrò auferte: Hic me amare ſimulat. eſt enim uerax demonſtatio, quòd quaſi rem oſtendat oculis. Congruit autem mirum in modum ſyndrome, quam uocat Hermogenes: modò frequens fiat, & ſubita, & ſine cataſtaſi aut cõiunctione ad obiecta reſponſio. ut, Quis eos poſtulauit? Appius. quis eos produxit? Appius. unde? ab Appio. Dij boni, quid poteſt agi ſeuerius? Item, At

in qua cauſa non potuiſſe? quæ eſt grata gentibus. A' quibus non potuiſſe? ab ijs qui maximè P. Clodij morte acquieuerũt. Quo deprecante? me. Quod nam concepi tantum ſcelus, aut quod in me tantum facinus admiſi Iudices? omnes in me meoſq; redundant ex illo fonte dolores. Cæterùm in his ratione membrorũ & harmoniæ multum de ſeueritate detractum eſt. Siquidem in miſericordia (quam ἐλεεινολογίαν uocant) non aſperitate uerborum aut compoſitionis, ſed magis ſuauitate utendum eſt. Quod orator certè non ignorauit. In cæteris ergo dictiones eligentur aſperę prolationis, & translatæ: maximè uerò à rebus ſenſibilibus, & uulgo notis: ut à membris corporis, & partibus. O' Solon, Solõ: Gręci ſemper pueri, nec tempore unquam caneſcitis. Factæ quoq; ex tempore. ut, furcifer, maſtigia: & quorum eſt apud Plautum magna copia. Sed in graui atq; importuna, cum impetu debent facta hæc uerba atque noua ta ferri. Secus enim non ſeuera, ſed humilis fiet potius, aut ſimplex tantum. ut, Gaudebat uocari maſtigia. Coniunctionum diuerſarum multiplicatio animi contentionẽ ſequit̃: à qua abhorret Que, copulatiua: quia uel ſtructuræ curam atq; ſtudium indicat, uel diligentiam. utrunq; abeſt à ſeueritate. Ordo rectus, hiulca iunctura, membra breuia conciſaq;. Periodus enim minimum pathetica eſt Dionyſio. Excipe tamen preces & ἐλεεινολογίας: quæ in humilitate poſitę, longis tardiſq; omnibus utũtur. Sunt enim, Homero autore, preces claudæ, rugoſæq;. & argumentum huius rei ſenes homines præbent: qui propter corporis imbecillitatem prolixi, circunductiq; fiunt, & in narrando multi. Quanquam nõ tam periodica, quàm extenſa & plana compoſitio, in humilitate deſiderabitur. ut,

Cui neq; apud Danaos uſquam locus: inſuper ipſi
Dardanidæ infenſi pœnas cum ſanguine poſcunt. Item,
Quod te per ſuperos & conſcia numina ueri,
Per ſi qua eſt quæ reſtat adhuc mortalibus uſquam
Intemerata fides oro, miſerere laborum
Tantorum: miſerere animi non digna ferentis.

Verùm obiurgatio breuis, quodq; maximè pugnax ſit breuitas, oſtendunt beluæ, quæ paululum ſe decertaturæ contrahunt. Non aliter quoq; ſermones quidam quaſi in ſpiram flexi, contractiq;, fortius feriunt.—*Non ſi ipſe meus nunc afforet Hector.* Vt ergo numerus à ſuauitate & ſplendore abeſt, ſic & oratio à concinnitate: niſi, quod iam monui, miſericordiam aut opem poſtules. Quoniam hic omnia ſuauia, & meli genus enharmonicum aut chromaticum molle eſſe ſolet. Exemplũ huius rei cum exhibuerim in capite de Melo, ſuperſedebo. Igitur grauitas, quam græcè βαρύτητα, non autem δεινότητα nuncupauimus, hæc eſt: moroſa inquam plerunq;, & ſem

per

per cum tædio iuncta oratio. Qua de re uocari interdum comperi ἐμβριθῆ, interdum φορτικὸν, ſæpe αὐστηρὸν: id eſt importunum, moroſum & difficilem, & acerbum: aliàs etiam ταπεινὸν, id eſt, humilem. Sed ſi cum decoro perſonæ reiq́ue coniungatur, iure non poteſt reprehendi: quoniam amplificationibus uis detracta ſit, niſi hac ipſa idea excitetur. Graues ergo ſtili ſunt duo, φορτικὸς καὶ ταπεινός.

Probabilis argumentoſaq́ue idea. Cap. 19.

VERITATEM quam uocant, nos uериſimilem dictionem, ex tribus fieri generibus, ſuprà dictum eſt: claritate, moribus, & probabilitate. Cum itaque duorum formæ compertæ ſint, reliqua eſt tantũ probabilitas. Hanc græci uocant πιθανότητα. In qua uim ſuam potiſsimum retinet, & dominatur, ſuadendi illa apud ueteres celebrata dea πειθὼ: Ennius Suadam, Horatius Suadelam nominarunt. Solet autem hæc in narrationibus deſiderari ſæpiſsimè: in probationibus autẽ, denſa quadam confertaq́ue argumentorum ui uix diſſentiendi locum, imò ne cogitandi quidem aliquid aliud, auditoribus relinquit. Hac de re partes eius feci duas. Vnam pono in accommodatione, & ueluti conſonãtia elementorum omnium inter ſe: ut perſonæ, temporis, loci, & ſimilium: & uocant nonnulli πραγματικὸν χαρακτῆρα. denſat enim, & cogit multas circunſtantias, & ad minima quæque deſcendit. Probabilitas.

—Labat ariete crebro
Ianua, & emoti procumbunt cardine poſtes:
Fit uia ui, rumpunt aditus, primosq́ue trucidant.

Alteram, in ſermone moribus perſonę idoneo: ſcilicet ut temerè loquatur puer, ſolicitè mater, & perturbatus exclamet, ut,

Nanque ut conſpectu in medio turbatus, inermis
Conſtitit, atque oculis Phrygia agmina circumſpexit.
Heu quæ me tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt
Accipere.—

Vel apta compoſitione uerborum, quaſi res audiatur. Non ſolum enim perſonæ moribus cõuenire neceſſe eſt dictionem, ſed etiam rebus. Indicio illud eſt, quòd idem homo in eadem animi cõſtitutione manens, & iiſdem moribus, ſi aliqua narret quibus interfuerit, nõ eadem tamen utitur ubique compoſitione: ſed uocibus imitatur ea quæ uidit, non tam ſtudio aut arte, quàm natura, & ſenſu ipſo. Quid enim ſcripſit Vergilius, in quo non cernas τοτὸ πρέπον?

—Scandit fatalis machina muros,
Fœta armis.—

An non quaſi oculis tarditas illa primùm ſpondei, deinde moloſsi, & literarum antitypia, trahentium conatũ, ipſiusq́ue machinæ pondus & reſiſtentiam oſtendit? *Scandit fatalis*: uix poteſt ſubduci, ut mihi quidem uidetur. Deinde, quaſi in decliue aliquod

 protra-

protracta,paululũ decurrit dactylo & ſpondeo: *Machina muros.* Rurſum reſiſtens (ut fieri ſolet) ſuccumbentibus moli uiribus hominum,ſubſiſtit iterum: *Fœta armis.* Nec tantum ſubſiſtit ratione pedũ, ſed etiam laſsitudinem trahentium,& interceptionem ſpiritus colliſione uocalium expreſsit. Item illud quod ſequitur:
Illa ſubit, mediaq́ minans illabitur urbi.

An ſyllaba, nans, non ueluti pendentem, & tanquam ſuſpenſam anteriorem partem equi oſtendit? Mihi quidem ſic uidetur. Nam literæ N natura ſurſum ſpiritum trahit,& linguam palato ſuſpẽdit. Tum quies facta inter hanc & ſequentem dictionem, motum diremit: ut paululum ex eo loco proſpectaſſe totam urbem undiq; arbi-
» treris. Iam poſt hæc, poſt paruam inquam quietem, quàm prona
» ruit? *Illabitur urbi.* Sed & quantam uocum aſperitatem, quantumq́; horrorem in his quæſiuit quæ natura ſic erant?
In ſegetem ueluti cum flamma furentibus auſtris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens,
Sternit agros, ſternit ſata læta, boumq́ labores,
Præcipitesq́ trahit ſyluas. Stupet inſcius alto
Accipiens ſonitum de ſaxi uertice paſtor,

Hic ſi numeres dictiones, non tam multas inuenias, quàm multos habent frenos literarum, & renitentiæ aſperitates. Flamma, furentibus, auſtris, torrens, rapidus: omnia hæc aſpera ſunt, & furorem imitantia: Montano, uaſtum: In flumi prima ſyllaba inſuauis. Sternit, aſperũ eſt: tum natura caninę literæ, tum antitypia eiuſdem cum N. Iam agros, eadem ineſt. *Agros ſternit*, quàm aſperum frenum? *Sternit ſata læta:* diſsyllabæ dictiones tres, duę uaſtę, una aſpera. Boumq́; mugitum refert, & ſonitum, quem inter montes referũt cataclyſmi. *Præcipitesq́.* nec deeſt hic rictus caninæ literæ. Nec ulla conſonans eſt mixta ſuauior, aut liquida. Quin etiam uocales ipſæ ſtridulæ, minimumq́; iucundæ ſunt. *Trahit ſyluas.* antitypia T & S L & V, conſonãtis: & pluſquam agreſtis expreſſa natura ſemiuocalis, S. Quæ ſequuntur, nõ tam horrida uidentur, quàm affecta. Stupet enim cum breuitate ſyllabarum, & tenuitate conſonantium, ac uocaliũ ingratitudine, ſpiritum tanquam defeciſſe docet, paſtoris illius, quem ſolitudo etiam ipſa deterrebat. *Inſcius alto:* ſuauius eſt, & dignum miſericordia. Sic & mœſtum quod ſequitur ob uocalium triſticiã: *Accipiens ſonitum de ſaxi uertice paſtor.* Adeò hæc apta ſunt, ut etiamſi nihil probabilitatis cauſa dictũ ſit, ſed tantum euidentiæ: tamen ipſa tractatio omnia ſecerit credibilia. Quid illud?
Vix poſitum caſtris ſimulacrum, arſere coruſcæ
Luminibus flammæ arrectis, ſalſusq́ per artus
Sudor yt: terq́ ipſa ſolo (mirabile dictu)

Emicuit,parmamq́ ferens,haſtamq́ trementem.
Si expendas,ſanè credas hæc ab Sinone non tam dicta,quàm timo-
re atq; horrore ſignata. Ergo decorum in dictionis compoſitione
quoddam eſt:ut etiam ſonus ipſe literarum,atque interſpiratio fre-
quens,aut rara rei naturam exponat. Ea cauſa Cicero exiguas uo-
ces accumulans,muliebrem certè moram expreſsit· Pauliſper dum «
ſe uxor (ut fit) comparat,commoratus eſt. Atq; hæc quidem una «
ratio credibilis orationis:ut apta ſit moribus perſonæ dictio, dein-
de apta negotio.& uocatur à Latinis decorum. Aliter ergo loqui Decorum.
tur Æneas,etiam ſi ſui ipſius ſermonem referat,cum inquit,—*Mo-
riamur,et in media arma ruamus:*&,*O' lux Dardania,ſpes ô fidiſsima Teucrûm.*
Conueniebat enim ut illic ex furore iraq́; ſimul concitus ac præpe-
ditus, dictionis continuitatem dirimeret,magnaq́; ſimul intonaret
(quod uocalium partim colliſio, partim amplitudo cõſequuta eſt)
hic autem mollitudo requirebatur:quia commiſeratio & lamenta-
tio ſuaues ſunt. Itaque quanquam nec in,*Moriamur, & in media arma
ruamus*, neque in,*O' lux Dardania,ſpes ô fidiſsima Teucrûm*, aliquid huius
ideæ conſtituas:tamen ſic ea exponens Æneas in narrando, ſine du
bio decorum tenuit.Nam quemadmodũ eadem uoce Roſcius non
agit Dauum qua Pamphilum, nec Glycerium qua Simonẽ : ita nec
poeta horum ſermones eadem uocum cõpoſitione eloquit̃ : quan-
quam ineptitudo minus in iunctura deprehendi poteſt,quàm in a-
ctione. Ergo ut paucis quæ doceo reſumã:credibilis ideæ una ſpe-
cies eſt aptitudo,πρέπον Gręcis:cuius uitium ineptitudo. Altera ue
rò εἰκὸς, id eſt conſentaneum. Et illa quidem apta eſt moribus per-
ſonæ,rerumq́; naturæ eloquutio. Conſentaneum autem in circun- Conſentaneum.
ſtantiarum congruentia,conſenſuq́; cernetur,& argumentis:nimi-
rum cum elementa hæc ſic inter ſe coniungũtur, ut nihil opinioni,
uel hiſtoriæ,uel naturæ repugnet. Alioqui enim ineptum ſit,ſi frau
des tribuas Ariſtidi,ſtupiditatem uulpi:ficus in Hirlandia naſci di-
cas : aut bellum Punicum eodem anno ceptum eſſe, quo Romulus
urbem deſignauit. Hæc enim omnia,ſi opinionem uel naturam re-
ſpicias,nullo modo circunſtantijs conueniunt. Quare nec ſunt con
ſentanea,nec ullo modo credibilia. Neq; uerò hic poni uolo credi
bilem ideam.Siquidem poteſt ueriſimilis eſſe oratio ob circunſtan
tiæ conſonantiam:non tamen ueriſimilis idea. Sed cum oratio hoc
præ ſe fert,quod aliquando reuera eſt,tunc idea ſequit̃:nempe cum
multæ in unum coguntur circunſtantiæ.& uocari poteſt argumen
toſa,ſi pluribus refarciatur rationibus & argumentis. Vt enim con
ſentaneũ & probabile eſt à temerario factam cædem, à cõpto adul-
terium:ſic appoſita hæc negotio, probabilitatẽ gignent. Proinde
quoniam figurarum omnium potiſsima in ciuili narratione eſt πι-
θανότης:

θανότης:cura atque attentione magna opus eſt, ut mores ſemper ali qui in perſonis appareant, quibus ueriſimile fiat, quod de perſona narraueris. Id obſeruaſſe atq; præſtitiſſe præter cæteros Lyſiam, autor eſt Halycarnaſseus. Sed eiuſmodi occupatio probabilis ideæ locus erit, ſicut & omnes ex loco, tempore, & alijs præmiſſæ. Etenim ut conſentaneũ eſſet Græcorum claſſem apud Tenedon, deſertum locum, latuiſſe, præmittit:

Eſt in conſpectu Tenedos notiſſima fama
Inſula: nunc tantum ſinus, & ſtatio maleſida carinis.

Hac protacaſceue ſolent ueris falſa miſcere: & Sinon mentitur, uera quædam ac nota commemorans:

Fando aliquid ſi fortè tuas peruenit ad aures.

Ergo cõſentanea hæc forma atq; εἰκὸς, uti dixi, quoniam iungit cum circunſtãtijs pluribus negotium, à quibuſdã Græcis dicta eſt πραγματικὴ, hoc eſt negotioſa: ab alijs uerò ἐπιχειρηματικὴ, hoc eſt argumentoſa. Fit enim aggreſsionibus multis, & confertis: nunc præparationibus & πλεοναςμοῖς: nunc expolitionibus eiuſdem argumenti uarijs: nunc circunſtantijs multis in unũ coactis. Vocatur etiam hæc tenax propoſiti. Multas, imò uerò omnes circunſtantias in unam ſententiam hanc coniecit Sinon:

Illi me comitem & conſanguinitate propinquum
Pauper in arma pater primis huc miſit ab annis.

Duæ enim perſonæ, Pater, & me: cum circunſtãtia etiam perſonæ, Pauper: negotium, miſit: modus, comitem: ἀφορμὴ, conſanguinitate propinquum: In arma, finis: huc, locus: primis ab annis, tempus. Nihil prætermiſſum eſt. Itaq; præparationes primùm in hoc genere fiunt per quæcunq; capita: ut confitendo, —*Nec me Argolica de gente negabo:* meditando, *Mirabile dictu:* promittendo, *Cuncta equidem tibi rex, fuerint quæcunq;, fatebor Vera:* ac alijs. Item confirmando, ut relatione, ita ferunt: —*Ita digerit omnia Calchas, Haud ignota loquor.*— Epicriſis: ut, Iuſtum eſt, Non abhorret à uero. Cauſis: ut,

—Sæpe illos aſpera ponti
Interclusit hyems, & terruit auſter euntes. Finis: ut,
Neu recipi portis aut duci in mœnia poſſit,
Neu populum antiqua ſub relligione tueri. Logiſmus:
Nam ſi ueſtra manus uiolaſſet dona Mineruæ.

Commoratio etiã, in eiuſdẽ argumẽti expoſitione dixi, idẽ poteſt:

Nam ſi ueſtra manus uiolaſſet dona Mineruæ,
Tum magnum exitium. & quæ ſequuntur.
Sin manibus ueſtris ueſtram aſcendiſſet in urbem,
Vltrò Aſiam, &c.— Facile igitur ex his habes, quis eſſe debeat credibilis formæ ductus. Nam ſi figuratus eſt, ne figura ullo modo appareat,

pareat,ſed ſimplicitatẽ præ ſe ferat: ſin ſimplex, ut ex animo & moribus proficiſcatur. Figuras tamen probabiles ducemus, prolepſin & cõmorationem: uoces quoq; naturales, niſi ſonus ipſe literarum plus aliquid poſſit quàm ſignificatio: Interpretationem ſimplicem. In argumentis autẽ multa ſupponemus, & ratiocinabimur. Membra uerò componet hoc genus breuia, aut recta. Omnis enim cura & circuitio, quanto plus artis, tanto minus habet ueritatis. Atq; idem eſto iudicium de numero: ut ſit inquam diſſolutus, & rei tantum naturæ ſimilis: non εὔρυθμος, neque pulchritudinis affectatæ. Atq; hæc quidẽ de ueriſimili oratione: quã Hermogenes ἀλήθειαν, ideſt ueritatem nuncupauit. In qua tres ipſe formas comperi: claritatem, mores, & probabilitatem. Hanc græcè dixi πιθανότητα: quã ſi rurſum diuidas in aptam & conſentaneã (nos πρέπον καὶ εἰκὸς notauimus) quatuor prodibunt ueritatis ideæ, iuxta rationem illam mirabilem, quæ nos uſq; ſequuta eſt, & tantopere adiuuit. Quare finis ſit huic libro.

DE ORATIONE
LIBER SEPTIMVS.

PROOEMIVM.

INTER alia ueterum Thebarum monumenta, Memnonis celebratur ſaxea effigies, quæ ſolis orientis primùm icta radijs, uocalem ſonũ redderet. Res admiranda profectò, ſed non adeò credibilis: quando uox nulla fit abſq; motu, & impulſu aeris. Quæ nam igitur organa tantus fingere potuit artifex, in graui duraq; materia, quæ ad aſpectũ ſolis moueretur, antea immota? Si uegeta ſole gauderet, breui utiq; defeciſſet: collabente paulatim cum ſpiritu uitali, & ſenſu. At fiunt ad imitationẽ naturæ uentorũ, anguſto ore ænea uaſa, quæ igni admota flatum emittunt, & aliquandiu ſibilant. Hac ratione quia uigent in Ægypto ſolis ardores quàm maximè interdiu, noctu uerò ſudores, non pauci frigore cohaleſcũt: denſatus intra ſtatuam aer per noctem, cum manè reſoluitur, illam reddere poteſt ſpeciem ſonitus, quam potuit cõmentari architectus. Ergo perexiguam: nec tanto miraculo dignam, ut inter præcipua numeraretur, ſi alia conſideres. Sed ſentio PHILIPPE REX, allegoriam eius rei magis dignam commentarijs, quàm ipſam rem. Fiunt enim multa, propter ſignificationem magis celebrata, quàm propter ſubſtantiam. Et hæc quidem imago homines ſignificat, quos alioqui ſaxeos, principum & regum fauor, tanquam ſplendor, ubi primũ col

luſtrarit,

luſtrarit, uocales facit,& diſertos. Atque id genus quidem multos
iam Maieſtas tua effecit: quorũ ſcripta dignitatem gloriamꝗ tuam
apud poſteros longè perſonabũt. Nec mirum eſſe debet, ſi ego eo-
dem ictus ſplendore, non minori curioſitate artificium iſtud omne
orationis perueſtigare contenderim, quàm alius fortaſſe Memno-
nis effigiei: cum ſit maiori admirationi habita ſemper oratio,& om-
nium ubiꝗ hominum in ſe uultus animosꝗ conuerterit, quàm ſimi
litudo ſemel animaduerſa. Erit ergo hic ſeptimus liber de ſcripto-
rum decoro : non inuentionis fortaſſe maximæ, ſed ut appareat ra-
tionem à nobis ſuſceptam ubiꝗ ſibi conſtare.

De Decoro. Cap. I.

OMNIS actionis ſumma perfectio decorũ eſt, quo ſubla
to, nihil rectum, aut in uita laudabile reperitur: ſed ine-
pta omnia, deformia, inordinataꝗ. nec aliud uitium at-
que peccatum arbitramur, quàm quod non decet, con-
traꝗ id factum eſſe uidetur quod oportebat. Sed de Decoro illo,
quod in rebus omnibus ineſſe debet (quod pro rerum, temporũ,
locorum,& maximè perſonarum ratione actionibus leges præſcri-
bit, modumꝗ tradit) nulla nobis hoc loco opera ſuſcipitur: quia
de oratione nobis, non alia actione hic ſermo eſt. Iſtud argumenti
quondam Tullius in libris Officiorũ generaliter tractauit, & Am-
broſius poſtea Chriſtianè. De officijs ſingulorũ uarij ſcripſere: ue-
luti de officio famuli, noſter Gilbertus: de officio epiſcopi, Chryſo-
ſtomus: de officio monachi, Baſilius: de officio principis, quàm plu
rimi. Sed neque de illo quod in oratione tenere debemus, reſpectu
perſonarum, locorum & temporum: quod ab ſcriptoribus omnes
exigimus quàm ſeueriſsimè. Hæc enim profectò uana eſt, nõ ſolum
infinita diſputatio: quam Quintilianus & alij multi confeciſſe ſe pu
tantes, multo plura relinquunt demonſtranda fugiendaꝗ uitia di-
cendi, quàm ipſi uirtutes tenuerint, atque præcepta rectè docendi.
Eius nanꝗ decori, cuius illi tam multa præcepta congerunt, ego na
turam hanc eſſe reor: ut niſi ſummo præſentiꝗ iudicio, et prudenti
(quòd naturæ beneficium eſt) inſtructus accedat, eatenus ad philo
ſophorũ ſcripta mittas Lectorem, ut ab illis petat aliquid quod in-
telligat, uel uotis apud Deum factis aſſequatur, ut coniectet in uita
quid ſit turpe, quid utile, quid nõ. Eloquentiæ præcepta hæc quã-
uis prudentiam naturalem adhibita exercitatione explicant, atque
perficiunt, non tamen gignunt. Sed affectatione multi decipiũtur,
& (ut Flaccus ait) ſpecie recti: qui ſe uidere id quod rectum & de-
corũ eſt arbitrantes, ſæpe falſi arguuntur. Sunt qui omnia dici uo-
lunt nudè ac ſimpliciter, & ſine luminibus eloquentiæ: quòd ueri-

tas

tas ſit (ut aiunt) contenta doceri. Alij contrà, etiam cum de tribus
capellis agitur,

Cannas Mithridaticumq́ bellum,
Et periuria Punici furoris,
Et Syllas Mariosq́, Mutiosq́
Magna uoce ſonant, manuq́ tota.

Quanquam ſi hos docere uelis, quid peccant, aut ubi decipiunt,
nihil proficias: nõ quidem magis, quàm ſi ægroto ſuadeas, ut quàm
optimum cibum & ſaluberrimũ iudicet quàm ſuauiſsimum. Miſ-
ſo igitur hoc iudicio (eſt enim prudentiæ uis naturalis, nec præce-
ptis concipi poteſt: ſi qua accipit incrementa, non ea methodis, ſed
uſu facit) de illo præcipiendum erit, quod in unoquoq; genere ora
tionis exquiritur & laudatur, & quod à maioribus obſeruatum eſt
uia quadam & ratione tradi. Repetentes igitur ab initio rationem
Decori, quę prima èſt in uniuerſum, ut actio ipſa rei, perſonę, finiq́;
accommodetur: cum ſit oratio actio quædam, tum deniq; pronun
ciemus id aſſequuturam hanc, cum maximè illis cõueniet, tamq́; na
turam rei quàm mentem perſonæ cum maximè interpretabitũ. Hoc
in Homero & Vergilio clariſsimis poetis obſeruarũt multi: ut non
ſolum ſignificatio ipſa uerborum ea expoſuerit quæ narrantur, &
ob oculos poſuerit, ſed etiam ſonus ipſe literarum & numerus audi
re fecerint quodam modo, id exemplis ſuprà docuimus. Quod ſi
ita eſt, quis amplius dubitat, aliud peti genus in tempeſtate deſcri-
benda, aliud in amplexibus? & aliud rurſum poematis decorum eſ-
ſe, aliud actionis? Nam præterquàm quòd perſonæ differunt, poe
ta etiam laudem tantum petit; hic aliquando ueniam, et fortaſſe ſup
plicium. Et poeſis non eandem habet rationẽ dictionis atq; ſenten
tiæ. Dictio enim hic nullo modo plebeia aut uulgaris, ſed uaria, et à
uulgi ſermone ſublata exigitur: ſententiæ uerò ſimplices, & ad mini
ma quæq; ſeſe ſubmittẽtes. Quod cum laudem maximo cuiq; poe-
tæ attulerit, non dubitamus etiam hoc ipſum inter præcepta refer-
re eius orationis, quam poeticam nuncupo. Ergo Decorum finia- Decorum.
mus, ut dictionis figura rei cõgruat quam exponimus. Rem autem
dico, poema, uel hiſtoriam, uel altercationẽ, uel aliud ſimile, ut poe-
ſis quæ Muſarũ et Apollinis eſſe perhibetur, à medio ſermone rece
dat, & ſeſe attollat altius. In populari dictione uaria ratio eſt. quo-
niam ſi ſedandi auditores, leuitas adhibebitur: ſi excitandi, conten-
tentio: ſi increpandi, aſperitas. Sed orationum genera quatuor cen Orationũ
ſet Iſocrates, in oratione de Permutatione. Vnam dicit, eorum qui genera qua
ſemideorum familias & genus inquirunt: aliam, eorum qui in poe- tuor.
tas philoſophantur: aliam, eorum qui res bello geſtas coegerunt: a-
liam demum, eorum quos uocant ἀντιλογικοὺς, qui in reſpõſionibus

& interrogationibus uerſantur. Sed præter hæc multa eſſe alia genera, non pauciora quàm ſunt poemata. Mihi uerò illa eadem nec plura eſſe uidentur. quod definiendo iam nominibus, & formis atque differentijs ſeparando ſtatim patebit. Sit ergo primum genus orationum earum, quas in ſcribēdo meditandoq; ſtylum ſæpe uertimus & mutamus: Politicum, latinè populare: alterū, philoſophicum, ſiue didacticum: tertium, hiſtoricū: ac præterea poeſis. Eſt autem ſuum cuiq; generi decorum. Id quærendum nobis eſt, ut rationem certam & uiam teneamus, tam in cenſendis aliorum ſcriptis, quàm imitandis. Et quidem omnium præſtantiſsima cum ſit popularis, et ad gerendam rempub. in primis neceſſaria, ſolaq; contineat inter homines ſocietatem: non ab re primum de ea ſermonem ſuſcipiemus. à qua deinceps exorſi, uiam ad reliqua ſtruemus, methodum'q; ordiemur cuiq; propriam.

De oratione politica. *Cap 2.*

Popularis oratio duplex.

DVABVS rationib. dici poteſt oratio popularis: uel quia ſtudium præſefert populi (qualis factioſorum hominū: & ea fortaſſe fuit Gracchi, Cæſaris, & Auguſti: contraria Catonis, & Appij Claudij) alia quæ ad captū populi accommodatur, non altas admodum, nec nimis excogitatas habens ſententias, ſed populares, & uulgo receptas. Cuius auditores cum ſint uarij, nec unius ſenſus aut ſtudij omnes: ideo uaria hæc eſſe debet, & multis figuris temperata, formaq; illius inprimis diues, quæ loco, tempori, & perſonæ cōueniat. Hoc autem oratorum eſt, quos Plato cum à ſophiſta diſtingueret: Sophiſtæ (inquit) breuibus diſputatiunculis priuatim & conciſis, eos qui ſecum diſputant, ſæpe deducunt, ut ſecum ipſi pugnare uideantur, ac diſſentire. qui uerò longa oratione poteſt apud populum continuare ironiam, is populo inſeruiens, orator dicitur. Quapropter altercatio ex Platone nō Oratorum, ſed Sophiſtarum uidetur: ea inquā diſputatio, quæ priuatim, fit minutis interrogatiunculis uiciſsim: ſiue id quidem cum artificio aliquo de iure, uel alijs rebus, ſiue temerè de re quacunque oblata. Ergo in populari dominabitur illa idea, quæ rei & perſonæ maximè conueniet: ſicut ueſtium ſumuntur diſcrimina pro decoro. Quàm indecorum eſt, (inquit Cicero) de ſtillicidijs, cum apud unum iudicem dicis, ampliſsimis uerbis & locis uti communibus: de maieſtate uerò populi Romani ſubmiſsè, & ſubtiliter. Si ergo ſedandi auditores, lenitas (ut dixi) dominabitur: ſi increpandi, aſperitas: ſi impellendi & excitandi, uehementia. In extollendis rebus, atq; exponendis, opus eſt non mœſtitia, ſed ſplendore rerum, & uerborum magnificentia ac pompa. Seruum quoq; non decent graues ſententię, nec ſenatorem ſcurrilitas: ſed iuxta cuiuſq; mores

(ſicut

(ſicut primo libro traditum eſt) antea iudicabis. De tempore & loco non aliud præceptū habeo, quàm quòd, ſicut tibia in luctu moleſta eſt, ſic hilaritas in mœſtitia, aſperitas in conuiuijs, & in iudicijs ſeuerioribus mollitudo. Hanc itaq; iam nō uulgarem amplius, nec popularem, ſed ciuilem orationem nuncupemus. Græci πολιτικὸν λόγον dixere, & pleriq; Atticam: ſiue quòd ſuſcipientem rempublicam, inſtructum ornatumq; ea eſſe oportet: ſiue quòd inter omnes Græcos, Atticorū eſſet uaria inprimis atq; ornata dictio. Eſt enim hoc loquendi genus, quod politicum dixi, uarium, terſum, elegans, plenum, omnibusq; ex ideis & dicendi formis, cōmixtum atq; conſtitutum: ut cum nullam non contineat, ita tamen in unam omnes coaluere ſpeciem, ut nullam per ſe ſolam diſtinctamq; iudicare poſſis. Nam neq; omnino affecta, digna eſt concione populi: neq; poteſt ulla ſine affectibus dictio apud multitudinem ualere. Ergo ex omnibus, uel ex pluribus ideis tēperabitur hæc oratio: nec una ſimplex unquam perſeuerabit, ſed mixta, uelut ex pluribus coloribus picta tabula. Idq; eſt, quo ſtilum dignoſcimus: quòd ex demonſtratis ſuprà characteribus unus aliquis extat maximè, atque cernitur. Quando itaq; imitari aut referre aliquam formam lubet, eius argumenti ductum, dictionem, interpretationem, cōpoſitionem & tropos imitamur: quando iudicare, an eius ſit autoris opus cui inſcribitur, ductum, dictionem, interpretationem, compoſitionē, & tropos examinamus, an hæc eadē retineātur, uel pro maiori parte diſferant. Itaq; qui Ciceroniani eſſe uolunt, præter cætera quædam propria Ciceronis uerba (ut Eſſe uideatur, ratio, reſpublica, & alia quædam) id in quo præcipuè copiam ille poſuit, reſolutionem inquam, & alternitatē, ſectantur. Qui pſalmos uolunt effingere, nomen Dei & Domini ſæpe repetunt, cum apoſtrophe, & tropis à rebus notiſsimis acceptis: maximè à partibus corporis, ut pedibus, corde, oculis, oſsibus, & alijs, cum ſimplici, ſed membratim inciſa compoſitione. Atq; hæc quidem ratio eadem eſt, quę cenſendi aliena, & emendandi ſua. Sic noſtra ætate pictorum clariſsimi, ut Michael Angelus Italus ex multa luce & albore facilè dignoſcitur ab alijs pictoribus: Albertus Durerus Germanus, ex umbris & parergis, & corporum craſsitie: omnesq; mutuo ſeſe agnoſcunt ex mixtione colorum, & luminibus & geſtibus quibuſdam: licet eadem pharmaca omnes terant, & argumenta eadem accipiant. Vt enim uultus hominum, ſic & manus diuerſæ ſunt, tam pictorum quàm poetarum: nec unquam duorum ſcripta penitus ſeſe referunt, nec duorum autorum pictæ tabulæ. Nec me pœnitet in hanc incidiſſe comparationem, de ſcripto & pictura. Quid enim orationi ſimilius, quàm pictura? Equidem quod alij de poeſi, id ego (ni fallor)

Ciuilis oratio.

Politicum dicendi genus.

aptius magisq́ propriè dixerim, orationem loquentem picturam eſſe: picturam uerò, mutam orationem. Itaq; ſicut multorum colorum commixtione unum argumentum in tabula exponitur: ſic multarum formarũ orationis in ſermone ſtylus. Et quidem ſi rectè computētur, nec plures eſſe ideas, nec pauciores exiſtimabimus, quàm colorum prima ſimpliciaq́ hactenus inuenta pharmaca. Sed exemplum huiuſce mixtionis ex Miloniana demus. Sunt enim exempla tanquam uades eorum quæ præcipiuntur. Quid enim nobis duobus laborioſius iudices? quid magis ſolicitum, magis exercitũ dici aut fingi poteſt? qui ſpe ampliſsimorum præmiorum ad remp. adducti, metu crudeliſsimorum exitiorum carere non poſſumus. Primùm (ut ordinem ſequamur, quem præcipiendo tenuimus) Diluciditatis figuræ, diſtinctio & euidẽtia in his ſunt, Nobis, duobus. Dignitas, in uniuerſali ſententia. illa enim interrogatio, Quid nobis laborioſius, uniuerſali æquipollet, Nihil eſt laborioſius. Exaſperatur autem dignitas eadem interrogatione: uehementiorq́ fit aſperitas per hæc uerba, Crudeliſsimorũ exitiorum. Quid autem? An nullus in his ſplendor? imò maximus, in uerbis illis, Ampliſsimorum præmiorum ad rem publicam. Adde iam quæ ſequuntur, inſurget Acme. Viget enim illud, & perfectionis ſummę quiddam aſſequitur: Qui ſpe ampliſs. præmiorum ad rempub. adducti, metu crudeliſsimorum exitiorum carere non poſſumus. Circumductum quoque idem membrum apparet ex obliquitate, & periodo. Diligentiam præterea in exæquatione uides, Spe ampliſsimorum præmiorum, metu crudeliſsimorũ exitiorum. Porrò autem celeritatem & gorgoteta an prætermiſit? non certè: ſed iteratione, & inciſis, & interrogatione cuncta concitauit: Quid magis ſolicitum, magis exercitum dici aut fingi poteſt? Ad hæc, morum primò ſimplicitas maxima in pronomine eſt, Nobis, & tota reliqua oratione: Laborioſius, magis ſolicitum et exercitum. Deinde calliditatem et acumen exæquatio ſignant, & exquiſitæ periodi, & correctio illa, Dici aut fingi. Iam tota oratio ingenua eſt, modeſtaq́: propterea quòd accepta iniuria nihil conuiciatur. Suauitatem uerò quantam, & delicias præ ſe fert totum membrũ, ad aurem quaſi modulatum, cum numero & harmonia: & multæ iũcturæ per eclipſin alacritatẽ? Grauis autem & moleſta eſt tota in primis proſopopœia: nimirũ querimonia. Probabilitatis genus præter hæc quoque non omiſit, ob ratiocinationem. Quid igitur? non omnes formæ in hanc coierũt? Quid autem prohibet, ſi in uno argumento omnes apparent, quin in diuerſis ſeparatisq́ membris perfectæ extantesq́ demonſtrentur? itaq; ſtudium curamq́ in eam rem adhibebit concionator, ut ex formis quamplurimis diuerſisq́ dictionem ita temperet, ut nul-

la ualde extans, aut nimis manifeſta deprehendatᷓ. Quoniam aliud nō eſt uariè, copioſe & ornatè dicere, quàm quod dicere ſolebat Anaxagoras, ὁμοῦ πάντα σχήματα: id eſt, ad uerbum, ſimul omnes figuræ. Sic illud adipiſcimur, (quod Iamblichus quoq; iubebat) ne breuitas ſit dilucida, nec diluciditas uulgaris, nec dignitas degener: nec deniq;, quod commune eſt, abiectum, atq; humile: ſed dignitatem quandam oſtendant omnia, atq; excellentiam, quam ſuo marte aſſequi aut imitari ſe imperiti poſſe deſperent. Porrò autem quamuis tritum loquendi morem ſequutus, & opinionem, ſpecies & genera dicendi cum coloribus naturalibus, quibus utuntur pictores, contulerim: non minus certè aut appoſitè, nec minori cum utilitate atque euidentia (ab ijſdem pictoribus ſumpto argumento) ex ideis exemplaribusq; imaginum, orationis ideas diſtinguemus. Habent illi, tam ſtatuarij quàm pictores, quinq; planetarum, ſeu (ut ueteres loquebantur) Deorum facies, omnium hominum ac mulierum, qui referendi eſſent, ueluti canones atque exemplaria. Hæc autem uel ſimpliciter imitantur, uel inter ſe commixta: prius tamen quàm miſcere tentent, accuratiſsimè exactiſsimeq; ſtudent unumquodq; horum per ſe & ſeparatū exprimere. Nam ſingulis ſeorſum probè expreſsis, facilè poterit deteriora quiuis ex mixtione aliorum perficere. Quæ'nam ſunt hæc? Virorum formas retinēt quatuor, Iupiter, Saturnus, Mars, & Mercurius: fœminæ autem una, Venus. Cum ergo uirum liberalem, ingenuum, uenerandum, facturi ſunt, Iouis faciem imitantur: cum triſtem, moroſum, maleuolum, auarum, Saturnum: cum animoſum, ardentem, iracundum, Martem: cum acutum, ſolertem, induſtrium, Mercurium. Delicias autem & uoluptatem in una Venere contemplantur & expendunt. Ad hæc pictor lucem addit, quam nullam habet tamen ſculptor, nec cælator. Luci uerò umbra opponitᷓ. Quare in tabula pręter quinq; ſpecies, neceſſarię ſemper Solis lux, & umbra Lunę. Eſt nanq; Luna umbrę effectrix magis quàm luminis, imò lux ipſa Lunę adeò certè confuſa eſt & permixta, ut quamuis omnia maximè uideatur illuſtrare, tamen umbram, ſi probè conſideres, citius uideas, quàm lumen. Habent pręterea planetæ illi geſtum quiq; ſuum, & motum. ſiquidem ſedentem faciunt Iouem: incuruum baculoq; nitentem Saturnū: ſtanten Martem: properantem Mercurium: Venerem deniq; cubantē plurimùm iuxta Cupidinem. Nunquid deſideras præterea? Habitum fortaſſe? Sed neq; iſto carent. ut nanq; eſt armatus Mars, & Iupiter ſeminudus cum candido & precioſo indumento: ſic nuda omnino Venus, pannoſus Cronos: cum talaribus, petaſo, caduceoq; Mercurius. Nec aliter quidem ſuauitas in oratione cum ſimplicitate tradita à nobis eſt ſuperius, neglecta grauitas: Modeſtia nec

Planetarū facies, pictorū exemplaria.

ſimplex prorſus, nec affectatè callida: Vehemētia autem atq; ardor eodem pacto aſperitatem prætendunt, ut Calliditas fucum, artem, atq; ingenium. Reſtat ergo plenitudo atq; ambitus: ſed hæc in parergis inuenias. Ergo in Ioue ſunt σεμνότης, μεγαλοπρέπεια ſiue λαμπρότης, & ἐπιείκεια: in Saturno, βαρύτης et ἀλήθεια, et Veritas filia Tēporis eſt: in Venere & Cupidine, ἀφέλεια & γλυκύτης: in Marte, τραχύτης & σφοδρότης: in Mercurio, δεινότης. Nec immeritò, credendum, interpres diuûm nunciusq; alacer exiſtimatus eſt. Sua uerò cuiq; gorgotes iam attributa. Accedat iam Solis claritas, quid ſuperest mihi ut circumquaq; aliquid extra argumentū cernatur? hoc eſt, proſpectus rerum longior, agrorum, montium, ſyluarum, fluminum? aut propior, ædificiorum? in quo opticæ ratio exigitur exactius, ut appareat Architectonica. Adeò autē uera ſunt hæc quæ dixi, ut talis cuiuſq; ſit oratio, qualis & pictura. Italorum omnes ſic

Picturæ uarietas. moratæ extant, ut uel pauciſsimis lineis & umbris, mentem ingeniumq; & motum ubiq; poſsis quaſi agnoſcere: nullis tamen parergis, aut certè pauciſsimis, quæ adduntur ex architectura. Contrà uerò Flandri (ſunt autē hi noſtris temporibus pictores celeberrimi) et Germani, ferè ſine motu moribusq;, paucas tantum perſonas, reliqua omnia remotiſsimarum rerum topia & parerga fingunt. Vocant hæc parerga Galli, quæ nos Topia, Paiſages. Nec alia eſt quidem utriſq; uis orationis. Italorū uiuit, & concinnitate ſæpe diſtinguitur, ſed preſſa, & exanguis: aliorum plena, circumducta, multaq; commentariorum farragine quaſi inpinguata adeò eſt, ut præter u-

Eraſmi Rot. præſtantia. nam copiam, nihil profectò ſit quod agnoſcas. Eraſmus tamen, ut naſutus à natura, cum obſeruandis hominum moribus non mediocre ſtudium adhibuiſſet (licet Bathauus) potuit ſanè ſupra ſuos etiam aliquid præſtare: ſicut & Cicero Afianitatem referre, natura glorioſus. Proueniunt ſub quocunq; cœlo exempla rara. Popu-

Concio. laris itaq; dictio cum in tribus cauſarum generibus cernatur, nulli dubium eſſe debet, quin & ſuum quodq; genus characterē ſibi uendicet, ac tueatur. Et Deliberatiuum quidem genus dignitatem, elegantiam & probabilitatem, & pro perſonæ moribus grauitatem, uel modeſtiam. Encomia magis temperabunt uariè multas formas: & ex magnitudine quidem accipient ſplendorem, dignitatem: plenitudinem autem non ſine diligentia: & ex moribus ſimplicitatem, cum omnibus delicijs. Sed uituperare niſi aſperè non licet. Nihil ergo aſperum, nihil uehemēs aut triſte in laudatione offendat: quoniam ad unam uoluptatem comparatur. omnem oſtentet ambitionem, cultumq; dictionis. Iudiciale genus anxium: ideoq; unam probabilitatem ſpectabit. Huius exordia morata erunt, circumducta & catheſtecota: narratio uerisſimilis, προκατασκευός, & ἀποδιόργος:

γος:probationes conuolutæ & denſæ: egreſsiones ſplendidæ, aut uenerabiles: affectus graues & uerisimiles: epilogus breuis & ſolutus. cōcionum autem genus (quas homilias uocant) prorſus abeſſe debet à certaminibus: & in encomijs potiſsimum cernitur, quanquam exhortationibus & dehortationibus ſubinde locū præbeat, & interpretationibus ſacræ ſcripturæ. Eſt enim ſcopus omnis, à uitijs dehortari, afflictosq́ꝫ, cōſolari, & in ſpem erigere futuræ felicitatis per fidem CHRISTI. Sed quia imperia homines detrectant, blanditijs uerò fauent: meritò præſe ferre genus demonſtratiuum ſolet homilia. temperabit igitur grauitatem cum dignitate & uerecundia, & aliquando ſplendore. Dicta & facta quæ in literis ſacris inueniuntur, (niſi palàm ad rem pertineant) per allegoriam & alluſiones exponet, rerum honeſtarum ſenſui communi non repugnantium: ſicq́ꝫ illis accommodabit, quaſi ſymbola quædam eſſe uideantur eorum. Et ut latius ſe aliquando explicare poſsit: cauſas facti & non facti, dicti & non dicti interpretabitur. Atqꝫ huiuſmodi ferè fiunt conciones. Non ſolum autem concio popularis eſt, & politica, ſed etiam epiſtola, & ſermo familiaris. Verùm ut in contentione poſitæ conciones, omnem magnitudinis ideam admittunt: ſic epiſtola, quòd ſermonem per ocium meditatur & componit, à magnitudine aberit longiſsimè (niſi aliquando res dignitatem poſtulet) ſed elegantiæ & moribus informabitur quibuſcunqꝫ: maximè uerò ſubtilitatem & acumen exeret, cum celeritate. Eſt enim ſermo inter familiares humilis: ſpacium uerò ſcriptionis, ſupinitatem non admittit. Licet ſchediaſmum & extemporalem epiſtolam ſæpe excuſamus: ſæpe etiam nobis permittimus. Vt ad Atticū illa: Sed hæc omittamus: de nobis aliquid agamus. Ab Axio accepi literas. De Tirone gratū. Vectenum diligo. Vectorio reddidi. Seruius prid. nonas Maij Minturnis manſiſſe dicitur: hodie in Liternino manſurus apud C. Marcellum. Sed hæc affectantur, ne diligentia arguatur: alioqui tanquam munus quod datur ad amicum, ornandum aliquo modo eſt magis, quàm ſi ſolum colloqueremur. Atqꝫ hæc quidem hactenus. Et de oratione populari, quæ cæteris paradigma & exemplar eſſe poterit, dicta ſufficiant. *Epiſtola.*

De Philoſophicæ orationis Decoro. *Cap. 3.*

A populari longiſsimè diſtat oratio omnis Didactica, & quam dixi philoſophicam. Hic nulli mores, nulla perſona loquitur. Verùm quia res natura obſcuras, ſenſúſque inuolutos continet: claritatem ſectabitur, formamq́ꝫ in primis elegantem, quam græcè εὐκρίνειαν nominant. Tota enim in definiendo diuidendoq́ꝫ & colligendo ſita eſt, Et quanquam tædiū euitarēt, uaria quædam & morata miſcere graues pleruncꝫ autores

ſoleant,ut Plato,& Galenus,& ſæpe Cicero:id unum quærentes ut quaſi melle intinctum ſuauiori guſtu delectaret,quod prodeſſe poterat: tamen cum in paucis argumentis multas chartas conſumant, & extra rem multa inſerant parerga,neſcio equidem an ſiſtant magis,quàm promoueant intelligentiam. Sæpe enim digreſsionibus longè abductus lector, propoſiti obliuiſcitur:ea uerò quæ tractantur,eius ſunt generis, quæ niſi citò & paucis intelligãtur,nunquam intelliguntur. Quare præſtaret meo quidem iudicio,ut in eadem diutius lector ſententia hæreret, uerſans atq; ruminans, & expendens rem propriè & ſuis uerbis expoſitã: quàm ſi abductus longè, & extra theſin aberrans peregrinet: & in intelligendis ĳs quę ſunt extra rem occupatus, ſerò perueniat ad rei propoſitæ cognitionẽ. Hoc conſilium ſequutus Ariſtoteles, nunquã non habitus eſt ſummus philoſophus. nam ſi ea quę in libris Auſcultatorĳs & Phyſicis demonſtrauit,ornatu uerborum atq; apparatu magno,ut alĳ fecerunt,cõſequi uoluiſſet: quod'nam tantum uolumen ſufficere (cum ea quæ exiguis ſolum indicĳs et quaſi punctis docuit,adeò excreuerint) potuiſſet? Quanquam non ignoro, argumenta huic ſubeſſe orationi alia alĳs fœcũdiora:ut ſunt,de Deo,de religione, de moribus:quàm de elemẽtis,quantitatibus,figuris. Sed quis tam demẽs, qui tragœdias moueat,aut uerba ſectetur ſeſquipedalia, dum coſtę non conmenſurari demonſtrat diametrum? Eam ob rem placuit, ut inductis aliquãdo perſonis per dialogos, quædam pauca doceamus:ſed ut multa queas, nõ puto. Quantum temporis in illis perit interrogationibus & reſpõſionibus,dum moribus induere ſermonem uolunt, & ante demonſtrationem reſpondentem præparare conantur? Quod ſi ad docendũ tantum & preſſe demonſtrandum ſumeretur,multo plura traderent compendio. Sed non multi ſunt ad multa intelligẽda idonei. Quapropter Didacticæ huius orationis quatuor fient nobis genera: Demõſtratio,dialogus,præceptũ, interpretatio. Et demonſtratio quidem puritatem ſeruabit in uerbis,elegantiam in methodo, dignitatemq; in ſententĳs, & in enunciatione euidentiam.In compoſitione quoq; ſubtilitas nonnulla apparebit. Et Ariſtoteles quidem imitandus, aureus fons eloquentiæ:deinde Cicero in Officĳs,& quibuſdam alĳs philoſophicis. Hi paulatim definiendo diuidendoq;,à notioribus ad minus nota,et à theſi ad hipotheſin manu ducunt Lectorem: communes ideo ſententias,partim in princípĳs,partim ſenſu perceptas notiones inducere,huius propria certaq; eſt œconomia.nam quæ uulgo loquentium mos obtinuit, illa ſunt abſque dubio natura magis nota: quæ ſenſu percipiuntur, nobis illa uidentur cognitiſsima. In hunc modum opiniones eorum qui malè circa rem philoſophati fuerũt, per ea quæ

Didacticæ orationis genera.

Demonſtratio.

Quæ nobis notiora,& quæ naturæ.

ea quæ ſenſu notiſsima ſunt, reprehendimus: paulatimq́ ex rudioribus primùm deſcriptionibus, & inductionib. atq; exẽplis uarijs tanq́ ex materia rudi & informi, rem excolendo, limandoq́, tandẽ formam ac ſpeciem certa definitione inducimus: & uulgo uſurpatũ in ea ſermonem, & uirorum ſapientum dicta (quorum nuſquam ſit imminuta autoritas) quàm nobiſcum ſentiãt, explicamus. Hanc rationem ubiq; tenuit Ariſtoteles. Et noſtra ætate duo lumina iuris, Ioachimus Hopperus Friſius, & Connanus Gallus: ille quidẽ ſubtilitate maior, & elegantia: hic uerò (ſi librum abſoluere fata conceſsiſſent) luce atq; grauitate. Ab ingenio Duareni acuto ac lepido multa fieri poſſent, niſi uereretur is à ratione illa recedere trita & à uulgo leguleiorum recepta diu cõſultandi, atq; citandi omnia. Qua una ratione, aut potius qua auaricia (cum dediſcere optima, ut ſcholę inſeruiret, aut certè ut æmulis reſiſteret, maluerit) poſteritati, pfecto ſubſtrahetur Alciatus. Demonſtrationis ergo decorum ab Ariſtotele petendum eſt. Ab hoc olim Alexander Haleſius theologus, et hunc ſequuti poſtea ferè omnes, rationem quandam & methodũ amplexi ſunt, omnium certè maximè didacticã: qua propoſita quęſtione, argumenta primùm in utranq; partem obijciunt, plura quidem contra eam quam tueri decreuere: deinde poſitis quibuſdam propoſitionibus, uel ſenſu perceptis, uel autoritate probatis & demonſtratis, tandem id colligunt quod uerum arbitrantur. Poſtremaq́ eſt argumẽtorum ſolutio. Galenus autem doctrinæ Platonicæ & copiæ ſectator, ut oratio mores obtineret, aliquem ſibi ubiq; proponit diuerſa ſentientem atq; dogmatiſſantem, medicũ uel philoſophum. Itaq; reprehendendis aliorum ſententijs paulatim, tanquam tegumentis ueritati detractis, more Socratico & Platonicè, ad rei contemplationem perfectam & nudam deducit auditorem, magna rerum euidẽtia. Quo fit, ut puritate cedat Ariſtoteli. Sed in demonſtrationibus Mathematicis multo adhuc purior erit methodus, quàm in theticis iſtis omnibus. Quoniã paucis indicijs res hæc contenta eſt doceri. Arithmetica (ut puerorum ſermo) præter uocabula numerorũ, nil aliud effatur, quàm, Adde, detrahe, multiplica, diuide. Adeò id quidẽ, ut meritò uideas huius artis peritos omnes infantiſsimos: & eloquentiſsimum quenq; à ſcientia numerorũ longiſsimè abhorrere. Geometra quædam addit, præter hæc uerba ſuę artis: ſed pauca adeò, ut nihil minus eſſe uideanť eorũ demonſtrationes, quàm oratio. Sed iam deinceps fabulas & conſilia commentãtur Aſtrologi: qua una profectò ratione fidem omnem amittit ſuſpicienda illa rerum cœleſtium perennis cõtemplatio. Sic procul uides præcepta eloquutionis abeſſe ab diſciplinis iſtis abſtrahentibus, & mathematicis. Nec mouere quenquam debet Coperni- Mathematica.

cus,

cus, unus noſtrę memoriæ autor, quem antiquis omnibus abijcere nō uereor. id enim quod docere conatus eſt de motu terræ, & ſolis ſtatu, non tam mathematicis rationibus conſiſtit, quàm Phyſicis & ueriſimilibus. Reliqua non multo aliter quàm cęteri demonſtrauit. Hactenus ergo demonſtratio progreſſa ſit. Non adeò ſolent impe-

Dialogi. ti à cōtradictoribus præcepta quæ traduntur per Dialogos & dialogiſmos: quoniam ſententia nunc perſona diſsimulatur, nunc figura ſermonis: maximè uerò propterea, quòd delectari magis omnes uolumus, quàm doceri. Siquidem in dialogis primum ſtudium autor præ ſe ferre uidetur, ut placeat. Itaque in alijs demonſtrationis neceſsitas requiſita ſæpe languet: aut minori inductione ꝙ oportuerat, probata, contemnitur. Hinc eſt, cur multos defenſores iuuerit Plato, licet paradoxa non pauca tradiderit: multis ediuerſò ingrato Ariſtotele, qui tamen uſque nixus eſt omnia ad communem ſenſum referre, nec in ijs quæ demonſtrauit potuerit unquam iure reprehendi. Nemo igitur mirari debet, ſi tam multi rationem hanc ſcribendi tenuere: ut omittam, quòd pleroſqꝫ diuinitas Platonicæ inuentionis ad eam prouocauit. Dialogi ergo primùm morati ſunto. Sed ex moribus nunc ſubtilitatem oſtendat interrogator, nunc ſimplicitatem qui reſpondet: & pro occaſione alias etiam formas accerſat. Proximè enim accedit dialogus ad poema, quod uocant dramaticum: licet una aliquando tantum perſona loquatur. ut docent Apuleius, Lucianus, Lazarillus. Amplitudinis parum erit, quia ſæpe altercatio incurrit: niſi in ſententijs ipſis Philoſophicis aliquando dignitas petatur, aut ubi præter argumenti demonſtrationem egrediemur. Siquidem narrationes introducuntur pulchrę & ſplendidæ: ſed plenitudinē interfationibus & διακοπαῖς excutiunt. Euidentiam affectant: & ex occaſione aliqua iucunda diſputandi anſam ſumūt. In qua quidem tanta fingitur ſimplicitas & εὐήθεια, ut nihil inde ſperari magni aut eruditi poſſe uideatur. Nam & ad minima quæqꝫ narrādo deſcenditur, quæ nihil ad rem facere uideri poſſint. Cum ſint ergo dialogi perſonarum humilium diſputationes ſtudioſæ, & rerum philoſophicarum: non conuenit ut laudes uirorūm fortium, aut epithalamia, et alia ſimilia, oratione ſoluta componantur, quæ pompam requirunt, & uerborum apparatū, nec altercationi locum cedunt: ſed carmine, ueluti bucolico. Hic enim perſonæ fiunt ſimplices & idiotæ, uelut paſtores: aut fabuloſæ, ut Dij. Quorum ſermo ſimplex, & procul à ſimulatione, uerus habetur: Dij uidentur rerum teſtimonium adferre, quas norunt, nec ſine excellentis alicuius uirtutis admiratione moueri uerìſimile eſt ut quēquam ament.

Sympoſia. In ſympoſijs, ſicut per ordinem compotabant, ita & loquebantur, tanquam ſymbolum conferentes. Inter colloquia

quia autem, narrationes uel oratiunculas concinnabant, ridicula quædam admiſcentes rebus ſerijs atq; ſtudioſis. Dialogos quidem Platonis multi imitati ſunt: & Cicero quidem proximè acceſsiſſet, ſi tam fuiſſet mores illius aſſequutus, quàm ſupergreſſus eſt amplitudinem. Præcepta intellexi, generales ſententias de re quauis pronunciantes, cum autoritate. Quanquam iubendo ferè proferuntur: ut quæ in columnis inſcripſerat Hipparchus, Ne decipias amicum, Rebus honeſtis ſtudeto. Hic igitur inuenies leges XII. tabularū, ſenatuſcōſulta, Theoremata Euclidis, Ptolemæi Apoteleſmata, Hippocratis Aphoriſmos, & cuiuſcunq; artis ac diſciplinæ regulas: ut agriculturæ, architecturæ, militiæ. Habebūt ergo hæc breuitatē præcipuè: *Quidquid præcipias,* (inquit) *eſto breuis.*—Tum dignitatē, autoritatemq; in enunciādo, quia probatione carēt. Certa enī & abſq; hæſitatione ponunī: nec prius diſcipulo facultas eſt dubitandi, aut inquirendi rationes, quàm in habitum omnia & cōſuetudinem deduxerit. Quam ob rem Inſtitutiones Iuſtinianeę non legū liber, ſed præceptorum legitimorū demonſtratio: in quo præter pauca quędam iuris Romani præcepta, reliqua ad erudiēdum philoſophum per definitiones & diuiſiones, nō tamē ad inſtituendū iudicem attinebunt. Qua eadem re multi noſtra hac tempeſtate operam, mea ſententia, ludunt: qui ius omne in artem demonſtratione redigere uolentes, de moribus et officio totam ſuſcipiunt diſputationē. nam iuris ea præcepta quæ ipſi norunt, ſub generalitate ſingula comprehendi uolunt, & paucorum in parte ſtatutorū obiter & quaſi aliud tractantes mentionem faciunt. Qua re nec diſputandi cauſam adimunt diſcipulis, & iudicibus certam iudicandi regulam nullam relinquūt. Expedit quidem interdum ut certa ſint, expreſſaq;, & pro rei neceſsitate etiam multa præcepta, quæ poſſent ſub generalibus ſententijs cōtineri: quando in alijs maiori cenſura forſan dignis, nulla ſæpe lex aut conſtitutio reperitur. Apud Athenienſes nulla erat parricidij: de alijs rebus ſingulis annis figebantur ac refigebātur leges. Si iudicio ualere ſemper iudex poſſet, nec interdum affectione animi, interdum perſuaſione oratoris, ac ſæpe temeritate & inconſultò iudicaret, nihil ſanè præceptis egeremus: ut qui philoſophiæ documentis, iudicijq; bonitate omnem cōtrouerſiam cognoſceret atq; dirimeret: ſed ubi anceps ſententia tam in hanc quàm in illam partem inclinare poteſt, dic quæſo, quid agendum? Meritò igitur & Moſes, & Lycurgus, & Solon, et poſtea Iuſtinianus, legiſlatores præcipui, tantam legum ſuarum eſſe religionem uoluerunt, ut non modò addi detrahiq; quicquam prohibuerint, ſed ne interpretari quidem paſsi ſint. Didicerant prudentiſsimi illi, quantam certitudinem habet generalis ſermo, ſi per compendia eſſet iudicandum. Et

Præcepta.

niſi

niſi ex præſcripto, iuratusq́ iudicet præfectus, cum ſemel interpre
tari legem tentauerit, pro una decem alias leges ſuboriri faciet, oc-
caſionem quæſtionum & materiam ſubminiſtrans, & nouas com-
mentationes. Hæc ratio, ut inter patres & Tribunos diſsidiũ com
poneretur, tres Roma in Græciam uiros miſit, qui optimas quaſq́
Græciæ leges referrent, & in æs inciſas decem tabulis populo Ro-
mano cuſtodiendas proponerent: paucis quidem indicijs, ſed maxi
mè compendioſis. Eadem ratione perſuaſerunt Iuſtiniano uiri pru
dentes & iuriſperiti, ut ex doctiſsimis quibuſq́ qui ad illa uſq́ tem
pora de iure Romano multis uoluminibus atq́ uigilijs diſſeruerãt,
ſumma capita & ſententias uno uolumine comprehenſas legum au
toritate muniret, & ui, quibus parêret imperium uniuerſum. Hos
quoque imitati Petrus Lombardus & Gratianus (ille Theologo-
rum ſententias iuxta ordinem articulorum fidei: hic imitatus Car-
notenſem Hugonem, cõſtitutiones eccleſiaſticas iuxta ritus & con
ſuetudines patrum) partim ex Concilijs epiſcoporum, partim ex
monumentis atq́ ſcriptis ſanctorum, quos ſemper Eccleſia uenera
ta eſt, eadem ratione collegerunt: ſed diſputationum & problema-
tum maiorem ſibi licentiam permittentes quàm illi. Sed ut uerum
fatear, & Pandectas, & Decretum, & bonam partem iuris Canoni-
ci. ego ſtudiorum hypomnemata et cõmentarios ſuorum autorum
eſſe nuncupandos ſentio, non orationis genus aliquod, cuius deco
rum oporteat hic deſcribi. Videntur enim hæc illi, quę legendis ua
rijs autoribus ſcitu digna repererant, & memoria, uſui poſtea alijs
futura arbitrantes, in lucem edidiſſe. propterea id genus monumẽ-
ta finem non hahent. ſemper enim priori ſequens lectio aliquid ad-
iungit, & dies diem docet, ut dicebat Agricola. Iubeant ergo leges,
non deliberent: ſintq́, ut aliarum artium, non problemata aut diſce
ptationes, ſed pręcepta, axiomata et aphoriſmi. Nec eſt quòd ex ea-
rum multitudine cõfuſionem uereare, ſi in locos & capita diſtribu-
tæ fuerint. nam ex rerum generibus & materijs, ut uocant, omnia
in promptu fient. Tollatur ergo omnis interpretãdæ legis occaſio:
& quod lege cautũ eſt, aliter iudicare nulli fas eſto. Nam quicquid
lege non prohibet̃, cum de numero eorum fiat quæ dicuntur ἀδιά-
φορα τῇ φύσει, lege certum eſt permitti: quod natura malũ, eius ſup-
plicij moderamen penes iudicem relinquetur: ut in ciuilibus quæ-
ſtionibus non rarò etiam poſt innumeras legum centurias, ſæpe ad
iudicium boni uiri multa referuntur. & multo experimento didici-
mus, quàm auxerint interpretes, non minuerint, fori ſtrepitum, li-
tiumq́ difficultates. Quid ergo, inquies, nullus interpretationis
fructus? Imò maximus, ſi in ſcholis, ut æqui atque iniqui rationem
ipſam, & naturã, ſecluſis omnibus ſtudijs teneamus, non ut ſubuer-
tamus.

tamus. Sed ita nos comparemus,& mentem præceptis ita iuſticię inſtruamus,ut ſi quando opus fuerit nouas leges cõdere, atq; inſtituta firmare,inutiliaq; refellere ſciamus.nam in iudicando præſtiterit quidem una in re interdum cum lege falli,quàm contemptis legibus totam rempublicam labefactari. Nam unius errore peccatum, quod non agnoſcitur,ſine multorum damno committetur:ſublata republica,quis legibus,aut iuſticię locus relinquetur? Sed hæc fortaſſe præter inſtitutum. uerùm tamen illud efficere inſtitueram,ut præceptum breue ſit,axiomaticũ, & aphoriſticum:non cõtinuum, aut demonſtratum:niſi fortaſſe (ut intelligat) breuem deſideret rationem,non ut confirmetur.Idq; ſufficiet ad hunc locum de præcepto. Sequitur quartum philoſophicæ dictionis genus,interpretatio.Hoc propriè grammaticorum eſt:qui ex uaria rerum cognitione,& lectione multa, ſcripta aliorum interpretãtur & enarrant:uel ſine autore certo uocabulorum uires expendunt, per centurias aut ordinem alphabeticum.& nomen ferè imponũt ſuis lucubrationibus Commentaria, græceq; ὑπομνήματα:quoniã indies alia ſolent alijs meliora in mentem uenire, quæ addant, uel adimant, uel immutent. A' Mercurio itaque deſumptum nomen interpretis,propinqua ratione tribui uoluit in alios. Sunt enim qui ex una lingua in aliam transfundunt ſenſa:quorum opus uerſio dicta eſt. Alij ſenſus eadem lingua ita explanant,ut nunc orationem quidem dilatent,nunc uerò cõtrahant, ſolius uirtute eloquutionis: ut rem alioqui uel multis inuolutam uerbis,paucis definiãt: uel contrà, paucis conceptam, in ſinus omnes reſoluta atq; expanſa ſententia patefaciant. Dicuntur hi Paraphraſtæ. Tertium genus eſt enarratorũ:qui ad ſingula uerba, ſingulasq; ſententias ſua commenta adijciunt, & demonſtrationes ex multis petitas locis, & autoribus uarijs. Quia uerò nullæ ſunt duæ linguæ, quarũ poſsit una alterius uirtutes referre omnino: ſufficiet ei qui linguas interpretatur, ut tropos primùm,deinde figuras ſententiæ, tum figuras interpretationis ad unguem referat, quantum poteſt:concinnitatis & compoſitionis non erit tanta religio. In carmine autem, (ubi maior ratio habetur compoſitionis) non modò figuras, ſed ſæpe etiam uerbum (quod ſine ſenſus periculo omitti poterit) ualere ſines, nec inuitum retinebis. Tropus nunquam mutabitur,pręſertim translationis. Nimis enim conſpicua hæc eſt,nec ſine uitio negligitur. Lucij Flori epitomen, quæ extat in T. Liuium (ſi bene Paraphraſten definij) ſecundo in genere collocabimus, ſicut et Iuſtini in Trogum:quanquam maius quiddã habet Iuſtinus & magnificentius quàm pro epitome. Omnes autem interpretes generaliter in Grammaticorum ordine reliqui. Etenim ſi commentator aliquid affert,quod artis eius uideatur

Interpretatio.

eſſe proprium, quem enarrat (ueluti ſi ad Vitruuium demonſtrationes adhibeat mathematicas, aut in leges XII Tabularum commentarios iuris immenſos) non ideo tamen fines egreditur Grammatici: licet architecti magis, aut iureconſulti nomen ambiat, tanquā honoratius. Quoniam ex alijs illa mutuò nō aliter petit, quàm cum poetarum oratorumque ſcripta declarās, hiſtorias fabulasque ab ijs precario accipiebat, qui illas ex inſtituto tradiderunt. Quanquam quid prohibet, ut quemadmodum medici quidam oculis mederi melius nouerunt, quàm uentriculo: ita Grammatici quidā ius ciuile melius quàm Geometriam, & alij rurſus medicinam magis quàm theologiam excoluerint? A'uero ſi compellari uolunt interpretes (cum adiuncta ſit huic muneri multarum rerum cognitio, præter ſermonis idioma, normasque loquendi) neceſſe eſt profectò, aut ut integra polymathia inſtructi accedant, aut pædagogorum more optima quæque conculcent: quia doctorum hominum ſcripta uaria ſunt, & à regulis pleraque recedentia elemētalibus. Niſi fortaſſe Donati, aut Seruij commentarios, non Grammaticorum eſſe dicas, ſed poetarum (quoniam &, Cicerone teſte, poetarum interpretes ad illorum furorem proximè accedunt:) Euclidis autem, & id genus alios cōmentatores, qui de ſenſu uerborum nihil ambigunt, ſed rationes quærūt doctrinæ, tu definias interpretes. At mihi quidem ſecus uidetur. Quid enim interpretātur hi? quod uerbum exponunt? quam ambiguitatem tollunt? quam ſermonis formulam declarant? Sint ergo autores ipſi potius & demonſtratores theorematum geometricorū, quàm interpretes: niſi grammaticos quoque fateare. Nam & qui ſacrarum literarū ſenſus eliciunt (ut Theologi uocant) myſticos (ueluti de Chriſto & eccleſia uocatos Allegoricos, de cœleſti regno & futura gloria Anagogicos, & præterea morales ſeu Tropologicos) hi quidem non grammatici amplius, ſed prophetæ appellantur in ſacris monumentis: & eorum opus prophetia eſt, nulla arte humana uel ſtudio, ſed Dei gratia & ſpiritus ſancti dono introducta. reliquos à communi genere non excludo: qui uerborum origines requirunt, & modos loquendi uarios examinant. Interpretum uerò iuris in hoc primus labor inſumitur, ut uim uerborum doceant, deque ſenſu dubio diſceptent: mentem autoris tam ex loquendi uſu, quàm ex cauſis legis eliciant: deinde ut cum alijs legibus, ea quæ habent præ manibus, hiſtoriaque, & omni genere doctrinæ concilient: hoc ſanè munus eſt. Nec aliter quidem egit Galenus in Hippocratem, nec multi qui ſacras literas noſtro tempore interpretantur. Diſcrepet hic alius: at mihi ſic uidetur. Atqui paradoxum eſt, & procul à communi more loquendi, Iureconſultos, Medicos, Theologos, Architectos, & alia nomina illuſtria,

ſtria,in Grammaticorum ordinem redigere, quo nullus humilior, nullus abiectior,nullus infelicior putatur.Imò uerò iniquum,ut nomine Grammatici,quo nihil erat olim celebrius, tu miſerum pædotribam intelligas, magiſtrum illum gymnaſij, qui totos dies in puluere agens,exigit à pueris declinandi modos, penſáq; lectionis. Nã ſi hunc honorem illi deferimus, ut poetas & hiſtoricos interpretetur & cenſeat,atq; oratores: cur potius alios uocemus medicos & iureconſultos,quàm hunc oratorem,poetam,aut hiſtoricum? Conſtat enim fuiſſe carminibus conceptum olim omne genus doctrinę, & poetas appellatos omne genus autorum: quorum enarratores à literis, quarum eſſent peritiſsimi, denominabantur. Quid Heſiodum? num grammaticus eſt eius interpres,an agricola? Cum Plato philoſophiam illam Socraticam in Academia traderet auditoribus ex uarijs locis & autoribus conquiſitam, philoſophus ſanè dicebatur: ſed Homerum interpretans (quamuis eius antinomias conciliaret,& fabulas naturaliter traduceret,præceptáq; autoris rationibus ſuis confirmaret) certè non aliud quàm interpres erat poetæ. Quòd ſi Grammatici nomen eatenus illi non repugnabat,magis q; Seruio aut Donato:conueniet eadem ratione & his omnibus,quos modò recitaui. Aut igitur interpretandi munus ſeparatũ eſt, & honorem ſuum habet ſeorſum ab alijs: aut ſi illius doctrinæ appendix eſſe dicitur,quæ fuit olim notiſsima, certè omnes interpretes Grammaticos cenſebimus: quia omnes in hoc primùm incumbunt, ut autorum ſenſus obſcuros declarent. Sed licet per me hos poetarum interpretes, illos legum, alios oraculorum & oſtentorum dicere: modò quod ſit cuiuſq; munus atq; finis innoteſcat. Nam ſi nomẽ illud prius iam ſordeſcit,nihil mea intereſt quo deinceps utaris. Huius ergo generis ſunt,Donatus in Terentium,Seruius in Vergilium,Euſtathius in Homerũ, Pædianus in Ciceronem, Galenus in Hippocratem,Theon in Euclidem,Proclus in Platonem,omnesq; legum ciuilium & ſacrarum literarum nunc interpretes, quiq; nullo certo autore ſuſcepto,uaria ex uarijs tractant:ut Gellius,Macrobius,Varro, Athenæus, Pollux, Suidas, Moſchopulus: & noſtra ætate,Cælius,Alexãder,Alciatus,Eraſmus,& multi alij. Nam licet una omnes ratione in ſcriptis non utantur, ſed alij aliter pro argumento rem exponant (ut Geometræ quidem demonſtrationes adferunt mathematicas,Medici naturales, Theologi locos cõmunes, iuriſperiti cauſas & argumenta Theſeωn) omnes tamen eo munere fungi certum eſt,ut ſcripta enarrẽt aliorum,inuentiſq; alienis inſiſtant atq; inſeruiãt,nulli ſuis. Qui ergo aliena interpretãtur, ſiue id ſcribendo faciant,ſeu prælegendo,horũ prima cura eſt,paraphaſticôs ſenſum exponere,uerbis proprijs & ſignificantibus cum eui-

V 2 dentia,

dentia. Proxima uerò, rationibus eundem demonſtrare ex ſenſu communi (ut philoſophi ſolent) uel ex præceptis artis, ut alij. Hic theologi locos implent communes: Legulei caſus (ut uocant) & themata proponunt: Medici cauſas morborum, facultatesq́; medicamentorum probant: Geometræ & Mathematici figuris propoſitis, nominibusq́; impoſitis rem oſtendunt: Rhetores obſeruant artificium, ut hiſtorici continuationem: & poetæ fabulas enarrant. Tertius labor eſt in uerborum ui atq; uſu: ſi qua metaphora, aut figura, impropriaq́; locutio obſtruit, eam ex aliorum autorum collatione exponere: propter quod innumeræ illæ congeſtæ uocabulorum centuriæ in lexicis. Poſthæc iam locupletior quædam doctrina exigitur: nempe ut ex omni ſcriptorū genere (maximè uetuſtiorum, quos autor æmulatus quodā modò uideri poteſt) locum inuenias aliquém, unde propoſitam ſententiam aut uerba mutuatus uideatur, uel idem cum illo ſentiēs, uel diuerſum. Nihil enim dictū, quod non dictum prius, ſi perueſtiges. Atq; eo quidem pacto iam conſtituta ſententia, locoq́; patefacto, reliquum munus boni interpretis eſt, argumenta excogitare, quibus expugnari euertiq́; poſsit ea doctrina, niſi occurratur. Vbi ex re primùm argumenta offert Dialectica: ut genere, ſpecie, differentia, uiribus. deinde ex antinomia: ut ſi ſecum diſſentire autor, uel cum alio, cuius autoritatem tueri debeat, pugnare uideatur. Tertiò ab exitu, & (ut uocant barbari omne hoc genus argumentationis) ducendo ad inconueniens. His rationibus diſſolutis & explicatis, tum demum perfunctus ſuo munere erit interpres. Character ſit purus & ſimplex, uni tantum perſpicuitati inſeruiēs. Iam uerò præter hæc, artes quæ naturā iuuant, ut medicina & agricultura, & ſi quæ aliæ, quia demonſtrationibus indigent, & experimento, ueterumq́; autoritate: ideo plerunq; omnia ſimul confert, & didacticæ ſimul atq; hiſtoricæ formas complectitur, & politicas. Sed de oratione quidem didactica hæc ſufficiēt: quæ licet ad oſtentationem ingenij ſæpe referatur, ubicunq; tamen ſe effert altius, certè ab ſuo ſe ſubducit officio & decore, nec poteſt uoluntatem tegere (ne dicam pruritum) oſtentandæ eloquentiæ.

Linguæ interpres. Ergo qui ex una lingua in aliam ſcripta transferunt, hi præter induſtriam & laborē, nihil ſuum adferunt. Sequi enim pro uiribus oportet, & referre, quantum idioma ſuſtinet, fidum interpretē, exemplaris omnes uirtutes, & aliquādo etiam uitia: ne quid alieno operi ex ſuo adijciat. Nam fidei quid interpretationi adhibeatur, quam pro arbitrio interpres, non tam autoris mentem ſequutus, quàm ſuam perſuaſionē & ſomnia, è Ciceronianis (ut exempli cauſa ſic loquar) uerbis & loquutionibus conſarcinauit? Verbum uerbo reddet fidus interpres: nec tam peregrini ſermonis proprietatem aliquan-

do

do timebit,quàm temeritatem propriæ ſententiæ.illud enim à plu-
ribus declarari poteſt,hoc ſine iniuria autoris admitti non poteſt.
Poetarum, & aliorum qui aliena ſcripta imitantur, alia eſt prorſus
ratio.nam neq; ſententiam ubiq; ſequi neceſſe eſt:et dictione atque
eloquentia cum illo certare quem ſequuntur,decorum. Non igno
ro,nouum dicturos aliquos eſſe hoc meum præceptum, & præter
mentem Horatij:ſed ubi locum expenderint,non dubito,modò ne
iudicio careant,pigebit aliter ſenſiſſe.

De Hiſtoriæ decoro. *Cap.4.*

Ex quatuor illis generibus,in quę omnia ſcriptorum mo
numenta diuiſimus, tertium Hiſtoriæ locum dedi: non
dignitatis quidem aut honoris eius habita ratione (ſi-
quidem hiſtoria, ut paucis complectar, nuncia eſt ueri- *Hiſtoria.*
tatis,magiſtra uitæ,uita memoriæ,teſtis temporum,uirtutis & pru
dentiæ theſaurus inæſtimabilis:) ſed quoniam à Politica multum
diſtare philoſophica dictio uidebatur, ut contraria ſimul tradi con-
ſueuere,ſic non potui inter illas hanc ponere: ut ſi non primum,ſal-
tem ſecundum locum obtineat, quæ inter omnis generis monu-
menta,quæ ad poſteritatem peruenire ſolent,primum iure optimo
ſemper honorem eſt conſequuta. Sed de Hiſtoria, & eius uir-
tutibus, quis non? Quare imminutum nobis laborem gaudemus,
in hac parte. Omnibus enim hoc in ore eſt, hiſtoriam fuſa & tra-
cta quadam orationis forma,cum æquabilitate profluere.Sed gene
ra ſcriptionis eius ex rebus ei ſubiectis inuenio (non prorſus abſq; *Hiſtoriæ*
Euſtathio) Annales (chronicon appellare poſſumus) locorum de- *genera.*
ſcriptiones (hoc topicon) rerum naturalium,ut animalium & plã-
tarum,& ſiderum:& artificialium,ut ueſtimentorum, uaſorum,na-
uium,atq; aliarum enarrationes:hoc,ſi lubet, genealogicon uocita-
to. Quartum uerò,ex his omnibus compoſitum & conſtans,hiſto
riæ generale nomen dedit. Nam ſi uirorum & mulierum illuſtriũ,
uitæ paucis & per ſummaria capita enumerentur,mixtum quid cer
tè fiet, quod genealogicon & chronicon ſimul referet. Annales *Annales.*
ergo,ab annis dicti(ut ephemerides,ideſt diaria,à diebus)licet qui-
buſdam uideatur id ab hiſtoria differre, quod utrumque memoriæ
res geſtas quidem prodit,ſed hiſtoria ſolum quibus gerendis inter-
fueris: tamen aliter iam obtinente uſu, non eſt cur quiſquam uerbi
etymõ obtrudat.Certè omnes hiſtoriographi altius multo repete-
re ſuarum narrationum principia ſolent, quàm ex ijs quibus inter-
fuerunt.Sed ad rem noſtram parum faciunt hęc: quod noſtri eſt in-
ſtituti abſoluamus. Annales & diaria cuiuſq; populi aut ciuitatis a-
cta, pro tempore uti cõtigere, nullo rerum ordine aut perſonarum
ſeruato,ſermone breui,& puro,& abſq; moribus autoris, ſeparatis

narrationibus diſtinctisq; conſeruant. Atq; hæc uera eorum ratio eſt. Locorum uerò & regionum, atq; adeò totius orbis, quæ coſmographia dicit, deſcriptio, hoc diſtat ab Annalibus, quod ſuprà deſcriptio à narratione differre dicta eſt: in qua licet purius explicatiusq; aliquanto quædam dici potuiſſent ex argumenti natura, tamen laude digni hoc in argumento maxima fuerunt Strabo et Pomponius Mela; hic quidem ſtilo paſsim res illuſtrans, & ab horrore naturali uindicans multa energia rerum, & mutata enunciatione: ille rerum ſcita digniſsimarum uarietate. Hiſtoriam rerum naturaliū ſtudioſe coluit Plinius: ſed cum prætermiſiſſe nihil ſuſtinet, maximum ſanè uitiū incurrit hiſtoriæ, ut uix fidem ſolus obtineat apud eruditos. Ariſtoteles autem in animalium narratione iuſto paulum argutior atq; ſpinoſior pro ſuo more, multis eadem tractandi anſam dedit. In plantarum Theophraſtus tam elegantia uiribusq; iuuat, quàm multi alij (licet turbulenti) rerum notitia & uarietate profuere. Georgium Agricolam ſcribentem de re Metallica, dedit hoc ſeculum, uirum ſanè doctū & diligentem: cui non uerebor adiungere VESALIVM, de diſſectione corporis humani multa ſubtiliter & acutè inueſtigantem. Reſtat ergo plena illa, & ex omnibus his conſtituta hiſtoria totius orbis, tanquam unius ciuitatis res geſtas complecteus, uel unius populi. Quarum uarietate ac magnitudine, tum dictionis lenitate, & præterea prudentiæ quodam perutili ſucco, genus omne ſcriptionis meritò ſuperauit. Varietatē quippe faciunt ea quæ in narrationem uenire poſſunt, actio, perſona, locus, tempus, cauſa, modus, inſtrumenta, perturbationes, fortunæ exitus. Magnitudinem uerò, quæ in ſe terrorem uel admirationem habent: ut clades, cædes, depopulationes, & quæ rarò accidunt: cum eorum cauſę, & primordia, & progreſſus, incrementaq;, ac deinde inclinationes & exitus præter cōſuetudinē opinionemq; fiunt. ita prudentiam ſubminiſtrat, cum in rebus magnis primùm conſilia, deinde occaſionem, tum actiones, poſtea euenta ordine diſtinctèq; proponunt. Etenim in conſilijs, quid ipſe probet, aut contrà damnet, ſignificare debet hiſtoriographus: in narrando quoque facinore nec modum nec inſtrumenta præteribit: oblatæ occaſiones non prætermittantur. In ſucceſsibus proſperis, & contrà, cauſas & conſilia temerè uel ſapienter capta declarabit: perſonas inſignes proprijs nominib. efferet, & per encomij locos ſemel notabit. Eſt enim hiſtoria nec narratio ſolum, nec deſcriptio, ſed ex his quiddam compoſitum: & reuera encomium quoddam populi, uel principis. Quapropter iuxta Platonis ſententiam, primùm quales hi ſint dicendum eſt, deinde qualia eorum opera. Ergo in hiſtoria populi hæc primùm deſcribūtur; Longè ab originibus, & omni antiquitate

Coſmographicum.

Phyſiologicon.

Hiſtoria.

tate repetita initia ciuitatum, atq; progreſſus: deinde mores inſtitutaq; gentis, quæ eſt prior illa pars encomij. Poſthæc res geſtæ ſequentur: & primùm quidem cauſa eius rei quæ potiſsimum exponenda ſuſcipitur. ueluti (exempli cauſa) ſi bellum narrandum eſt, & in bello altera pars illa encomij ponat̃: cauſæ odij, & iniuriæ, uel cupiditatis, & ſpei ſignificant̃: deinde ducum conſilia, horumq; ſententiæ ſæpius inter ſe diſcrepantes, interdum conſentientes. Sequitur ducis electio. Huius notari oportet genus, educationẽ, res antè geſtas, & ingenium: quemadmodum Liuius ſtatim Annibalis mores & perſonam deſcribit, Saluſtius Iugurthæ. Ducis electionem præcedere poteſt explicatio facultatum reipublicæ & ſocietatum: poteſt etiam ſequi. Hic uulgus præ ſolicitudine & timore in partes rapitur uarias, & rumoribus incertis locum præbet. Iam fiunt apparatus terreſtres, & maritimi. Inter hæc obſeruantur auguria, petuntur oracula, fiunt ſacrificia, mittuntur legati, excipiũtur transfugæ, indicitur bellum, progrediuntur itinere pedeſtri & maritimo exercitus: in quem locum ſtatim occurrunt deſcriptiones temporũ, locorum, regionum, urbium, montium, fluminum, tempeſtatũ, obſidionum, diſſenſionum, pugnarum: item aliarum rerum tum naturalium quæ nouitate mouent, tum fortuitarum quæ interea accidũt. Narrantur conſilia ducum, & militum res geſtæ, partim conſilio, partim temeritate. ubi nunc quidem timor mentes occupat, paulo pòſt fiducia, iterũ dolor, ac rurſum lætitia: tum frigoris & caloris, famis, peſtilentiæ, tempeſtatumq; uices, uulnera, laſsitudines, fugę, terrores inexpectati. Multa enim ex temeritate incommoda, multa ab inſidijs contingũt. Propter hæc opus eloquentia ducis, & conſilio: ut oratione confirmet, excitet, increpet, laudet, obiurget pro rei neceſsitate. Ante conflictum inſtruitur acies, militum animi uariè afficiuntur: & dux omnia magno cõſtantiq; animo obit munia, hortando, imperãdo, diſcurrẽdo, pugnando. Iam illa quæ ſequuntur, nimis nota ſunt: cædes, fuga, uictoria, præda, direptiones, ſeruitutes, & reliqua, quæ hic ira, libidineq; uictoris, perpetrantur. Inter quos autor hiſtoriæ inſtar iudicis ex loco edito, commendare horum fortitudinem, illorum ignauiam & temeritatem declarare poteſt (modò abſit à maledicentia) uel certè in Deum referre, et humanam deplorare conditionem. Sæpe etiam ridet humanos caſus, & contemnit: ſæpe admiratur: ſæpe introducta perſona inimici uel alterius, ſtultos arguit, ne qua ſuſpicio uel gratiæ ſit in ſcribendo, uel ſimultatis, duo ſcopuli ſcribentibus hiſtoriam infeſtiſsimi. Tam enim præteritione eorum offendere ſolent qui nominari uolunt, quàm mentione eorum quos neceſſe eſt reprehendi. Hiſtoricus enim ut iudex (quemadmodum dixi) ſedet, tam eorum quæ iuſtè

uel ſecus, quàm quæ imprudenter geſta ſunt, cauſas & rationes oſtendens: prolatiſq́ in utramq́ partem teſtimonijs, uirtuti adiudicat laudem atq́ admirationem, uitijs uerò pœnitentiam atq́ dedecus. Quare (mea quidem ſententia) ſoli hominum tam domi quàm militiæ, prudentiſsimi exiſtimandi ſunt, qui fortunæ uices, & inconſtantiam rerum humanarum exemplis frequenter edocti, & hominum ſtudia, tam principum quàm uulgarium ſcribendo meditati, non diuitias aut imperia aut uoluptates, ſed nihil admirari, nihil nouum putare, hoc ſummũ in fœlicitate humana poſuerunt. Itaq́ non poteſt ſine fructu prudẽtiæ legi hiſtoria. Quis audeat negare? Hęc eſt magiſtra uitæ, antiquitatis cuſtos, exemplorũ promptuarium, artium atq́ diſciplinarũ omnium theſaurus locupletiſsimus. Quod ſi uoluptatem quęras, nuſquam maior. Nam perturbationes & motus animorum, fortunæq́ uices incertæ, cum ipſa per ſe delectant, multo etiam magis in hiſtoria: quod ueritatis ſpecie fiunt omnia maiora quodam modo. Iam dictionem alí hic uideas molli liquidóq́ ſucco: cuius uirtus præcipua ante alias fieri debet ſplendoris, poeticæ perſimilis. Eſt enim carmen ſolutum hiſtoria, & reuinctum numeris epos: quæ non ad probandum aliquid, ſed ad narrãdum cum ingenij fama & ad memoriam poſteritatis ſuſcipitur. Ea re maiorẽ licentiam ſibi permittit figurarum, quàm ullum ex ſuperioribus genus. Claritatis fiet alter locus: ne rerum obſcuritas, aut dictionis, lectionis curſum remoretur: ſed uiua omnia, & ſe quodam modo mouentia uideri debent per euidentiam. Breuitatem autem ita præſeferet, ut ad finem citò properantem dictionem oſcitando lector nõ prætercurrat, ſed omnia liberè uideat & contempletur: extenſione rerum multitudinem ita cõtinuante, ut ipſi ultrò colligatæ & connexæ orationis curſum, tanquam ſecundo amne ſequamur. Nihil ideo ſuperuacuum, nihil ſuo loco non dictum: nec à re propoſita ſemel digredietur uel excurret, niſi coactus neceſsitate. Siſtunt nanq́ hæc perpetuitatem, et intelligentiam tanquam conuellunt. Ita ergo primæ duæ formæ huius ſcriptionis ſunt, puritas & claritas: quas ſequi debet ſplendor, autoris induſtriam uel ſola cõmendans. Neque enim modò res illuſtres, uſuiq́ quotidiano neceſſarias cõtinere debet hiſtoria: ſed etiam alias (cum opus erit) figurarum & eloquutionis cunctis luminibus illuſtratas. Tanta eſt rerum quæ narrantur dignitas, quanta eius qui narrat uirtus atq́ eloquentia. An non Græcorum & Romanorũ res geſtas, ſi cum Gothorũ, Huuandalorum, Tamberlani, & ſimilium barbararũ gentium facinoribus & fortitudine conferantur, fortunæq́ incertis caſibus & uarietate, indignas duxeris quæ ad poſteros tranſmitterẽtur: tanquam ludos pueriles, & mulercularũ rixas, in quibus exponendis ipſi ſibi & ſtylo

Hiſtoriæ utilis lectio.

Hiſtoricæ ſcriptionis uirtutes precipuæ.

lo indulſiſſe ſcriptores uideant? Compoſitio ſit fuſa & lenis, qua- Cõpoſitio.
lis Herodoti:non ieiuna,neque aſpera,neq; elaborata, qualis eſt Latinorum omnium.Ieiuna enim ornatu caret rerum illuſtrium, gorga lectorem prӕterfugit, aſpera eſt inſuauis. Ergo molli iunctura labetur, cum extenſione moderata per hyphegeſeis, ut aliӕ ab aliis ſententię quaſi trahant:niſi cum res alia ſe offerat. Quam rationem ignorauit Claudianus poeta in illo principio, *Dux Herebi quondam*: et meritò à nobis reprehenditur.Non modò enim poetӕ nullum decorum in tanto uerborum ſenſuumq; tractu ſeruauit, ſed ne hiſtorici quidem:nuſquam lectorem commonefaciens, nuſquam finem faciens. Continuatio igitur huiuſmodi erit,qualis illa Saluſtij:Ex his centuriones omnes electos & euocatos, prӕterea ex gregarijs militibus optimũ quenq; armatum in primam aciem ſubducit:C.Manlium in dextra, Feſulanum quendam in ſiniſtra parte curare iubet: ipſe cum libertis & colonis propter aquilam aſsiſtit. Quòd ſi commatis,aut conuerſionibus uti magnos uidemus hiſtoricos, & ab illa extenſione ſeſe cõtrahere: id puta non ex ratione eſſe ſtyli, ſed ad ornatũ ſtyli adhibitũ,& leuamẽ,ne ſimul cum lectione languida defeſſus lector oſcitet. Dignitas ergo illa aberit,quӕ in ſententiarũ aculeis & punctis ſita eſt.Dirimit nanq; hęc continuitatẽ,& ex hiſtorico philoſophũ facit autorẽ. Nec ſubtili admodũ formӕ,aut aſperę,aut cõcitatę locus erit,cõciſis moleſtisq; omnino characteribus. Verùm ut ſupinitatẽ & oſcitantiã fugiamus,continuatio ipſa extenſioq; Adiuncti,ex cõuolutis,cõuerſis,oppoſitis,atq; alijs huiuſmodi figuris diſtingui impleriq; debet:ut in orbem cõcluſa oratio,unà cum perpetuitate ſtyli, multos unà ſenſus conducat. Non iniuria ergo Thucydidẽ reprehendunt ueteres, quòd ſimul plura adferẽs, narrationem confundit.Siquidem diſtributionis illius temporum, quam fecit in ӕſtates & hyemes,ſeruare ordinem conatus, ſæpe cogitur, antequam res finiatur, ad aliud negotium tranſire, quod eodem tempore,nõ eodem tamen loco aut ratione acciderit, atq; hoc pacto reliquam narrationem in alia uel hyeme uel ӕſtate proſequitur.Quod quidem tum narrationi tenebras offundit,tum uerò maximè uim memoriӕ retundit. Quod quemadmodum ſæpe accidit, ſi uarijs in locis eodem tempore ſint narranda aliqua quӕ accidêre, & niſi ſimul intelligi non poſſunt:ita ſingula exponentur, ut tranſitu palàm abſcedatur ab una re, atq; ad eandem poſtea etiam apertus fiat reditus. Id autem conſequaris tam ſignificatione temporis, quàm loci. ueluti hac forma,Per id tempus: interim circa Siciliam: Dum hӕc in Venetis gerũtur, Q. Titurius Sabinus cum his copijs quas à Cӕſare acceperat,in fines Vnellorum peruenit. Saluſtij autẽ Gorgotes pauca quӕdam,etſi illuſtria nonnihil, quia tamen ſepara-

Continuatio. Thucydides. Saluſtius.

ta profert, iure optimo cedet Liuio: quem continuus ille, & ueluti
pleno ſenſuum flumine lacteus decurſus orationis (cum Romanæ
ciuitatis omnium potentiſsimæ memoriam rerum complectatur)
nõ tam ex argumenti magnitudine commendat, quàm primum in-
Liuij excellentia. ter Romanos hiſtoriographum eſſe, atq; inter prudentiæ profeſſo-
res prudentem, & rerum humanarum peritiſsimũ exiſtimari fecit.
Qui quidem ſi græcè, non latinè, eam narrationem ſuſcepiſſet, mul-
to etiam futurus erat copioſor & lenior, propter Græci ſermonis
uolubilitatem. Nunc enim ingenij ubertatem illam feliciſsimam,
Deus bone, ſterilitas Latina q̃ ſæpe remoratur? quàm miſerè ſiſtit?
Cæſar. Sed ea facultate etſi utrumq; uincit Cęſar: utriq; tamẽ cedere nõ ne-
garim, ob tenuitatem: & quòd (non ut illi) res geſtas à populo Ro-
mano cunctis mortalibus enarret: ſed ſua tantum facta ad ſenatum
refert, populumq́; Romanum, ſine ulla cura aut apparatu, fortè ob
Imperatoriam dignitatem et uictoriarum gloriam ſecurus. Securus
Iuſtinus. quoq; nimium eſt ueritatis Iuſtinus, et in fide alterius multa pręter-
currit, ueluti breuiarium componens: alioqui terſus & elegans, &
Tacitus. diligentis eloquutionis autor. Magis toruus eſt Tacitus. In Liuio
autem ut damnare non audeam, quod Trogus Pompeius, quòd di
rectis orationibus, artificioq́; rhetorico compoſitis hiſtoriam hiare
Polybius. atq; diuelli facit: ita nec laudare poſſum, quòd Polybius nimis mul-
tas ſententias cumularit. nam ſi illud poeticum eſt, & fictum: ita hoc
certè affectatum. Sed utriq; hic cõdonabit morum ratio & natura.
illi quidem inerat facilitas, & ad poema natũ ingenium: huic graui-
tas, & conſiliorũ pondus, apud Scipionem gratiam cõciliabat. Sed
Herodotus. quod in Herodoto omnes tam Græci quàm Latini fidẽ deſiderant,
quis nõ de elegantiſsimo luculentiſsimoq́; ſcriptore conqueratur?

De Poeticæ Decoro. Cap. 5.

QVI poetas admirantur, cum hiſtoriæ præferendam eo-
rum artem putẽt, cæteris quoq; præreptam eſſe palmã,
unamq́; colendam ac uenerandam poeſin arbitrantur.
Poeſi hiſtoria inferior. Nam quòd huic cedat hiſtoria, inde colligunt, quòd hi-
ſtorici facta duntaxat narrant, quæ uel ipſi uiderunt, uel ab alijs fide
dignis acceperunt: aliud religio ſit exponere. Poetę autem non ſolũ
facta, ſed uti fieri potuere, multa ſcribunt: quod indiciũ eſt, philoſo-
phari eos magis, propterea quòd circa uniuerſalia magis uerſantur,
& quid quenquam deceat magis expendunt, probabilia ſcrutãtur,
& perſonis idonea nomina (uelut in Comœdia) imponunt. Philo
Philoſopho poetã præſtare. ſopho autem præſtare etiam hactenus uolunt poetam, quòd nõ im
perioſe (ut ille) ſed exemplis, & ſub perſona, quaſi in ſpeculo, tam
uiuendi rectè normã exhibet, quàm naturę uim uirtutemq́; demon
ſtrat. In hanc ſententiam Horatius:

Qui

Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Planius ac melius Chryſippo & Crantore dicit.

Neq; enim poetæ nomen ſtatim meretur, qui quomodocunq; uerſum pedibus metitur, ſenſumq; numeris claudit (hoc enim puerile eſt) ſed opus, inquiunt, ueluti diuinitate quadã eſt, & enthuſiaſmo, ſine quo Democritus & Plato eſſe ullum poetam negabant: ſine furore, inquam, & afflatu quodam numinis. Ego quidem magnã eſſe uim furoris in poetis & agnoſco, & confiteor: utilitatem uerò magnam non puto: ſecli potius incommoda peſsimos poetas, qui ferè contraria ijs docẽt ſuis fabulis, quæ à legiſlatoribus iuſtis & ſobrijs præceptoribus traduntur. Nam quod Catullus inquit, *Poeticus furor.*

Nam caſtum eſſe decet pium poetam
Ipſum, uerſiculos nihil neceſſe eſt:
Qui tum deniq; habent ſalem & lepôrem,
Si ſint molliculi, & parum pudici,
Et quod pruriat incitare poßint:

ego nec caſtum nec pium eſſe cenſeo talem poetam, cuius animum ocij plenum, cogitatio impudica, impiaq; detinet ac delectat. Nec laudi eſſe debet furoris paſsio & inſania, cum uel inſaniat homo, uel uerſus faciat: & quod alius,

Si dare uis noſtræ uires animoſq; Thaliæ,
Et uictura petis carmina, da quod amem.

Cæterùm quia in hoc genere clariſsimi quidam extitere aliquando uiri pij & graues, qui uel ipſi animũ relaxantes, fabulas moresq; hominum finxere: uel ſalubria præcepta ſuauitate carminis intingentes, poſteritati bene ſapiẽterq; cõſuluere: & quia nulla unquam fuit adeò immanis efferaq; natio, quæ poetas non ſuſpexerit, carminaq; cum uoluptate panxerit, atq; edidicerit: præterea etiam, ſi orationis uelit aliquis omnis modos & anfractus noſſe, quia nuſquam maior copia figurarum ſe offert, aut expreſsius artificiũ inuenitur, ductusq; ſententiarum lucidiores, quàm in poeſi & poemate: idcirco de poeſi, eiusq; decoro (nimirum parte noſtri operis, in qua omnes orationis artes cùm requiruntur, tum obſeruantur) noſtra erit ultima tractatio atq; inſtitutio, & ueluti extremus actus. Quam partem niſi numeris omnibus iam abſoluiſſet poeta non minus quàm philoſophus Ariſtoteles, fortaſſe & nos pro ingenij uiribus inueſtigare inquirereq; tentaremus: ſed mea ſemper fuit opinio, ſi ullo in opere ingenium philoſophi admiramur, hic certè pluſquam omnes poetas & ſapuiſſe, & quid in poemate deceat dedeceatq; intellexiſſe fatendum eſt. Huius conſilium quis non admiretur? Primùm iubet, ut alta mente côncipiatur tota fabula ſimpliciſsimè: ut, Vitiat uirginem adoleſcens, quam putat meretricis cuiuſdam ſororẽ. huic *Ariſtotelis ars poetica.*

aliam

aliam pater uxorem deſponderat:& ut filij animum probaret,ſimulat futuras nuptias.Filius ſerui ſuaſu nõ repugnat patri.Futurus autem ſocer,qui pater etiam erat uirginis olim ſubreptæ, ut uidit natum à meretrice puerum,generum abdicat : ſed inſperato agnitam filiam,collocat adoleſcenti:& alterã,quam huic deſponderat,amanti alteri adoleſcenti tradit. Item aliud Homeri:Multos quidam annos peregrinatus,& à cũctis relictus,ab unoq́ tantũ ſuſceptus Neptuno,cum facultates omnes domi à procis conſumerẽtur,adeò ut & filio ſuo iam inſidiæ ab ijſdem ſtruerentur : iactatus pelago, domum tandem peruenit:ubi aliquos agnoſcẽs, impetu facto interfecit,& ipſe ſoſpes euaſit. Sic igitur concepta fabula,iubet deinde Ariſtoteles,ut nominibus ſubſtitutis,Epiſodia ingrediamur (in epopœia quidem longiora,in dramatis autem breuiora)demum elocutione minimè plebeia paulatim totam à capite ad calcem ut ſic exponamus ac perficiamus fabulam,ut ex dictione ſola,etiam non adhibita actione, palàm fiat : utq́ moratum aliquid ſemper introducamus,& præterea admirandum.omnis enim admiratio animum facilè titillat uoluptate. Quòd ſi res parum illuſtris aut lepida fuerit, ut ibi elocutionis artificium omne proſeratur : ſi non credenda, ut eam referas uel ad poeſin,uel ad famã,uel ad aliud quid,quo fiat credibilis.non enim cogimur, uti res geſtæ ſunt,ita eas narrare:ſed uti fuit uel neceſſe,uel poſsibile,uel ueriſimile. Quinetiam illud obſeruandum, ut ueriſimilia magis quàm poſsibilia ſectemur:non eiulationem Vlyſsis in Scylla. Quoniam ergo poeſis, ut nomen ipſum refert,fictio eſt, &,ut Ariſtoteles,etiam imitatio : quærendum primo loco uidet̃,quod primum,& generaliter omni poemati neceſſarium decorum tribuamus. Hinc enim & genera poematum facilè deducemus. Si igitur uerũ eſt quod tradit Ariſtoteles, poetã, ut & pictorẽ,imitari & fingere (quanq́ non longè hæc à ſeſe differãt, ac diſtent) imitari tamẽ alia hunc deprehẽdemus,alia fingere. Imitabitur quidẽ actiones:ſed finget ea quibus illas imitabit̃. Siquidẽ Polycletus hominẽ formoſiſsimũ elegãtiſsimumq́ relaturus,ex marmore finxit hominẽ,nõ ueræ naturę fecit:& Homerus uirũ fortẽ imitaturus,atq́ ſtrenuũ,multa in Achille ac uaria facinora cõmentus eſt. ſic animi occultos motus, pedum manuumq́ motibus & tibiarum modis ſæpe repreſentamus. Senſit autem idem philoſophus poeticam hanc imitationem,de qua loquimur, tribus minimum generibus fieri:numero,ſermone,harmonia, adeò ut artem muſicam poeſi ſubiecerit.Etenim ſaltatio,motu & figuris corporis, geſticulationumq́ numeris, nõ minus aliquando quàm ipſa oratio, tam mores & perturbationes hominum refert, exponitq́, quàm ipſas actiones. Exemplũ eſſe poteſt, quod de ſaltatore quodam ſcribitur : qui

Poetica imitatio quib. conſtet.

coram

coram Demetrio Cynico Veneris & Martis adulteriū tanta perſpicuitate geſticulando ſaltauit, atq; imitatus abſq; tibijs & cantu eſt, ut exclamarit quidem Demetrius, Audio ô homo quæ facis, nec uideo ſolum, ſed manibus ipſis mihi uideris loqui. Adeò ſubtilis ille artifex omnia numeris exprimebat, ut & Vulcanū à Sole agnoſceres commonitum utriq; ſtruere inſidias, captosq; retibus ambo coràm exponere: Venerem pudore ſuffuſam, Martem ſupplicem, & Deos alios alijs affectos modis propter ſpectaculum. Optimè igitur Plato: Imitatio eorū quæ dicuntur figuris expreſſa, artem confecit omnem ſaltandi: qua concinnè alij, alij inconcinnè mouentur. Duorum præterea generum honeſtę ſaltationis, unum appellatum fuiſſe tradit Pyrrhichen, quod exercitationis militaris & bellicę ſpeciem referebat: alterum Emmeliam, quietum & pacificum, & uoluptatis honeſtæ plenū. Imitatur autem Pyrrhiche flexus omnes corporis, quibus tela plagasq; uitantur, declinando, retrocedendo, exiliendo in pedes, humi ſe cōtrahendo: aduerſus alios etiam tanquam agendo aliquid, ut ſagittādo, iaculando, cædendo, cum alacritate & decoro animi cuiuſdam ſtrenui. ſecus enim turpis eſt & indecora ſaltatio, tam hæc, quàm paci cōueniens illa, ſi turpe aliquid aut obſcœnum imitetur atq; inducat. Vocis autem ſonus atq; modulatio quid poſsit, ſatis quoq; compertum uſu eſt. Verùm enimuero, etſi ſaltatio poeſeos quoddam germen eſt, ueluti perfectioris imitationis quàm ſit purus ſermo, quod ex carmine et numeris tanquā effloreſcit: & quamuis harmoniam ineſſe aliquam ac melos oporteat in ipſis metris, quam ſeruare carmen nitatur: tamē ut poeta leges illas obſeruet, nihil omnino neceſſe eſt. poteſt enim carmen idem nō in eodem poni tibiarum ſyſtemate: nec quantum poteſt cogitatione celeri poeta inuenire, tantum neceſſe eſt pedibus manibusq; (quibus non rarò capti ſunt literati) ut poſsit. Diſtincta ſunt munera ſapientiæ & artium. Sed utriq;, & muſico & ſaltatori, materiā, quamuis rudiorem, ipſe tamē certè omnem ſubminiſtrat poeta. Primùm quidem numeros ipſe nactus eſt, & obſeruauit: quorū leges ille cuſtodiens, multa comminiſcitur pedum manuumq; agilitate, cōcentus præterea & modos ſi digitis aut plectro non percurrit: ita tamē uerborum tonos periodosq; ſententiarū diſponit, ut ab illis uel nō diſcedat citharœdus: uel ſi diſcedat, eorum tamē formā atq; ideam ante oculos habeat: & quam in his neglexerit, in alijs referre delectetur. Itaq; poetarum inuenta ſunt, rhythmi atq; etiam modi: quos poſtea ab his mutuati muſici & ſaltatores, auribus metiuntur, excolunt'q; accuratius. Ergo ut ad rem reuertamur, cum actiones hominum imitari poſsis agendo, loquendo, cantando, & ſaltando: nō ſolum fingendis his cōſtabit tota poetica, ſed genera etiam eius per

hæc ipſa diſtinguemus: eruntq́ poematum differentię, Dramaticũ, Epicum, Dithyrambicũ ſeu Lyricum, & (quæ ab omnibus uulgò Muſica appellatur) Aulicum. Primi generis ſunt tragœdię, comœdiæ, & quæ perſonis introductis aguntur in theatro. Secundi, ſcripta heroica, ueluti Homeri, Vergilij, quæ cõtinuo dictionis filo res geſtas narrant. Tertij ſunt, Odæ, hymni, epigrãmata, & elegiæ. Quartum, quod oratione caret, citharœdis relinquimus, et auletis.

Dramatica.

Res.

Cum itaq́ ſint in poemate πιτριμυϑία, hoc eſt ficta omnia (ſic enim importat uis nominis) orationis poeticæ ideam quoq́ ex fictis partibus fieri oportebit: hoc eſt, nõ ueris omnino, ſed ueritatis ſpeciem præſeferentibus, & ueritati proximis. Ergo & res fictę erunt, & ſententiæ: ficta methodus, & figurata: fictę dictio & interpretatio, (hoc eſt flexæ, modoq́ aliquo innouatæ) ficta demum compoſitio & elaborata, nulloq́ pacto uſitata. Id eſt, quod alia lingua dicuntur loqui poetæ. Finguntur autem ſenſus uel fabuloſi, uel ſimplices. fabuloſi quidem (ut ſuprà diximus) de Dijs, de hominibus, de rebus alijs: ut de Dijs ſunt, quæ de Ioue, Neptuno, & alijs ſub humano affectu narrantur: unde facta ipſorum inter ſe uel cum hominibus exiſtũt, ut amores, bella, educationes, partus, & ſimilia. Hominum finguntur transformationes: ut Cadmi in draconem, Daphnes in laurum: monſtra, ut Centauri, Cyclopes, Sirenes, Argus: facta prodigioſa, ut extractus ab orco Cerberus, ſublatus humeris Atlantis polus. De rebus autem alijs multa licet confingere, maximè per proſopopœiam: nam aquilã nunciã Iouis, & Iridem ſeruire Veneri, & quercus reſponſa Phœbi reddere, iam tritum eſt. Simplices demum ſenſus fingere procliue eſt, qui affectum quodam modo animũ oſtendunt, aut ad minima quæq́ deſcendunt. ut,

—Nox humida cælo

Præcipitat, ſuadentq́ cadentia ſidera ſomnos: &, Percuſſus in terram cecidit. Atq́ his quidem rebus conſtat fabula, primum ac præcipuum opus poetæ. Non enim metris numeriſq́ genus hoc orationis metiri debes, ſed rebus inuentis. Quare in hunc ordinem nõ recipies, licet metricè ſcripſerint, Empedoclem, Aratum, Dionyſium, Lucretium, Lucanum, quorum nulla eſt narrata fabula: ſed potius ediuerſo Herodotum, Amadiſium, & Scipionis ſomnium, inter poemata recenſebimus, licet numeris ſoluta ſint, & indefinita: quoniam fabuloſa, non uera argumenta tractant, & falſa ſunt quæ comminiſcuntur, aut ſupra fidem & naturæ indicam conſuetudinem. Res igitur poematum ſunt huiuſmodi. Sequitur Methodus ſimiliter non uera. Neq́ enim ex ſe ipſo & propria perſona loquitur poeta: ſed uel introducta perſona agit (ut in Dramate) uel ipſe afflatus quaſi numine cantat, & uaticinatur: quamobrem & uates dicitur. Hinc eſt,

Methodus.

ut

ut ab inuocatione maius opus ordiantur ſemper, ueluti Iouis, Mu-
ſarum, Apollinis. Muſam quidem accerſunt Heroici, maximè * Pe- *Fortè Calliopen.
nelopen: Iouem, humiliores: Apollinē uerò regem Dithyrambici,
qui ob eam rem quoq; Amphianactes appellari ſolent. Incipiebāt
enim ferè omnes hoc principio ἀμφί μοι ἄναξ. Statius certè ubiq; ſe
furore dicens poetico loqui, uel ad deorum numen aliquod referēs
ſuum carmen, quanta in religione habuerit hoc præceptum docet
in Thebaide: *Pierius menti furor incidit: unde iubetis Ire deæ?* In Achilleide:
Diua refer. nec uſquā aliter fecit. Et odas, cum uotis plenæ ſint, etiam
hoc nomine ponimus inter poemata. Dictionem & elocutionē di- Dictio.
xi debere maximè flexam, & à uulgi ſermone ſublatam eſſe. Cicero
dicit, alia quadam lingua poetas loqui. Nam & onomaſiæ omnes
modos ſectantur: & loquendi formas cum ſæpe innouent, neceſsi-
tatem carminis excuſant: et quod ſtudioſe quærunt, uelut oblatum
caſu ſuſtinuiſſe ſe dicūt. Quis enim auderet niſi poeta dicere, ſyluas
comantes, & mare ueliuolum? In cōpoſitione uulgus proram (ut Cōpoſitio.
dicitur) & puppim collocat: ut flagitiū ſit nulla dignum uenia, ſi in
ſyllaba peccetur: & τοὺς ποιητὰς non aliunde dictos putant, quàm à
faciendis uerſibus. Vtcunq; ſit, ſiue primum opus menſurationem,
ſiue neceſſarium ducas, & ſine quo poema dici nequeat: tamen cum
conſtet apertiſsimè, tam ſapiētes & doctos, quàm rudem populū,
ſoluta numeriſq; libera oratione, & in colloquijs & in contentioni
bus uti: ſi imitaturus quis ſermonē alterius, aut actionem, ſyllabas
nectat & metiatur ſolicitè, atque ad certas leges omnia componat,
hunc certè fingere quæ agit, nulli dubium eſt, tanquam ueritati pro
xima, haud tamen uera, uel natura ſolita. Quapropter ſi rhythmo
imitatur, totam faciet numeroſam, pedibuſq; certis & uerſibus di-
ſtinctam orationem. Porrò autem licet eligendorum uerſuum non
ſit ubiq; par facultas atq; copia, ſed ſua cuiq; poemati ſtet lex, ſuus
cuiq; decor: ne uel comœdia aſſurgat in cothurnos, aut contrà tra-
gœdia ſocco ingrediatur. nam ut ineptè argumentum carminis he-
xametro funditur: ſic narrationem longiorem, ſi alio genere conci-
pias, tendente in acutum pronunciatione, adeò ut præ raui ſpiritus
deficiat, ipſaq; uox corrumpatur, & rei amplitudo in anguſtias me-
tri redacta turpiter deformetur (luculenter quidem Steſichorū ille
reprehendit, maxima bella, clariſsimos canētem duces, & Epici car
minis onera lyra ſuſtinentē) tamen in odis & chori cantibus, ſi no-
uum genus aliquod metri excogitaueris, apteq; cum alijs coniunxe
ris (quod alij plures olim meruere) fortaſſe & ipſe inuenti carmi- Inueſtigatio noui carminis.
nis memoriam æternitati cōſecrabis. Nec magnus quidem in ea re
labor eſt, cum ſint ab Hephæſtione metrorū ſuperius finita genera.
Quæ ſi in catalectica, acatelectica & hypercatalectica deducant, cre

ſcet numerus:ac multo etiam magis periodorum uerſuumq; innumera diſcrimina reſiliēt,ex dimetris,trimetris,tetrametris, et ex horum inter ſe (quæ commiſceri poſſunt) coaptatione & nexu. Non enim paſsim omne metrum omni metro congruit, etſi unumquodq; in ſuo genere ritè pangetur. nam ſi quis tunicam ita conſuit,ut altera plagula ſit anguſtis clauis, altera latis: utraq; pars in ſuo genere caret analogia. Sed de metris, & eorum demonſtrationibus,in libro de Muſica nos egimus. Supereſt ut cuiuſq; generis poeſin quid deceat,quæ forma laudet,perſequamur. Prima igitur

Tragœdia. omnium & præſtantiſsima dramatici generis eſt Tragœdia. In hac perſonæ introducūtur perquàm inſignes,ut heroum & regū, quorum res geſtas & memoriam continent antiqua monumēta. Ob id neceſſe eſt ad eaſdem ſemper familias nos reuerti,ut Tragœdia dignum argumentū afferamus,uelut Herculis,Medeæ,Priami,Tyndaridarū,& ſimilium. Inter tragicos primas habuerunt Æſchylus, Sophocles,& Euripides. Sed Euripidis nimis argumentoſa & diligens oratio:non fabulæ aut theatro tam idonea, quàm foro.illud autem nulla excuſatione dignum eſt,quòd barbaras aliquando mulieres introducit philoſophantes,& ſeruos aſperè reſpondentes,& reges mendicantes cum ſportulis hoſtiatim & peris. Æſchyli authadiam excuſat poematis antiquitas: quia multa nimis:licet deceat in primis tragœdiam authadia. Sed omne tulit punctum Sophocles: ſiue apparatū ſpectes fabulæ, in qua actiones cum decoro perſonis datæ ſunt,ſiue dictionis mores ſimplices & apertos cum ſublimitate et magnificentia,quoties eloquutionem uerba deſiderant. Latinorū,Medea Ouidij,& Varij Thyeſtes,ſolæ habebantur in precio:quæ periere. Nam Seneca omne actionis decorum (potiſsimā partem dramatis) multitudine ſententiarum amiſit.quod non ſolū in tragœdia reprehendendum eſt,quæ affectibus abundare debet, ſed in alio quocunq; opere. Adhibentur enim ſententiæ tanquam gemmæ:quæ ſicut raritate commendantur,ita uileſcunt multitudine.Et hac quidem in re æmulari uoluit Euripidem:ſed aſſequi non

Comœdia. potuit eius eloquutionem. Comœdia uerò tragœdiæ proxima, perſonarum mediocrium & deteriorum eſt:quorum nomina licet poetis fingere.Hæc actiones ex media uita deſumit:& uelut ſpeculum quoddam uitæ,mores hominum repræſentat cum uoluptate.

Satyra. Satyram perunctii fecibus ora,& in nemoroſo ac ſylueſtri olim theatro recitabant Græci,ad riſum tantum deprauantes ſententias & dictiones:eam tamen Latini ſibi nunc uſurpant, depoſita omni perſona, atq; apparatu ſcenæ. Quapropter illi iambo,noſtri hexametro ſcripſere. Sed in locum Græcę ſatyrę uulgo in uſu ſunt mimi,riſum actione magis quàm dictione captantes.Inter Grçcos unus recenſetur

tur Platinas ſcriptor ſatyræ. Ecloga porrò, ruſtica omnino oratio *Ecloga.*
eſt, nempe paſtorũ, & dici non immeritò poſſet Ægloga: ſed à con-
fabulatione & colloquio dicta eſt ἐκλογή, & ἀμοιβαίῳ plerunq; con-
ſtat carmine. Hic per allegoriam intelligi perſonas cupit poeta, uel
ſeipſum, uel ſibi charum aliquem, aut certè infenſiſsimum. Non eſt
autem adeò apta eclogæ, perſona piſcatoris aut nautæ, quàm paſto
ris: quem ſolitudo atq; ocium ad naturæ admirationẽ inducunt, &
contemplationem rerum à ſenſu abſtractarum, & doctrinę ſtudio-
ſum efficiunt. Illos commercia hominum & quæſtus non tam certè
ſimplices eſſe ſinunt. Etſi Sannazarius non infelicem omnino ope-
ram ſub hac perſona poſuit. Primus quidem, quem ſcripſiſſe eclo-
gam ferunt, Steſichorus Himenæus, & perſonas & materiam uide
tur tradidiſſe, accepit enim materiam ex fabula Daphnis, quem tra
dunt captum oculis propter uiolatam fidem, quam nymphæ dede-
rat. Ita res & perſonæ ex ipſo nemore petendæ in ecloga. Atque hi
quidem ſunto fines Dramatici generis, ex perſonis ſumpti. Fabu- *Fabularum*
larum autem hic ſcopus obſeruabit̃, ut in Tragœdia plena ſint om- *ſcopus.*
nia perturbationibus grauioribus, ueluti terroribus, admirationi-
bus, cõmiſeratione: ob necem, cruciatum, ob magnum ſcelus: adeò
ut uitã & mores hominũ diſſoluat. In comœdia cõtrà leuiora erũt
omnia, ut amores, ambitio, auaricia, charitas, & ſimilia ſtudia, quæ
alios cura & ſolicitudine, alios læticia afficiant: & cum uniuſcuiuſ-
que uitia & uirtutes in aliena perſona doceãt: tamẽ aliud uidenť uo
luiſſe mixtis ſalib. et dictis riſum aſpectatorib. mouentes. Satyra ꝓr
ſus ſcurrilis fuit: geſtu & dictione omnia deprauans, ut morderet.
Qua de cauſa unum ſemper præ oculis habet paralogiſmum, ut de-
cipere aut decipi in rebus notiſsimis, aut laudando turpia, aut uitu-
perando honeſta, uideatur: ubi ironia primas obtinet, & huius ſpe-
cies paragramma. Eclogę decorum id erit, ut ruſtica perſona ſapiẽ-
tiam, pulchritudinem, aut aliud quid iactet, cum oſtentatione. Qua
uerò in parte laus poetæ plurimum eniteſcit, fabula primùm eſt, &
fabulę apparatus ſeu œconomia, ideſt diſpoſitio actionum perſona
rum. deinde mores, tertiò ſententia. cum ſit enim poeſis genus imi- *Laus poetæ*
tatio & fictio: imitatio autem actionis, fictio fabulę: moribus actio- *quibus reb.*
nem imitamur, non ipſam per ſe, ſed quia talem quempiã efficimus: *potiſs. eniteſcat.*
ſentẽtia uerò, quòd ea mentem propriam aperimus, aut aliud quid
eſſe aliqua forma dictionis pronunciamus: quod in elocutione ſitũ,
iam dudum aperui & demonſtraui. Fabulæ autem uirtus maxima *Peripetia*
in peripetia conſiſtit. Vocamus autem peripetiam, tranſitum illum *max. Fabulę uirtus.*
ex contrarijs in cõtraria, quit fit præter omnem expectationem: qui
licet ſit fortuitus, neceſsitate tamen uel probabilitate nititur, & non
ſine cauſa iuſta aut temerè uideť eueniſſe. Vt exempla Ariſtotelis, in

Argo Mityi ſtatua, quæ ſuper ſpectantem collapſa, autorem Mityi
necis interfecit. uidetur enim hic cauſa lapſus fuiſſe ultio. item, Ac-
ceſsit delectaturus Oedipodem, eundemq́; parentis inceſtandæ me
tu liberaturus: quis autem eſſet, ubi oſtendit, contrarium effecit. Et
in Lyceo, ductus ille ueluti immolandus continuò: Danaus contrà
ſubſecutus ut immolaret: ſed accidit ex ijs quæ patrata ſunt, ut hic
necem, ille ſalutem acciperet. Pulcherrima omniũ illa peripetia eſt
in hiſtoria Ioſeph pulchri, quã ſcripſit Moſes in libro Geneſis. Er-
Agnitio. go locus alter in fabula ſit Agnitio: cum ſcilicet ex indicijs quibuſdã
aut ratiocinationibus, ex ignoratione in cognitionem alicuius de-
ducimur: unde ex odio in amicitiam, ex felicitate in miſeriam uel cõ-
trà incidatur. debetq́; ſemper actio hæc miſericordiam aut metum
præparare: alioqui frigeat cõmentum. Perturbatio ſequitur, ter-
Perturba- tia uirtus fabulæ. Eſt autem perturbatio ſeu affectus, actio dolore
tio. plena. ut cum neces, cruciatus, uulnera exponunt. & quærenda hæc,
ſi fieri poteſt, inter amicos & neceſſarios: quoniã hoſtiũ & horũ ſi-
milium uulnera & cædes miſericordia caret, parumq́; mouere poſ-
ſunt, niſi facti truculentia. Agnitione plurimum conſtat comœ-
dia: quo argumento ambitioſius aliquanto Plautus uſus eſt, quàm
oporteret. Ergo tragœdiæ finis erit terrificus, moresq́; ſeueriores:
Tragœdiæ & Comœdiæ diſcrimen. comœdiæ ridiculus, & illis ſolutiores. Quanquam, ut autor Ariſto
teles, mixtum genus deſiderat potius theatralis imperitia: & relicta
tragœdia, ob eam rem facta eſt gratior uulgo comœdia. Et mira-
tus ſæpius ego ſum, cum hæc uiderem, quî tanta fuit populi Roma-
ni grauitas atq; conſtantia, tantusq́; Latinæ dictionis amor, ut Te-
rentianis fabulis capi potuerit: in quibus tam pauci riſus, uſq; adeò
rara ſcommata, tam graues deceptiones. Sed agnoſco tempora. Vi
uebant tum Scipiones, Catonesq́; erant in precio, & incrementa fie
bant tunc temporis illius imperij: morib. populi in uoluptatẽ prola
bentibus, oratio facta eſt ſolutior. Differet igitur hoc tragœdia
à comœdia, & ex tragœdia comœdiã duces, ſi metum & terrorem
in ſubitam cõuertas lætitiam. Nam ſi Oreſtes & Ægiſthus, quos fa-
bulæ inimicos narrant, reconciliata inter ſe amicitia, neuter ab alte-
ro occiſus diſcedat, argumentum tragœdiæ in comœdiam migra-
bit. Quibus autẽ ex locis ducatur riſus, ſuprà ſuo loco diſputatum à
nobis eſt abundè. Actionis quoq; imitationem in ſententia poſuit.
cuius partes mihi uidentur eſſe, interrogatio, reſponſio, mandatum,
preces, minæ, & ſimilia quæ in allocutione ſuperius in tertio libro
poſui. Finis autem & conſilium ſententiæ, ut oſtendat aliquid eſſe,
uel non eſſe: ut ſoluat, quæ inexplicata ſunt: ut exaggeret uel dimi-
nuat factum: ut perturbationes & motus præparet. Danda uerò o-
pera eſt ut ex contextu fabulæ hoc ipſum ſequatur neceſſariò, in cũ

ius mu-

ius mutatione fortunæ mutatio continetur. Quoniam uerò nullam habet miſericordiam illa mutatio fortunæ, cum omnino improbi ex aduerſa in proſperam mutantur: neque terrorem, cum ijdem è ſecunda in aduerſam labuntur (etſi illud quidem humanius eſt) cumq; inhumanum illud aliud ſit, nempe cum uiri optimi ex felicibus fiunt infelices: ſequitur, ut in Tragœdia nec improbi omnino, nec omnino uiri probi introducantur: ſed media quædam ratio inter ſummam probitatem atque improbitatem teneatur. ita ut errore quodam humano (in Tragœdia quidem maiori, in Comœdia autem minori) ex felicitate lapſus in calamitatem is uideatur, quem introducis: non autem flagitio aut ſcelere. Debet enim in Tragœdia miſericordiã & terrorem incutere tota imitatio. Hæc autem motu caret. Quòd ſi gloria aut fortunæ ipſius fauor errori cauſam dederit, & caſui: multo eſt temeritas ipſa propenſior, et gratior peripetia. Ac mihi quidem multo maximè tragicum uidetur, non ſolum temeritate et errore ſummaq; inſcitia facinus maximum perpetrare, ſed etiã ſumma ratione. Docent poetarum exempla, & Cicero docet in libris de Natura deorum. Quocirca fieri poterit, ut in patrando ſcelere ſumma ratione utaris: ut Medea in necandis ſuis filijs. Fit etiam, ut ignorans uim facinoris, ſed agniturus poſtea, ut Oedipus apud Sophoclem. tertiò etiam, ut autor patrandum facinus agnoſcat prius, & ceſſet: quod tragicum non eſt, quia perturbationis expers: ut in Antigone Creontem fecit Æmon. Atq; hæc quidem ita ſe habent: quorum quæ grauiſsima ſunt, ea paucis expones, in alijs plenitudine utendum. Nam & ſi qua celeritatem deſiderant, ibi non tam oratione quàm nutu aliquo utêre. nam quæ natura ſunt illuſtria, ea ſolent flore orationis & diligentia obſcurari. Partes autem & Tragœdię & Comœdię fecerũt ueteres, nõ tam ui naturaq; diſtinctas, quàm quantitate: & uocarunt Actus, atq; Scenas: quos itu ac reditu hiſtrionum in ſcenam finiebant: nec ultra quintum produci fabulam uoluere. ſic enim poſſe totam in cõſpectu poni cenſuerunt. Probatur uerò mihi magis illa ratio, quæ quaſi membris natura differentibus & diuerſis drama diſtinguit. nam ut eam quantitatem retineamus qua eatenus producta actio ſit, donec tota palàm & quaſi ſimul fabula proponi poſsit: ocioſi eſt iſtud præcipere, cum liqueat omnibus, modum in rebus eſſe optimũ. Sed forma finiri debet, non menſura. Sint ergo membra hæc, Prologus, in quo argumẽtum datur, antequàm chorus intret orcheſtram: deinde chorus: tertiò τὸ ἐπεισόδιον, hoc eſt introductio inter chori cantus, rei alicuius extra fabulam: uel ad ciendũ riſum in comœdia, uel ad alia exponenda, quæ fabulæ ſeruiunt interdum, interdum etiam poetæ tantum gratia aſſumuntur. Poſt hæc ſequitur exodus,

Tragœdiæ & Comœdiæ partes.

Membra.

Epiſodiũ.

mutatione ſacta ex peripetia, uel agnitione, uel motu. ceſſat hic cho-
Chorus. ri cantus. Verùm quia chorum Latina grauitas non tulit, ideo ui-
detur nec tragœdiam potuiſſe diu retinere, quamuis actionum om
nium grauiſsimā. Erat autē chori cantus duplex: unus mobilis, ſeu
παροδικὸς (quę erat prima poſt chori ingreſſum locutio & cantus)
alter ſtabilis, ſeu στάσιμος, ſine trocheo & anapæſto. Stabat eñ cho-
rus ſeorſum in parte aliqua theatri. Prima autem illa locutio quam
dixi παροδικὸν, nunc ad dextram procedendo fiebat circum aram,
motu zodiaci: nunc ad ſiniſtram, ſtellarum motu: & demum ante a-
ram, ubi ſiſtebant ſe cantantes. horum nomina erant, ſtrophe, anti-
ſtrophe, epodos: aliter προῳδικὰ, μεσῳδικὰ, καὶ ἐπῳδικὰ μέλη. adduūt
& ἐξοδικὰ, uel ἀποχωρικὰ, quæ paulo ante exitū canebant. Poterat
aūt & poſt primum cantū recedere chorus, quæ dicitur μετάστασις:
& iterum prodire, quę erat ἐπιπαροδικὸς: ultimusq́ eius receſſus ἄφο-
δος, aliter etiā προσόδιον. Erat autem ἐμμέλειον quoddam προσόδιον,
quod accedendo ad altare cum hoſtijs offerebatur: & reliqua duo,
cum admotis igni ſacris inſtaurantes choros altaria circū canebant
ἀποχώρημα. hic uirile quiddā ac generoſum retinebat tota ſaltatio.
ſtantium uerò, στάσιμον. Quanquā inuenio apud doctos ſtabilē eſſe
chori cantum, cum anapæſto & trocheo, in parte aliqua theatri (ut
dixi) ſeorſum ab ara, & loco alioqui frequenti, chorus cantat. Illud
præterea fuiſſe in more inuenio, in comœdijs maximè, ut chorus
nonnunquam recedentibus mimis, ad populum cōuerteretur, mu
tata priori ſtatione ab orcheſtra in ſcenam. hic ſtans populum allo-
quebatur: & quę poeta cupiebat ad populum dicta, ipſe chorus re-
ferebat, ueluti querimoniam, aut aliud quid ſimile. Sed hoc parum
uiſum fuit tragicum doctioribus. Dicetur autem ea pars, ubi pro-
παράβασις. babitur, παράβασις, id eſt tranſitus, uel tranſgreſsio. cuius partes rur-
ſum fient hæ: κομμάτιον, παράβασις, μακρὸν, στροφὴ, ἐπίῤῥημα, ἀντίστρο-
Commatiū. φος, ἀντεπίῤῥημα. & commation quidem eſt, portiuncula quædam
breuis duorū uel trium uerſuū, ad parabaſin præparata, & audito-
rem diſponens. ea re ſolet tetrametris conſtare, parabaſis uerò ana-
pæſtico. Quod autem macron dixi, id eſt longum, cantiuncula eſt
breuis, uno ſpiritu continuo longoq́ prolata: quare ſic iure appel-
lata eſt. Strophe anapęſtica decurrit ab uno loco in alium ſe mouē-
te choro, & ad populum ſpectante. Huic iungitur epirrhema, uerſi
bus iambicis tetrametris ferè ſedecim, non pluribus. Strophæ de-
mum ſimilis eſt antiſtrophos, & epirrhemati antepirrhema. Sed
de his plura apud Græcorum interpretes & Volaterranum lib. 33.
ut de Latina comœdia nōnulla apud Donatū in Terentiū. Quan-
quam hac in parte, autore Fabio, claudicamus: nec recipere uidetur
noſtra oratio ſolis conceſſam Atticis illam uenerem, qualis in Ari-
ſtophane,

ſtophane, Eupoli, & Pherecyde cernitur. Hactenus ergo de poeſi dictum ſit dramatica,ſequitur epopœia. Hanc narratione finio con- Epopœia. tinuam, uerſu heroico deſcriptam, rerum mirabilium, & nouitate delectantium. Quapropter nullam harmoniam ſectamur: quia mobilis ex ſe ſatis eſt narratio, uel abſque numeris. Modò enim ſit pedum hexametri certa dimēſio, nulla quæretur alia periodus. Quin potius ſolutæ quantū fieri poteſt orationi ſimilem eſſe decet, & deſideratur: ut poſsit & inſurgere aliquando et intumeſcere. id autem conſequimur cæſorū ac periodorū ſola inæqualitate. Et magnum uitium incurrit Silius Italicus, cum ita metitur:

Ordior arma, quibus cœlo ſe gloria tollit
Aeneadum, patitur'q́; ferox Oenotria iura
Carthago. Da Muſa decus memorare laborum
Antiquæ Heſperiæ.— Manifeſtum igitur eſt, quàm illi decipiātur, qui ad lyram Vergilium canunt. Mixtum nanq; fieri quiddā oportet, ex continua uoce & diaſtematica, quod lyra tibia'ue non nouit. Abhorret nihilominus à quadriſyllabis dictionibus ſex temporum in fine: qualia apud ueteres leguntur, materies ut ſuppeditet rebus reparandis. Sed pentaſyllabæ & octo temporum dignitatem habēt interdum. *Locus Hippocoontis, Obuertimus antennarum, Fortiſsima Tyndaridarum.* Eſt prꝑterea in epopœia unius perſonꝑ una actio, ut in dramate: ſed differt multarum fabularum inductione, non uulgarium, nec uſu tritarum, ſed diſsimiliū uulgaribus & uſitatis: ut Vergilius transformationes multas introduxit nauium in nymphas, Veneris in uenatricem, Cupidinis in Aſcanium. Quod cum ita ſit, epiſodijs uarijs & multis utendum: nam & narratio excreſcere quantū lubet poteſt, & ratio carminis heroici omnia ſuſtinet. Quinetiā poeta ex perſona ſua quædam inſerit, etſi pauca. Sed reiectanda epiſodia affectata: in quibus eſt inquam manifeſta fictionis affectatio, aut nō ueriſimile argumentum. Quo in loco manifeſtè peccauit Ouidius, nimis affectatè connectens fabulas in Metamorphoſi. nectit enim hiſtoriā, nec unam tamen actionē proſequitur, nec unam perſonam: & uim facit connectendis rebus, adeò grauem, ut nemo tam firmæ ſit memoriæ, qui rem expoſitam continere queat, ne dicam intelligere. Noſtra ætate librum ſcripſit exiguum Hieronymus Fracaſtorius (nomen eſt Syphilis) in quo fabulas adeò uenuſtas elegantes'q́; immiſcuit, ut niſi ſecum nonnihil in narrando diſſenſiſſet, dignū exiſtimarem, cui inter magnos poetas locum darēt eruditi. Sed homo medicus erat. Haud enim potuit cogitationem fixam in uno argumento diu retinere: adeò ut licet principij oblitus, reliquum opus abſoluiſſet, cum utraq; eſſent laudatiſsima, maluiſſe credibile eſt utraq; relinquere. Atq; hactenus quidem de epopœia. Huic tamē

Satyra. ſubijciunt Latini Satyram, quam ſuam dicunt, & ex Græcorum ueteris Comœdiæ libertate deſumptam. Sed olim certè ſaltatoria fuit apud Græcos, & (quod ſuprà dixi) ſcurrilis: quæ quia præter dicta & conuicia nihil haberet, iambo iactabatur. Apud nos Perſius cum iambo cœpiſſet, eo relicto, in hexametrum recidit. Quare multum ab illo lepóre diſciuit Latinis, quippe quibus cum iambo malè conueniat. Satyræ uerò res ſubijciuntur turpes, uitia ſcilicet mortalium. Hæc ita pingit & nudat poeta, ut falſus opinione uideatur ſæpiſsimè per ironiã loqui. Sed quia in uiuos haud tutũ eſt ſales aſpergere: ideo tãtum uitia eorũ ſuggillat, qui cum totius populi inuidia deceſſere. Nec argumẽto in uno hæret: ſed inſtar Satyri capripedis, huc atque illuc ſaltat, & laſciuit, abſque ordine & modo. Illud enim in primis decet, ut ſignata re obſcurius, ſtatim in aliud reſiliat argumentum. Hinc illa tanta in Perſio obſcuritas: quod imperiti omnes ferè interpretes, cum argumento in uno retinere inuitum laborent, ille uerò ſtare loco nequeat, multas ineptias coaceruare, nugasque aſtruere coguntur. Ergo nec lucem ſectabitur Satyricus, ut faciunt Epopœi: nec amplitudinem, ut Tragici: nec ſimplicitatẽ, ut Bucolici: nec delicias & uenerem, ut Lyrici: ſed tenui ſtylo, acumen ſolum cum calliditate. Hæc mens Perſij fuit, omnium ſatyricorum mea ſententia præſtantiſsimi:

Perſij obſcuritas.

Verba (inquit) *togæ ſequeris, iunctura callidus acri*
Ore teris modico, pallentes rodere morſus
Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.

Genus iſtud carminis imitati noſtra ætate ſunt Galli: gens ſanè acuta, & ad ſales dictaque nata. Et nomen poemati inditum, Gallus gallinaceus ad aſinum: quo primo uſum fuiſſe conſtat Marotũ, lepidum certè poetam epigrammaticum, in ſuis illis rhythmis ſeu homœoteleutis uulgaribus. Itali prius dixerant Paſquillos, ab informi quadam ſtatua Paſquilli, quæ Romæ eſt. Sed & Paſquilli, & galli ad aſinũ, & ſimilia opera, diaria planè ſunt, haud longæ uitæ. Perſonas nanque tractant paucis, nec niſi eius ætatis notas hominibus: quorũ niſi in promptu ſit interpretatio, faſtidium capit. De ecloga iam dixi. Sed illud nunc adijcio: quoniam genus hoc perſonas habet ruſticas, quæ perſuaſione uel ſapientiæ, uel pulchritudinis, aut uirtutis alicuius, grauitatem præ ſe ferunt: ideo carmen exigit heroicum, diuiſum tamen frequenter (ut ſentit Terentianus) in quinta regione. Dactylus enim integer illa ſede penultima idoneus narrationis fini habetur: præſertim in membro productiore. quod hic perſonæ uel affectant, uel neceſſariò facere coguntur, quando carmen eſt ἀμοιβαῖον. Atque hæc quidem hactenus omnia ſunt epica poemata. Sequitẽ Dithyrambus. Hunc primò docuiſſe & nominaſſe Arionem citha-

Ecloga.

Dithyrambus.

citharœdū, autor eſt Herodotus: licet alij priorē ſcribant Philoxenum Citheræū. Conſtat aūt Dithyrambus & carmen omne lyricū, numeri uarietate inprimis: ut ad lyram tibiamq́ue cantetur. Non omnino ſequemur hic diuiſionem Ariſtotelis: quia poetarum ille genera fecit, Epicos, Lyricos, & Dithyrambicos. Iſacius Tzetza inter lyricos ponit Dithyrambicos, ſed altioris tamen cuiuſdam Muſæ arbitratur: quòd hymnos in Dionyſium uariè componerent. nam & à Baccho nomen hoc accepere. Lyrici uerò, & elegiaci, Veneri dicati, myrto coronabantur, & in menſa cantabant: ubi uidentur Dithyrambici choris ſeruiuiſſe. Ita Pindarus, cui nomen Lyrici datū eſt, ad menſam cantaſſe ſe docet, φίλαν ἀμφὶ τράπεζαν: nec ſine phorminge. Et nihil profectò obſtat, quin ad lyram Dithyrambici & poetæ omnes melopœi componant ſua carmina. Quanquam diſtinguūt quidam, alij hymnos in pæanas, dithyrambos, & amatoria. Siquidem pæanas Apollini, alios Baccho, amatoria Veneri ſacrabāt. Sed pæanes quidem plurimum graſſante peſte canebātur: quod Apollo dictus eſſet Pæan, ὅτι κατέπαυσε (ut loquuntur) τὸν λοιμὸν: Bacchus autem Dithyrambus, quaſi λυθίραμβος: ἀ λύθι ῥάμμα, ideſt ſolue ſuturam. Alij deducunt à duabus portis, quibus natus eſt: uentre Semelæ, & femore Iouis. Sed utcunq; ſit, nomen conſtat poetarum eſſe qui Bacchο canerēt. Iulus autem, Veneri dicatus hymnus: uel ob filiū Æneæ, uel quòd grata Veneri eſt prima lanugo pubertatis. Erant & alia hymnorum pro argumentis nomina: ut Cletici, qui inuocationem continebant, ueluti Sapphus & Anacreontis: Apopemptici, qui Deorū peregrinationē, ut apud Bacchylidem: Phyſici, ut Orphei, Empedoclis, & Parmenidis: Epithalamij, ut Pharſalij, & Heſiodi, quem cecinit Peleo & Thetidi. Cæterùm omiſsis quæſtionibus his, illud mihi tenendum uidetur: cum ſæpe hexametro conſtare hymnum reperiamus, nec minus alia argumenta ſotadeis uerſibus: ut ab argumento poſthac, non à metro finiatur. Et ne obſit illa uerbi trita uſurpatio, Lyricum dicemus carmen omne eius generis, quod cùm uario metrorum genere cōpoſitum eſt, tum clauſulis periodisq́ue certis ac definitis ita recurrit, ut cantus harmoniam & melos lyra facile declaret, & ſpacia eadem redeundo metiatur. Etenim ut multi extent hymni, atq; odæ monocoli, ut hendecaſyllabi, dimetri, tetrametri, & alij id genus: tamen ita cantando horum redeunt & componuntur toni, ut claudi & finiri facile intelligas ſyllabis periodos, & genera metrorum uaria conſtitui. Hinc factum eſt, ut Lyrici ijdem & Melopœi dicātur, & ᾠδοὶ & ᾀσματογράφοι. Nam uerſus lyrici nonnunquam adeò ſunt inter ſe diſsimiles, & prima fronte inſuaues: ut niſi barbytòn tibiam'ue admoueas, à ſermone & ſoluta oratione differre nemo ſuſpicetur. Ergo primas in

Pæanes.

Dithyrambus.

Iulus.

Hymnorū diuerſa nomina.

Lyricum carmen.

Oda. mas in hoc genere tenebit Oda: metrorum quidem diſsimilium, ſed
(quemadmodum docui) redeuntium in periodis, & finitis locis.
Deinde ſequentur monocolæ: ſed trochaicorum, et iambicorum di
metrorum uerſuum, uel octonariorum, & Sotadæorum, uel hende
caſyllaborum, maximè apud Latinos: quales Aſclepiadei, et Sapphi
ci: quanquam ternos quidem Sapphicos definit quàm ſuauiſsimè
Sotadæum carmen. Adonicus. Voco autem Sotadæum carmen, quod inęqualiũ tem-
porum pedes iungit: ueluti ſpõdeos cum palymbachijs, anapæſtos
cum trocheis, & alios ſimili modo. Genere igitur hoc, (quod pro-
pter Bacchum dixere Dithyrambicum) uario & molli, chorus tam
in Comœdia quàm in Tragœdia uti conſueuit. Perſonarum nanqꝫ
colloquia (ne ſermo nimis à uulgi more recederet) ſenarijs, nõ me-
ris iambis fiebant. Quapropter & in Tragœdia quidem loca impa-
ria admittũt, in Comœdia etiam ſecunda regio, ſpondæum & alios
pedes trimetri: quod extra ſermonem non liceret. Illud porrò in
hymnis tenendum: ut longa membrorum comprehenſio & melos
appareant: in amatorijs breuior. dictionis quoqꝫ idea, illic plena &
circumducta, magno uerborum ſyrmate compoſitorũ & nominan
tium, cum ſplendore & dignitate: in amatorijs, mollis, delicata, ſua-
uis, & omnino morata. Vt enim linguarum uarietas decet epos, &
peregrina dictio, & iambum translatio: ſic odam coniunctio, com-
Hymni partes. poſitioqꝫ uerborũ. Partes præterea ſi quis in hymno cupit cogno-
ſcere, & exactius omnia ſeruare quę cantum illum plenum, ſplendi-
dum & planè auguſtũ decẽt: quatuor inueniet, etſi nõ admodũ per-
uiſas à ueterib. Prima dicit̃ Strophe: in qua licet plures eſſe poſsint
meli cõprehenſiones, & rhythmi, magis tamen una delectat, unoqꝫ
fine cõcepta modulatio. Hanc deinde refert ad unguem & pedibus
& modo Antiſtrophe. Poſthæc fieri licet extẽſionem diuerſam, ac
diſsimilem utriqꝫ. Vulgus cantorum mediationẽ uocat, quam Gręci ἔνθετον. Soletqꝫ hæc non unam, ſed plures (non integras tamen)
periodos complecti. Vltima periodus eſt epódos, ſæpe numeris &
cantu ſimilis ſtrophę. Atqꝫ hæ quidem leges Dithyrambi, atqꝫ hym
ni, maximè autem Græci. Latini enim paulò aliter. Sibi enim non
permiſerunt metrorum illam uarietatẽ commiſcere tantam, quan-
tam uides in Pindaro atqꝫ alijs inſurgere, atque efferri. Sed uel me-
diocri mutatione numerũ cum ſenſu definiere, uel certè uerſum he-
roicum elegere: qui pleniſsimus poteſt inſurgere, quantum lubet,
pro ſectionum & commatum ratione. Eo carmine Statius epithala
mia panxit, & ſoteria, atqꝫ alia non inconcinnè. Lyricorum porrò
Elegia. eſt Elegia, flebile carmẽ, quo nunc amores & affectus alij deploran
tur: olim defunctorum lamentationes erant. Huius comprehẽſio-
nes dicolæ & diſtrophę, hexametro pentametroqꝫ abſoluuntur: &

uitium

uitium eſt, in ſenſus diſticho perficiantur: plagis autem dignum, niſi penthemimeri diuidatur alter uerſus. Honeſta uerò res, ut breuis penultima cantu attollatur. Atque hoc æmulatus Naſo, nunquam niſi diſſyllaba dictione clauſit pentametrum. Hoc igitur eodem genere, nempe Elegiaco, epigramma ſæpius componitur: rarius alio, ut hendecaſyllabo aut hexametro: uelut Homeri phiala quam ſibi ille dono datam Apollini cõſecrauit in Delphis, cum hoc diſticho, *Epigrãma.*

φοῖβε ἄναξ δῶρον τοὶ ἑλὼν ὅμηρος ἔδωκα,
ἧσιν ἐπιφροσύναις· σὺ δέ μοι κλέος ἐσθλὸν ὀπάζοις.

Eſt enim epigramma breuis & ſuccincta argumẽti tractatio: quod cum ſepulchris & columnis triumphorum, atq; adeò ſtatuis, inſcribi atque incidi ſoleret, èpigramma ſimul & anathema dictum eſt: & poetæ ipſi epigrammatici & anathematici. Huius idcç uis in acumine conſiſtit: ut lectorem uelut infixo aculeo alicuius argutiæ relinquat. Hinc tanta in Martiali uenus eſt. In ultimo enim uerſu uel diſticho totius argumenti uim ingeniumq́; exponit, ſed ſæpius ſatyricè, cum deceptione per hypomonen: quod lyricum nõ uidetur eſſe. Sed Propertius & Papinius, & alij quidam fabulas ſectati ſunt, ad quas alluderent. Et lepidus quidem eſt Sannazarius, Moriſotus grauior: incliti apud Græcos, Simonides, uetuſtus autor: & Alcæus, qui incidit in tempora Veſpaſiani. Inter epigrammata ſunto etiam Syluæ: quas ita dixerũt, tum quòd uarijs ex poematis conſtarent: tum quòd oblatam temerè materiam ex tempore et ſtylo ueloci percurrerent & tractarent, dum calor menti inſideret: poſtea uerò repeterent, et uerba emendarent, componerentq́;, iam non ex calore, ſed ex iudicio. & hoc quidem genere multa & uaria poemata cõtinentur. Epitaphia negat Plato pluribus quàm quatuor heroicis debere cõcipi, & meritò quidem. Nam ſupra monoſtichon, diſtichon, aut tetraſtichon, locus nõ capiat. Inſcribuntur enim hæc in Zophoro, ſub coronide, maiuſculis (ut requiritur ad æternitatẽ) characteribus. Zophorus autem nunquam ita latus eſt, ut plura q̃ quatuor metra poſsit recipere, quorum literæ longitudinem aſſequantur. Solutæ orationis plures in ſtylobate, & cippis, & iambos aut alios minores uerſus maiori numero poni non eſt indecorũ (ſi quis figurã huius ſtylobatæ cognoſcat) modò ſeruetur ubiq; proportio. Quod puto cauſam fuiſſe, cur Romanorũ principum non uerſus, ſed ſolutam orationem legamus. Nam gloriæ appetens ille populus, maluit ex rebus geſtis, quas breuiario enarrabat, quàm ex ingenio poetæ, qui ex inuentione ſola placet, laudem & famæ æternitatem demereri. Ergo manifeſtũ ex ijs quæ dixi, ex carmine (epitaphio, inquam, elegia, & odis) ſi metrum auferas, & interpretationem, nihil relinquet poetici officij. contentum nanq; eſt carmen *Anathema.* *Syluæ.* *Epitaphia.*

Tragœdia Latinos carere.

ad notas fabulas alluſiſſe,nihil præterea. Tragœdia iam carent Latini. Nam Senecā admireť qui uolet:mihi, etſi grauis,at certè adeò inelegans uídetur, ut præter ſentētias nihil habeat lectione dignū. De comœdia idem,quod ſenſit Fabius,ſentio. In heroico autē uerſu cedimus,certum eſt,œconomia Græco Homero: ſed tamē adeò præſtitit in cæteris Vergilius, ut huic uni cum Cicerone debeatur propagatio Romanæ eloquentiæ. Neq; enim Imperio tantum tributum fuiſſe credibile eſt,ut illius cauſa ſolum, relicto Græcorū lepôre ac uenuſtate, cuncti mortales Latinam orationē ſectarentur. Quanquam certè plurimum ad hoc potuit Imperium. nam et in minutis locis ac regionib. ita experimur, ut idioma illud in precio ſit & honore,quo utuntur honoratiores:licet nec ſono nec deriuatione alijs præſtet. Lyra ſolius digna eſt Horatij,quam audiamus. Inſurgit enim aliquando,& plenus eſt iucūditatis & gratiæ:magis tamen figuris uerborum uarijs,& ſententiarum,feliciter audax. Sed maiorem mihi uidetur habuiſſe rationē elegantiæ Romanæ, quàm melus: & quæ gratia poterat illa ætate dici, fortè nunc eſſet ſeueritas. Elegantes & terſi,atq; etiam docti ſunt, Tibullus, Propertius, & alij quidam:ſed parum certè ſplendidi:nimiū uerò impudici. Ouidius nihil profectò non pręſtitiſſet ſuis elegis,ſi moderari ſibi potuiſſet. Multo deterior Martialis,fœdans ac turpiter corrumpens morum impuritate lepidum & ad epigramma natum ingeniū. Itaque (ut ſemper mea conſtat ſentētia) multa conantur Latini in carmine,ſed pauca præſtant, & inuita omnia conanť (ut dicitur) Minerua. Quorū nanq; uita ſeuerior eſt,eorū ſolet oratio tam aridior incultiorq; eſſe, q̃ grauior: & ex uoluptatib. uitæ, deliciæ omnes exiſtūt ſermonis. Hæc igitur hactenus de omni genere cōmentādi.

De exercitatione. Cap. 6.

HABES,Lector,omnia quæ in orationis ſubſtantia natura q; obſeruauimus. Etſi iucunda quidē fuit ipſa contemplatio,cum primùm ab autoribus pauca deguſtaſſem:at ipſa poſtea inueſtigatio aliorū,& ſcriptio,omnem profectò ſenſum ſuperauit. Multum me initiò delectauit inueſtigatio illa locorum,ex quibus probationes & refutationes eruūtur quæſtionum. Quanta enim illinc prudentiæ facultas & diſſerendi copia deſumitur? Sed (ſicut fit) utilitas hæc, utcunq; parta, auarum me fecit:ut non contentus his, quæſtionū formas omnes, & genera morum atq; ſtudiorū,quibus conſiſtit oratio,ſcire uoluerim. Hic Ariſtotelē ſum æmulatus: in illis duo, Hermogenes & Fortunatianus ſoli,uidebantur me beaſſe.nam in partibus orationis unus Hermogenes facem prætulit. Figurarum ſententiæ nullum hic certum autorem proferre poſſum,per quem omnino profecerim: adeò diſſipata

pata

pata hęc, nec una ratione definita inuenire potui:etſi tropos utcunque. De interpretatione figuras,& poſitu uerborũ,multa nos abſq; præceptore,nõ ſine admiratione, quæ nos ad reliqua inueſtiganda excitabat. Sed idearum pręcepta planè debentur Hermogeni. Vtinam debere poſſemus omnia quæcunq; uel ille nouerat,uel ſcripſerat ea de re. Nam præcepta decori quæ ſcripſimus, etiam ductu rationis magis, quàm aliorum præceptis admonitus poteſt quiuis alius obſeruare ſine nobis,& plura etiam afferre. Hæc fuit noſtra exercitatio. Sed non omnes eadem iuuant. Sunt enim exercitationis omnino duo genera: unum,quod ad rerum cognitionem contemplationemq; ſpectat,& ſola perſpicientia ueri contenta eſt: alia eſt, quæ conatᷓ ſemper aliquid imitari,& quaſi reponere quę ab alijs benè tractata uidet. Hanc uocant imitationem:illam nonnulli ſtudiũ. Eſtq; ſtudium, cum legendo meditandoq;, præceptiones artis ad ea applicamus,quæ nobis uiri doctiſsimi eloquentiſsimiq; reliquere. Atq; hic quidem diligentia opus eſt,& iudicio:nec poteſt quiſquam, altero horum deſtitutus, quicquam promouere. Diligentia quidem,ut indefeſſum ſit ſtudium,multa & docta legendo, & præcepta artis aſsiduè recolendo: Iudicio uerò, ut non temerè omnia, neque ſuperſtitioſe examinare contendas: ſed ea tantùm, quæ illuſtrem aliquam uirtutem præ ſe ferunt orationis, ſiue id tropus ſit, ſiue figura,ſiue aliud quiduis. Tunc enim examinandus locus eſt, & cum arte conferendus. Atq; hoc uocemus ſtudium. Altera exercitatio,ſtyli nuncupetur: & in imitatione ſita eſt: cum ad illorum exemplar,qui quàm optima ſcripſere,nos aliquid uel ſcribendo conamur, uel dicendo, ad artis regulas ſemper reſpectantes. Nec alia ratione ad eloquẽtiæ faſtigium peruenitur:& hanc tenuere omnes, quicunq; aliquid laudis eo nomine meruerũt. Cæterùm cum ſit imitationis tanta uis, ut nõ ſolũ artifices in omni re, ſed artes ipſas procreare poſsit:adhibenda cura eſt,et delectus,ut non quoſcunq; imitere,ſed eos duntaxat,ex quibus proficere te poſſe putes, nec operã malè collocare:reliquos ita referes,ut ſolent qui parietibus ex latere uel lapide cõfectis,marmor aliquod,aut porphyriten ex longinqua regione petitum adſtruunt:ut tam precio commendetur ſtructura rei peregrinæ,quàm differẽtia emblematis, & uarietate. Itaq;(niſi me fallit opinio) ei qui prima ponit rudimenta dicendi,ſic utilior erit inter poetas Ouidius, & inter alios (maximè recentiores) Eraſmus, quàm Cicero & Vergilius: ut Dion Chryſoſtomus Hyperidem & Æſchinem frequentius, quàm Demoſthenem aut Lyſiam, Græcorum grauiſsimos oratores, commendauit. eſt enim ſimplex expreſſaq; illorum uirtus, & captu facilis:morũ quoq; energia multo apertior,& magis familiaris,quàm iſtorum. Quo nomine etiam

Exercitationis duo genera.

Studium.

Imitatio.

Vergilio

Vergilio non dubito Homerum præponere: ob morum & eloquutionis ſimplicitatem. Certè tenelli adhuc oculi, atq; imbecilles, non facile ferunt uim illam maieſtatis & lucis eloquentiæ Ciceronianæ. Quanquam uolunt alij ab optimis incipiendum, & in optimis ſemper hærendum eſſe. Sed experiatur unuſquiſq; primùm ſuas uires, ubi uolet: deinceps, ex progreſsibus quos fecerit, fiet prudentior.

CONCLVSIO.

ATQVE hæc quidẽ hactenus de oratione, quæ nos olim in adoleſcẽtia, cum literas humaniores profiteremur, in locos, & capita digeſſeramus: nunc ętate prouectiore ſic probauimus, ut exponere & in uulgus proferre haud ſanè piguerit, hominem licet grauioribus ſtudijs deditũ Theologiæ. Quapropter ſi quid uel anteà malè inueſtigaui, iure poſſum rogare, ut ætati cõdonetur: uel ſi minus aptè poſtea expoſui, ut occupationibus. Sin uerò aliquid fortè præſtiti quod prodeſſe queat, gloria ſit Deo omnipotenti, & eius Filio: qui cum eodem patre & ſpiritu ſancto regnans, non dedignatus eſt ab hominibus nuncupari λόγος. Amen.

FINIS.

IOAN. MORISOTI CARMEN
in libros Ant. Lulli de
Oratione.

Dixit Atlantiades, in ſomnis uiſus adeſſe,
Cynthia noctiuagis cum ueheretur equis:
Quid te diſcrucias Moriſote, ut diſcere poſsis,
Quæ in uerbis hominum myſtica uis lateat?
Hoc ego dictaui, noſterq́; excepit alumnus:
Magna recognouit Pallas, & expoliit.
Miratæ Muſæ laudarunt carmine ſacro,
Et Phœbus Lyricis extulit ipſe modis.

RERVM QVAE HOC OPERE TRActantur, per capita Elenchus: in quo prior numerus Caput, poſterior Paginam ſignificat.

LIBRI PRIMI.

- Proœmium. Pag 1.
- Quid oratio ſit, & à quibus exculta 1.10
- Scientiæ quę tractant de oratione, quomodo inter ſe differãt. 2.14
- Dicendi uis quinque partibus cõtinetur 3.17
- De ſubiecto & materia orationis 4.18
- Quæſtionum diuiſio 5.19
- De circumſtantijs 6.20
- De perſona 7.21
- Res, reiq́ attributa, adiuncta atque applicata 8.23
- Tempus 9.28
- Locus ead.
- Cauſa 10.ead.
- Modus 11.30
- De capitibus generalibus. 12.31
- Capita finalia 13.32
- De propoſitione atque Syllogiſmo 14.34
- De ſyllogiſmo Categorico. 15.37
- De numeris, & rationibus numerandi 16.40
- Capita prima 17.44
- Differendi methodus 18.46
- Capita quæ ſub generalibus inueniuntur, & primùm Coniectura 19.ead.
- Finitionis ſpecies 20.48
- Capita abſolutiua 21.51
- Capita aſſumptiua 22.54
- Capita exceptionum 23.56
- Syllepſis 24.61
- De ſtatu 25.ead.
- Status, cauſa, firmamentum, & iudicatio: & de quæſtionibus non conſiſtentibus 26.63
- Negotialis conſtitutio 27.69
- De legalibus conſtitutionibus. 28.71
- De uerbo & ſententia 29.ead.
- Contrariæ leges 30.72
- Syllogiſmus 31.ead.
- Ambiguitas 32.73
- Negotiales conſtitutiones extra dictum 33.ead.
- Iniectio qualitatum, quantitas, particula iuris, cauſa mortis uoluntariæ 34.76
- Comparatæ negotialium cõſtitutionum 35.78
- Statuum enumeratio, & genera cauſarum 36.80
- De moribus & ſpeciebus allocutionis 37.85
- De moribus hominum rurſum, & notatione 38.90
- Mores ex genere, & alijs locis. 39.101

LIBRI II.

- Proœmium Pag.104
- Coniecturæ tractatio 1.107
- Demonſtratio tractationis coniecturæ in exemplo 2.112
- Definitionis tractatio 3.115
- Antilepſis tractatio 4.118
- De antitheſi 5.120
- Metalepſis tractatio 6.123
- Tractatio ſtatus legalis, de uerbo & ſententia 7.125
- Antinomiæ tractatio 8.127
- Syllogiſmi tractatio 9.130
- De ambiguitate 10.131
- Negotiales quæſtiones: & primùm

mũm legis ferendæ capita, atque abrogandæ, quomodo tractantur 11.132
Præiudicia 12.135
De rumore & fama 13.136
De tormentis 14.ead.
Iuſiurandum 15.137
De tabulis 16.ead.
De teſtibus 17.138
Aſſertio & refutatio Chriæ, ſententię, legis, fabulę, &c. 18.139
Iniectio qualitatum 19.141
Particula iuris: ius in poſterum: modus pœnæ & præmij. 20.142
Cauſę mortis uoluntarię. 21.144
Diuinatio 22.145
Qualitatum comparatio, id eſt perſonarum 23.ead.
Comparatio quantitatum. 24.147
Quantitas numeri tractata per capita ciuiliter 25.148
Quãtitas numeri per capita Arithmetica 26.149
Communis qualitas, & amplificatio 27.151
Quantitas 28.152
Tractatio morum, ſeu allocutionis per capita 29.157
Exitus & euentus 30.166
Locus communis 31.167
De partibus orationis deliberatiuæ ac theſis 32.172
De partib. orationis encomiaſticæ 33.178

LIBRI III.

De partibus orationis forenſis, Prooemium Pag. 184
De exordio, & primò de eius fine 1.186
De beneuolentia 2.187
De attentione 3.190
De docilitate 4.191
Exordij œconomia ac diſpoſitio 5.192
Loci inueniendi exordij. 6.194
Poſt exordium ſequi narrationem, & probationem. 7.197
De proectheſi & proparaſceue, tum de quæſtionibus neceſſarijs atq; antecedentibus. 8.198
De hypophora 9.201
De narratione 10.203
Species narrationis 11.205
Partes narrationis 12.207
De interpretatione narrationis. 13.212
Propria narrationis 14.ead.
De deſcriptione 15.216
De egreſsione 16.217
De ἀνακοινώσει 17.219
De probatione 18.223
Argumentorum ſpecies. 19.224
De expolitiõe argumẽti. 20.229
προβολή 21.230
Ergaſia 22.232
De enthymemate 23.233
Epenthymema 24.234
Exæreſis 25.ead.
προκατάστασις ὑφήγησις 26.235
ἐπεργασία 27.236
De uiolatione 28.ead.
Diuiſio negotij 29.237
Ficta argumentatio 30.239
Epiphonema 31.240
Exemplum argumentationis. 32.243
De refutatione 33.245
De peroratione 34.248
Tranſitio 35.250
Enumeratio 36.251
Conceſsio 37.252

Suffragium 38.255
Exemplum 39.ead.
Recapitulatio partium orationis 40.257

LIBRI IIII.

Procemium Pag.258
De ductu. 1.261
De affectatione 2.267
De quinq; generibus cauſarum. 3.270
De figura, quid ſit, et quotuplex inueniatur 4.272
De oratione mentali, & de affatu 5.ead.
Rurſus de oratione mentali, & cogitatione: & de opinione, ſcientia, arte, imaginatione, fide, experientia, ſapientia, prudentia 6.278
De quatuor diſciplinis logicis, uel ſermocinalibus 7.283
De figura ſententiæ 8.287
De prolepſi 9.289
Commoratio 10.298
Ironia 11.306
De proſopopœia 12.311
De onomaſia, et uerbis ſingulis. 13.319
De immutatione nominum ſeu tropis, hypallage, metonymia, antonomaſia, & ſynecdoche. 14.321
De metaphora, catachreſi, metalepſi, & antiphraſi 15.324
De interpretatione, & eius figuris 16.331
De enunciatione 17.333
De comprehenſione, ſeu diuiſione, altera figura interpretationis 18.341
De apartiſi, & eius formis. 19.343
De frequentatione, & hyperbato, extenſionis figuris. 20.350
De iteratione, & eius formis. 21.355
Innouatio, tertia interpretandi figura 22.359
Coniunctio, quarta interpretandi figura 23.363

LIBRI V.

Procemium Pag.367
De ſtructura 1.370
Ordo 2.372
Iunctura 3.375
De membris, ſeu interuallis. 4.382
De numero 5.395
Melos 6.404
De concinnitate 7.410
De metabole 8.417

LIBRI VI.

De Idea 1.420
De tribus claritatis ideis, & primùm de puritate 2.426
De elegantia 3.428
De euidentia 4.430
De amplitudine & dignitate, quæ amplitudini ſubijcitur. 5.432
De aſperitate & uehementia. 6.438
De ſplendore 7.443
De acme, id eſt ſublimitate, ſeu uigore & magnificentia. 8.448

De

De circunductione & plenitudine 9.450
De pulchritudine, ſeu diligentia 10.454
περὶ γοργότητος, id eſt, de toruitate 11.457
De morata oratione generaliter 12.462
De ſimplicitate 13.464
De calliditate, acumine, et ſubtilitate 14.469
περὶ ἐπιεικείας, id eſt de modeſtia, ſeu facilitate 15.462
De ſuauitate, & delicijs omnibus orationis 16.476
De alacritate 17.483
Βαρύτης, ſeu grauitas 18.ead.
Probabilis, argumentoſaq́ idea 19.487

LIBRI VII.

Proœmium Pag.491
De decoro 1.492
De oratione politica 2.494
De philoſophicę orationis decoro 3.499
De hiſtoriæ decoro 4.509
De poeticæ decoro 5.514
De exercitatione 6.530
Concluſio Pag.531

FINIS.

~~BASILEAE, EX OFFICINA IOAN-
NIS OPORINI, IMPENSIS HEN-
rici Petri,~~ Anno Salutis humanæ
M. D. LVIII. Men-
ſe Martio.